HISTORIA ECCLESIASTICA

VARIIS COLLOQUIIS DIGESTA,

UBI PRO THEOLOGIÆ CANDIDATIS

Res præcipuæ, non solum ad Historiam, sed etiam ad Dogmata, Criticam, Chronologiam, & Ecclesiæ Disciplinam pertinentes, per breves Interrogationes, & Responsiones perstringuntur, & in præclaro ordine collocantur;

OPUS NOVEM TOMIS COMPREHENSUM

AUCTORE

FR. IGNATIO HIACYNTHO AMAT

DE GRAVESON

Sacræ Facultatis Parisiensis Doctore, & Collegii Casanatensis Theologo, Ord. FF. Prædicatorum.

EDITIO NOVISSIMA

Luculentissimis additionibus, ac perpetuis adnotationibus illustrata, & continuatione usque ad annum MDCCLX. locupletata

A P. JOANNE DOMINICO MANSI

Congregationis Matris Dei Lucensi.

TOMUS SECUNDUS

COMPLECTENS

QUINCTUM ET SEXTUM ECCLESIÆ SÆCULUM.



VENETIIS,

MDCCLXI.

EX TYPOGRAPHIA REMONDINIANA.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

PRÆFATIO

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

Studioso Lectori necessaria.



Historiam duorum Ecclesiæ sæculorum, quinti videlicet & sexti, describendam adgredimur, unius quidem Tomi angustiis comprehensam, nullo tamen rerum magnitudinis detrimento, nulla veritatis facta injuria. Lectoris curiosi & Historiæ Ecclesiasticæ studiosi votis pro viribus facere satis studuimus. Delectabit siquidem curiosi Lectoris animum insolentia eventuum, qui sæculo quinto contigerunt, nimirum Occidentis Imperii extinctio, varia Regnorum exordia *Turcelingorum* sub *Odoacro*, & *Ostrogothorum* sub *Theodorico* in Italia; *Francorum & Burgundionum* in Gallis, *Wisigothorum* in Hispaniis, *Anglorum* in Britanniæ Insula, *Vandalorum* in Africa. Ad has Occidentalis Imperii, Regnorumque permutationes accedunt diuturna bella, quæ duo perfidi & ambitiosi homines, *Rufinus* Tutor *Arcadii* Imperatoris Orientis, & *Stilico* Tutor *Honorii* Imperatoris Occidentis concitarunt adversus duos illos Imperatores, quos adhuc pupillos eorum fidei ac curæ *Theodosius* Imperator propediem moriturus commiserat. Tot funesta bella excipiunt variæ turbæ in Ecclesia excitatæ ab Imperatoribus Orientis *Zenone*, *&* *Anastasio*, quorum primus promulgato suo Edicto, quod *Henoticon* appellatur, universam perturbavit Ecclesiam; Alter vero Eutychianæ Hæresis fautor inter præcipuos Ecclesiæ hostes jure optimo annumeratur. Hinc multæ manarunt persecutiones, quibus sub finem quinti, & initium sexti sæculi afflicta fuit Ecclesia, maxime, cum id temporis nulli in toto orbe Principes essent, excepto *Clodoveo* Galliarum Rege, qui Catholicam Fidem profiterentur. *Anastasius* quippe Orientis Imperator Eutychianæ Hæresi, ut mox diximus, aperte favebat; *Theodoricus* Italiæ Rex, necnon *Alaricus* Wisigothorum Rex, qui Hispaniæ & parti Galliæ dominabatur; Rex quoque Burgundionum, & Rex Vandalorum in Africa, in luto Arianæ Hæreseos hærebant; cæterarum vero Orbis gentium Reges densissimis Idololatriæ tenebris erant immersi.

Verum, quemadmodum tot variorum eventuum narratio curiosi Lectoris animum oblectabit, ita non minorem, ut spero, volu-

voluptatem percipiet Historiæ Ecclesiasticæ studiosus Lector, dum percurret Historiam Hæresum Nestorianorum, Eutychianorum, Pelagianorum & Semipelagianorum, quæ in quinto sæculo emerserunt, diuque Ecclesiam infestarunt; dum perlustrabit Concilia, in quibus aut prædictæ Hæreses proscriptæ sunt, aut collapsa Ecclesiæ Disciplina fuit instaurata; dum insuper expendet famosam illam ac celebrem controversiam *de tribus Capitulis*, quæ in sexto sæculo multas in Ecclesia excitavit tragœdias, & qua nulla ab ipso Christiani nominis exordio fideles inter sese concertatio tenuit aut partium diffidentium ardore pertinacior, aut controversæ quæstionis sublimitate dignior, aut eventuum varietate feracior; dum postremo originem dissensionis, quæ occasione doctrinæ Origenis extitit S. Joannem Chrysostomum inter & S. Epiphanium, S. Hieronymum, & Joannem Antistitem Hierosolymitanum perspectam habebit, scietque genuina Opera accurato Criterio discernere a dubiis & spuriis Sanctorum Patrum, qui in quinto & sexto Ecclesiæ sæculis floruerunt, quique in rei Orthodoxæ tutelam vigilantissime excubantes contra insurgentium Hæreticorum impetus impavidi steterunt, & serpentes eorum errores doctissimis suis lucubrationibus confutarunt. Hos inter S. Patres præfulget potissimum *S. Augustinus*, qui prostratos Arianos, Manichæos & Donatistas, Pelagianorum & Semipelagianorum Hæresim per viginti annorum spatium herculeo labore & adamantino pectore oppugnavit, eamque tandem tot annorum diuturnitate roboratam, tot instar hydræ redivivam cladibus, tot superbam exitiis, tot locis longe lateque diffusam debellavit, vicit, profligavit, atque ad medicinalis Christi Servatoris nostri ad singulos pietatis actus necessitatem defendendam invicta arma posteris suppeditavit, sicut testatur *S. Fulgentius* lib. 2. *de verit. Prædest. & Gratiæ* his verbis: *Turris fortitudinis ipsam gratiam tenens, & exinde cunctas hostium machinationes telorum cælestis juvaminis virtute confringens* (Augustinus) *non solum ipse de hoste victoriam referens triumphavit, quin etiam posteris certandi, & vincendi ordinem, si quando victa pravitas recidivo ausu infandum caput erigere niteretur, ostendit*. In his, inquam, & aliis id genus perdiscendis, sicut & in lectitandis gestis Summorum Pontificum, qui sæculis quinto & sexto Ecclesiam sanctissime rexerunt, atque demum in comparanda notitia Doctrinæ, Disciplinæ & Moralis Christianæ, quæ in istis duobus sæculis viguerunt, non parum voluptatis a Lectore Historiæ Ecclesiasticæ studioso perceptum iri certissime confido. Quapropter necessarium non est, ut ei jam sponte currenti calcaria addam, sed solum velim ut duo hic breviter observet, quorum notitia ad uberiorem dilucidationem rerum, quas deinceps dicturi sumus apprime necessaria est.

In

In primis, cum in Historia quinti & sexti Ecclesiæ sæculorum sæpe de *Diptychis Ecclesiasticis* mentio occurrat, præsertim occasione *Acacii* Patriarchæ Constantinopolitani Hæresi Eutychianæ clam addicti, cujus nomen Romani Pontifices e Diptychis Ecclesiasticis eraserunt, nec pacem Ecclesiæ Orientali concesserunt, nisi postquam ipsamet tandem consensisset, ut *Acacii* cæterorumque ejus sequacium infausta nomina ex Græcarum Ecclesiarum Diptychis obliterarentur; præstat ut in antecessum paucis hic exponamus, quid Diptychorum Ecclesiasticorum nomine intelligendum veniat, & quis eorum in sacris usus fuerit.

Diptycha itaque Ecclesiastica nihil aliud erant; quam membranacei, seu chartacei Codices, in quibus nomina Episcoporum, & aliorum Catholicæ Ecclesiæ Fidelium erant inscripta, & in hoc distinguebantur a prophanis Diptychis, quibus novi Consulis nomen aureis characteribus singulis annis scribebatur, quod Diptycha prophana, seu consularia, essent Tabulæ non membranaceæ, sed eburneæ, ut colligitur ex Codice Theodosiano, ubi extat Rescriptum ab Imperatoribus *Valentiniano*, & *Theodosio* datum anno CCCLXXXIV. his verbis conceptum; *Illud etiam Constitutione solidamus, ut, exceptis Consulibus ordinariis, nulli prorsus alteri auream sportulam, Diptycha ex ebore edendi facultas sit. Cum publica celebrantur officia, sit sportulis nummus argenteus, alia materia Diptychis*. Hæc prophana, seu consularia Diptycha non uno loco inter antiquissima Cimelia inventa publicavit *Alexander Uvithelmius*, eaque perdocto Commentario illustravit. Porro, ex his prophanis, seu consularibus Diptychis ut optime observat Card. *Norisius* in *Dissertatione Historica de Synodo V.* capite quinto, Catalogi, in quibus Episcoporum, aliorumque fidelium erant inscripta nomina, *Diptychorum* nomen deinceps mutare cœperunt, & consularia Diptycha postea sacra, & Ecclesiastica evaserunt, quæ licet, ut mox diximus, eburnea non essent, sed tantum membranæ quædam, has tamen membranas coopertoriis, seu operculis eboreis, vel alterius pretiosæ materiæ tegumentis inclusas fuisse indicat *Fortunatus* lib. 10. car. 7. de Natalitio die S. Martini Turonensis ad *Childebertum* Galliarum Regem, ubi ait:

Nomina vestra legant Patriarchis atque Prophetis
Cui hodie in templo Diptychus edit ebur.

Ecclesiastica Diptycha alia erant *Viventium*, alia *Mortuorum*; nam diversis libris eorum nomina scribebantur. Id liquido patet ex litteris *Attici* Patriarchæ Constantinopolitani ad *Cyrillum* Patriarcham Alexandrinum de restituto Diptychis Ecclesiasticis Sancti Chrysostomi nomine, ubi hæc scribit: *Mentio namque ejus* (seu Chrysostomi) *fit cum Defunctis non solum Episcopis, sed & Pre-*

sbyteris, Diaconis, & Laicis ipsis, mulieribusque, &c. Magna est enim inter Defunctos & superstites differentia, ut etiam libri propter differentiam eorum, quorum memoria conservatur, statum, discreti sint. Ex quibus verbis duo comperta habemus. Primum est, quod alia essent Ecclesiastica Diptycha Viventium; alia Mortuorum. Alterum est, quod ejusmodi Diptycha tam sacrorum Ministrorum, quam Laicorum, immo & mulierum nomina complecterentur. Inde tamen colligi haud debet, omnia nomina promiscue & indiscriminatim in hisce Diptychis fuisse inscripta, sed in una pagina Episcopi, in alia Presbyteri, in altera Diaconi, atque ita diversis etiam laici ac fœminæ Diptychis consignabantur. Doctissimus *Bona* libr. 2. *Rerum Liturgicarum* Cap. XII. ait, tria fuisse genera Diptychorum, sive Tabularum, quibus nomina in singulis Ecclesiis inscribebantur. Primum erat peculiare *Episcoporum*, eorum præsertim, qui illam Ecclesiam rexerant, dummodo probitate sua ac sanctis moribus claruissent. Alterum erat *Vivorum*, in quibus eorum nomina descripta erant, qui adhuc viventes dignitate aliqua, vel beneficiis illi Ecclesiæ collatis, vel alio titulo bene meriti erant. In his secundi generis Diptychis primo loco Romanus Pontifex, tum alii Patriarchæ, & proprius Antistes, ac reliqui Clero adscripti recensebantur: postea Imperator, Principes, Magistratus & Populus fidelis. Tertium genus Diptychorum erat *Mortuorum*, qui in Catholica communione decesserant, & vel Principatu temporali, vel dignitate Episcopali, vel aliis in Ecclesiam meritis ac beneficiis spectabiles fuerant dum essent in vivis. Præter hæc tria Diptychorum genera, alia, teste eodem Cardinali *Bona*, erant Diptycha, seu Tabulæ, quibus inscripta erant nomina eorum, qui ad Baptismum accedebant.

In summa veneratione apud Fideles erant Diptycha Ecclesiastica, quippe quæ in sacro sancto Mysterio exponebantur, & postquam Diaconus, ut legitur in liturgiis Sanctorum Basilii & Chrysostomi, ea thure suffierat, alta voce in Ambone illa recitabat, non tamen omnia Fidelium tam vivorum, quam mortuorum in Diptychis inscripta legebat, (ut quibusdam Scriptoribus perperam visum est. Ad eam siquidem tot nominum recitationem, potissimum post fidem jam propagatam, & extirpatam Idololatriam, nec menses, nec anni suffecissent, maxime in Civitatibus, quæ innumerabilem populi multitudinem continebant) sed delectus habebatur, & in Diptychis tam viventium, quam in Domino dormientium, quæ publice a Diacono in ambone legebantur, eorum tantum nomina recitabantur, qui inter cæteros aliqua speciali nota præeminebant, facta de reliquis generali

commemoratione. Hæc praxis legendi inter sacram Synaxim Diptycha Ecclesiastica aperte colligitur ex Actis Synodi Constantinopolitanæ anno DXVIII. celebratæ. In his enim legitur, quod cum populus conclamasset: *Diptycha amboni. Qui non loquitur, Manichæus est: Diptycha amboni*, Joannes Patriarcha populo satisfecit: *Post lectionem sancti Evangelii ex more sacra Missa finita, & januis clausis* (Missa videlicet Catechumenorum, quibus post Evangelii recitationem extra Ecclesiam dimissis januæ claudebantur) *lectione juxta consuetudinem facta, tempore Diptychorum concurrit omnis multitudo cum magno silentio circum circa altare, & audiebat. Et cum solum lecta fuissent a Diacono prædictarum quatuor Synodorum, & sanctæ memoriæ Archiepiscoporum Euphemii, Macedonii, & Leonis nomina, voce magna universi clamaverunt: Gloria tibi Domine. Sancti Leonis* Papæ, necnon *Euphemii*, ac *Macedonii* urbis Constantinopolitanæ Antistitum nomina *Anastasius* Hæreticus Imperator e sacris tabulis eraserat, sed eo mortuo die nona mensis Julii anni DXVIII. e vestigio eorumdem Præsulum nomina sacris Tabulis, seu Diptychis Ecclesiasticis restituta sunt. Eandem praxim recitandi inter Missæ Sacrificium nomina in Diptychis inscripta observandam præcipit Concilium Emeritense Canone XIX. his verbis: *Proinde salubri deliberatione censemus, ut pro singulis quibusque Ecclesiis, in quibus Presbyter jussus fuerit per sui Episcopi ordinationem præesse, pro singulis diebus Dominicis Sacrificium Deo procuret offerre, & eorum nomina, a quibus Ecclesias constat esse constructas, vel qui aliquid his Sanctis Ecclesiis videntur, aut visi sunt contulisse, si viventes in corpore sint, ante altare recitentur tempore Missæ. Quod si ab hac luce discesserint, nomina eorum cum fidelibus recitentur suo in ordine*. Denique, cavit semper Catholica Ecclesia, ne Sanctorum, & in communione Catholicæ Ecclesiæ defunctorum Episcoporum nomina e Diptychis Ecclesiasticis expungerentur. Hæc namque expunctio pœna erat illis solis inflicta, qui vel a Fide Catholica defecerant, vel ob aliquod crimen a communione fidelium fuerant separati. Hinc, ut ostendemus in serie Historiæ Ecclesiæ sæculorum quinti & sexti, postquam *S. Chrysostomus* Patriarcha Constantinopolitanus factione *Eudoxiæ* Augustæ, & *Theophili* Patriarchæ Alexandrini in Conciliabulo ad *Quercum* coacto injuste damnatus & Episcopatu fuisset dejectus, ejusque nomen e Diptychis Ecclesiasticis expunctum; Innocentius I. Pontifex Maximus Sancti illius Episcopi suscepta discussaque causa, injustum hujus Conciliabuli Decretum abrogavit, atque in exilio defuncti Chrysostomi memoriam honorifice restitui curavit, nec aliter pax inter Orientis & Occidentis Ecclesias studiis hac in re divisas iniri potuit, nisi prius restituto in Ecclesiasticis Diptychis Chrysostomi nomine. Sed, versa

vice, postquam *Acacius* Patriarcha Constantinopolitanus Eutychianæ Hæresis fautor, sese in quinto sæculo ab Ecclesia Romana, facto Schismate, separasset, omni studio connixi sunt Romani Pontifices *Gelasius*, *Anastasius*, & *Symmachus*, ut perfidi *Acacii* jam demortui nomen ex Græcarum Ecclesiarum Diptychis omnino deleretur, idque tandem obtinuit *Hormisdas* Summus Pontifex a *Justino* religiosissimo Imperatore, sub quo sublatum fuit diuturnum Schisma, & pax Orientalem inter & Occidentalem Ecclesiam felicissime restituta est, damnata duorum præcedentium Hæreticorum Imperat. *Zenonis*, & *Anastasii* memoria, expunctisque sacris ex tabulis eorum simul & *Acacii*, cæterorumque ipsis adhærentium nominibus. Sed de materia, usu, & recitatione Diptychorum Ecclesiasticorum hæc indicasse sufficiat.

Alterum, quod in hac Præfatione Lector Historiæ Ecclesiasticæ studiosus accurate velim observet, spectat quintam Synodum generalem in sexto sæculo, seu anno DLIII. celebratam, in qua non solum damnata sunt *tria famosa Capitula*, videlicet scripta & persona *Theodori* Mopsuesteni Episcopi, scripta *Theodoreti* Cyri Antistitis, contra XII. Anathematismos S. Cyrilli Alexandrini, & Epistola *Ibæ* Edesseni Præsulis ad *Marim* Persam; sed etiam confixus est *Origenes*. Plura quidem de hac quinta Synodo generali dicemus in Historia sexti Ecclesiæ sæculi, hic tamen Lectorem necessario præmuniendum esse duxi contra duos errores, in quos impegit *Petrus Halloixius* Leodiensis Scriptor in Apologia, quam edidit pro *Origene*. Enim vero, ut *Origenem* ab errore vindicaret ille Scriptor, ausus est asserere, quintam Synodum a Sede Apostolica non fuisse approbatam, *sed magis ab Ecclesia Catholica toleratam esse ac permissam, quam grato animo admissam & receptam*. Addit etiam, hanc quintam Synodum nulla esse veneratione digna: *Quomodo*, inquit, *Justiniani Conciliabulum instigante Diabolo concitatum & confectum, potest ulla veneratione esse dignum*? Secundo, pertendit idem Scriptor, *Origenem* non fuisse damnatum in quinta Synodo. Hos duos *Halloixii* errores, velut inaudita hactenus paradoxa lato & perdocto calamo confutavit Card. *Norisius* in sua Dissertatione Historica *de quinta Synodo*. Quocirca, abunde hic sufficiet duo contra Halloixium breviter probare, quæ absque temeritate negari, aut in dubium revocari haud possunt, videlicet quintam Synodum a Sede Apostolica fuisse approbatam, & tamquam Oecumenicam ab universa Ecclesia receptam. Secundo, *Origenem* in quinta Synodo fuisse revera damnatum.

Et primo quidem mirari vehementer subit, qua fronte potuerit *Halloixius* asserere, quintam Synodum a Sede Apostolica non fuisse confirmatam, cum innumera pene extent antiquita-

tis

tis monumenta, queis ejus temeritas facili negotio revinci possit. Extat siquidem *Vigilii* Papæ ad *Eutychium Patriarcham Constantinopolitanum, & ad præjacentem Synodum* Epistola, quam Illustrissimus *Petrus de Marca* Archipræsul Parisiensis e veteri Codice MS. Bibliothecæ Regiæ eruit, in qua *Vigilius* Papa diserte rescindit *Constitutum*, & alia, quæ pro trium Capitulorum defensione olim scripserat, vel gesserat. Eruditus etiam *Baluzius* in nova Collectione Concil. pagin. 1551. invenit in veteri Codice MS. Bibliothecæ Colbertinæ *Constitutum* Vigilii Papæ pro damnatione trium Capitulorum, in quo Summus ille Pontifex fuse, docteque tria Capitula explicat, refellit & damnat, tandemque concludit his verbis: *Quæcumque vero sive meo nomine, sive quorumlibet pro defensione memoratorum trium Capitulorum prolata fuerint, vel ubicumque reperta, præsentis nostri plenissime constituti auctoritate evacuamus*. Nec solum Vigilius Papa, abjecta priori sententia, tria Capitula proscripsit, & quintam Synodum approbavit, sed etiam eamdem Synodum, tamquam Oecumenicam ab omnibus Fidelibus suscipiendam esse constanter profitentur *Vigilii* Papæ successores. *Pelagius I.* in Epistola V. ad *Narsem* Romani exercitus Ducem quintam Synodum adversus *tria Capitula* celebratam appellat *universam Synodum*, & Venetiarum, Istriæque Episcopos, sed præsertim *Paulinum* Aquilejensem Caput factionis Schismaticorum, qui tria Capitula acriter defendebant, & quintam Synodum repudiabant, invocato sæcularium Potestatum auxilio coerceri & in ordinem redigi debere affirmat. *Pelagius II.* quintam Synodum Pontificia auctoritate itidem approbavit, ut videre est in ejus Epistola ad *Eliam* Aquilejensem, & Istriæ Episcopos ab Ecclesia Romana ob trium Capitulorum defensionem divulsos. *Sanctus Gregorius* Magnus Synodum quintam, ceu Oecumenicam veneratus est, ut constat ex ejus Epistola ad *Joannem* Patriarcham Constantinopolitanum, ubi postquam Sanctissimus ille Pontifex professus est, se sicut Evangelii quatuor libros, sic quatuor Concilia, videlicet Nicænum, Constantinopolitanum I. Ephesinum, & Chalcedonense suscipere ac venerari, confestim subdit: *Quintum Concilium pariter veneror, in quo Epistola, quæ Ibæ dicitur, erroris plena reprobatur: & Theodorus personam Mediatoris Dei & hominum in duabus subsistentiis separans, ad impietatis perfidiam cecidisse convincitur: septima quoque Theodoreti, per quæ B. Cyrilli fides reprehenditur, ausu dementiæ prolata refutantur*. Martinus V. Pontifex Maximus in Concilio Lateranensi adversus Monothelitas secretario IV. legi jussit Concilii V. definitionem cum hac Epigraphe: *Definitio sanctæ quintæ Synodi*. Sed quid necesse est plures hanc in rem adducere Pontifices, cum ex *libro Diurno Romanorum Pontificum* mani-

manifesto pateat, in professione fidei, quam recens electus Pontifex emittebat, quintam Synodum cum aliis quatuor Oecumenicis connumeratam & receptam fuisse: *Sancta quoque universalia Concilia, Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum, Chalcedonense & secundum Constantinopolitanum, quod Justiniani piæ memoriæ Principis temporibus celebratum sit, usque ad unum apicem immutilata servare:* His momentis, quæ Conciliorum definitionibus & omnium fidelium consensu roborantur, sole clarius evincitur, quintam Synodum contra tria Capitula convocatam, auctoritate Romanorum Pontificum fuisse approbatam, & tamquam Oecumenicam consensione universæ Ecclesiæ receptam, adeoque a temeritatis nota, ne quid gravius dicam, nullo pacto excusari posse *Halloixium*, qui in contrariam abiit sententiam, & quintam Synodum non erubuit appellare *Justiniani Conciliabulum instigante Diabolo confectum*.

Verum, ne quid hac in re dissimulare videar, ultro quidem ac libens fateor, Hispaniarum Ecclesiæ Episcopos quintam Synodum statim non recepisse, eosque tamen communione semper conjunctos fuisse cum Romanis Pontificibus, aliisque Episcopis, qui eidem Synodo adhærebant. Sed contendo tamen, inde cum *Halloixio* colligi minime debere, quintam Synodum nec Oecumenicam esse, nec a Sede Apostolica approbatam, aut eam salva & inculpata fide rejicere vel repudiare unicuique integrum fuisse. Ratio est, quia hunc Hispanorum dissensum Romani Pontifices prudenti quadam Oeconomia ad tempus dissimularunt, & tolerarunt, donec Hispani errorem facti dedocerentur, quo sibi falso persuaserant, quintam Synodum esse Chalcedonensi contrariam. Ea de causa erga Catholicos & pacis Ecclesiasticæ amantes Antistites Hispanos silentio & dispensatione aliquandiu utendum Romani Pontifices existimarunt, maxime, cum in quinta Synodo generali non de fide, sed de personis tantummodo actum esset, & aliunde reverentia, quam Sedi Apostolicæ deferebant Hispaniarum Episcopi, spem Ecclesiæ faceret maximam, fore ut, errore facti propediem deposito, ad sententiam universæ Ecclesiæ accederent, & quintam Synodum amplecterentur. Hinc *S. Gregorius Magnus* in Epistola ad *Constantium* Episcopum Mediolanensem, qui conabatur *Theodelindam* Longobardorum Reginam piissimam a defensoribus trium Capitulorum seductam ad Communionem Ecclesiæ reducere, prudenter sic respondit; *Quod scripsistis quia Epistolam meam Reginæ Theodelindæ minime transmittere voluistis, pro eo quod quinta Synodus in ea nominabatur; si eam exinde scandalizari posse credidistis, recte factum est, ut minime transmitteretur. Unde nunc ita facimus, sicut vobis placuit, ut quatuor Synodos solummodo laudaremus,*

remus, & quintæ Synodi nullam mentionem faceremus. Ea Oeconomia, & prudenti dispensatione usus Sanctissimus ille Pontifex Reginam *Theodelindam*, & alios quamplures Schismaticos, qui Synodum quintam esse contrariam Concilio Chalcedonensi perperam autumabant, evulso eo dubio, quod eorum animis alte insidebat, ad Ecclesiæ communionem feliciter revocavit.

Exploso primo errore *Petri Halloixii*, asserentis quintam Synodum nec a Romanis Pontificibus approbatam, nec universæ Ecclesiæ consensu fuisse receptam; superest, ut paucis nunc refellam alium errorem, in quem lapsus est idem Scriptor in Apologia, quam pro *Origene* adornavit, ubi vanis & futilibus conjecturis capite decimo probandum suscipit, Origenem non fuisse damnatum in quinta Synodo, quia, inquit, in Actis quintæ Synodi nulla extat Origenis damnatio, nullum de hac Origenis damnatione apud Victorem Turonensem, vel Facundum Hermianensem Scriptores horumce temporum æquales & rerum gestarum testes apparet vestigium. Arriserat olim eadem sententia Illustrissimo *Danieli Huetio* Episcopo Abrincensi, sed re accuratius pensitata, ut ipsemet ait *lib. 2. Origenianorum* cap. 4. Sect. 3. n. 14. mutavit sententiam, & actam in quinta Synodo Origenis causam, ipsumque cum Asseclis damnatum & Anathemate confossum fuisse invicte probat multis argumentis, quorum præcipua hic perstringere sufficiet. Primum petitur ex testimonio *Evagrii*, qui lib. 4. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 37. totius rei summam, & ipsa verba Anathematis in quinta Synodo in Origenem prolati refert, ipsumque sequitur totum Græcorum agmen, videlicet Auctor Chronici Alexandrini, Georgius Syncellus, Theophanes, Photius in libello de Synodis, Nilus Rhodius, & Anonymi duo, qui de Synodis quoque scripserunt, quosque in canonici juris antiqui Bibliothecam contulit *Henricus Justellus* vir clarissimus. His etiam suffragantur Zonaras, Glycas, maxime vero Cedrenus, qui & Justiniani Imperatoris Epistolam repræsentat, in qua flagitat a Patribus quintæ Synodi, ut Origenem, Origenisque Gregales damnent, & Nicephorus, qui Anathematismos in quinta Synodo in Origenem vibratos recitat lib. 17. Hist. Eccles. cap. 28. Præterea, Cyrillus Monachus, qui Justiniani Imperatoris ævo claruit, & res in quinta Synodo gestas ignorare haud potuit, perspicue docet, Origenem in ea damnatum fuisse, ut videre est in Vita, quam descripsit S. *Euthymii* cap. 105. & in Vita *Sancti Sabæ* cap. ultimo. Denique Origenem confixum fuisse in quinta Synodo generali testantur Patres Synodi sextæ generalis, Action. 17. & 18. Leo II. Romanus Pontifex in Epistola ad Constantinum Pogonatum Imperatorem, & ipse Constantinus Pogonatus in Edicto

ad

ad populum occiduas partes incolentes; quæ duæ Scriptiones inter Acta. Concilii sexti generalis habentur, quibus addi possunt Synodus quini-sexta Can. I. Synodicæ litteræ *Theodori* Hierosolymitani, quæ recitatæ sunt Actione tertia Synodi septimæ, Epistola *Tarasii* Patriarchæ Constantinopolitani, totiusque adeo Synodi septimæ generalis, quæ extat Actione septima ejusdem Synodi, & Anastasius Bibliothecarius ad annum Justiniani Imperatoris vigesimum sextum. Certe tot luculenta testimonia Conciliorum, & clarissimorum Scriptorum, qui disertis verbis asserunt, Origenem in quinta Synodo generali fuisse damnatum, rem extra omnem dubitationis aleam ponere debent, ita ut nemo prudens & sapiens Theologus contra excipere, vel præscribere possit. Unde, justa de causa Eminentissimus Annalium Parens *Baronius* ad annum Christi CCLVI. invehitur in eos, qui pro Origene jam ab Ecclesia damnato Apologias concinnare præsumunt: *Miratus sum*, inquit, *post damnationem ejus ab Anastasio Papa Pontificia auctoritate inflictam, post ejusdem reprobationem in quinta Synodo pronunciatam, post tot antiquorum Patrum in ipsum conspirantes sententiam, adhuc recentiores quosdam ausos esse novas edere Apologias, & auctoritate Ecclesiæ Catholicæ judicatas sæpius controversias denuo temere agitare*. Quid, amabo, dixisset doctissimus ille Cardinalis de *Petro Halloixio* acerrimo Origenis Vindice, qui non solum ipsius vitam, virtutes & documenta libris quatuor fusissime complexus est, ejusque doctrinam ab omni erroris labe totius ingenii sui viribus purgare ac vindicare studuit; sed, quod gravius est, ut facilius persuadere posset, Origenem in quinta Synodo non fuisse damnatum, non dubitavit asserere, Patres Conciliorum generalium sexti, & septimi, necnon antiquos Scriptores, qui Origenem in quinta Synodo poscriptum fuisse testantur, omnes ad unum errasse, eosque incidisse in Acta Synodi quintæ corrupta & adulterata? Hac in re sane modestiam & reverentiam sanctis Patribus debitam in *Halloixio* desiderare cogor, quam penitus exuisse videtur.

At, inquit *Halloixius*, nulla in actis quintæ Synodi Origenis extat damnatio, nec ullum de hac Origenis damnatione in V. Synodo facta apud Victorem Turonensem, vel Facundum Hermianensem, Scriptores coævos, apparet vestigium. Falso itaque asseritur, Origenem in quinta Synodo fuisse damnatum. Hoc est potissimum Halloixii argumentum, quod certe utroque pede claudicat. Nam, præterquam quod mere negativum est, ac subinde, juxta Critices disciplinæ regulas, ad infirmanda locupletissima, quæ mox in medium produximus, testimonia, sat virium habere non potest, falso præterea supponit, nullam in actis quintæ synodi extare damnationem Origenis. Quid enim, sodes, sibi volunt hæc verba, quibus *Theodorus* Cappadox Origenis Patronus probaturus, *Theodorum Mopsuestenum*,

ftenum, licet jam vita functum, posse jure ac merito damnari; sic Collatione V. Patres Synodi quintæ. allocutus est: *Et multos quidem etiam alios invenimus post mortem anathematizatos, necnon etiam Origenem ..... quod nunc & in ipso fecit & vestra sanctitas, & Vigilius Papa religiosissimus antiquioris Romæ*. Fatente igitur Theodoro Cappadoce Origenistarum Principe a Synodo quinta & Vigilio Papa Origenes fuit damnatus. Quid etiam sibi vult Anathematismus undecimus in Collatione octava quintæ Synodi his verbis conceptus: *Si quis non anathematizat Arium, Eunomium, Macedonium, Apollinarium, Nestorium, Eutychem, Origenem, cum impiis eorum scriptis ...... talis Anathema sit*. Extat itaque in Actis quintæ synodi, velit nolit *Halloixius*, expressa Origenis damnatio. Sed, ut de *Halloixio* nullam in Actis quintæ Synodi extare Origenis damnationem, inde tantum sequitur, Acta quintæ Synodi ob suppressam illam Origenis damnationem fuisse truncata & mutilata, sive id Origenistarum fraude factum sit, ut non immerito suspicatur Baronius, sive id contigerit propter nimiam festinationem eorum, qui Latinam interpretationem actorum quintæ Synodi ad usum Vigilii Papæ & Occidentalium curarunt. Cum enim illi interpretes totam Orientales inter & Occidentales controversiam in trium Capitulorum negotio versari animadverterent, parum curarunt de Origenis damnatione, quæ tum temporis unanimi consensu ab utraque Ecclesia facta & recepta fuerat, sed maxima festinatione acta quintæ Synodi exscripserunt dumtaxat quantum ad ea, quæ trium Capitulorum proscriptionem spectabant, ut ea ad *Vigilium* Papam cito transmittere possent. Hinc Summi Pontifices *Pelagius I. Pelagius II.* & *Gregorius Magnus*, dum referunt Decreta quintæ Synodi generalis, meminere dumtaxat damnationis trium Capitulorum, nulla de Origenis in ea synodo damnatione facta mentione, quia acta quintæ Synodi, quæ initio in Occidentem delata fuerunt; Latine cum magna festinatione, ut diximus, exscripta, aliud omnino non continebant, quam trium Capitulorum damnationem.

Plura non addam ad confutandam *Petri Halloixii*, qui a viris eruditis *Huetio*, *Norisio*, & *Alexandro* jure merito vapulat, singularem sententiam, qua semel confutata, nullo negotio etiam refellitur alia opinio *Joannis Garnerii*, qui in *Dissertatione*, quam edidit, *de quinta Synodo*, contendit nullam in ea habitam fuisse de doctrina Origenis cognitionem, sed tantum in quadam alia Synodo Constantinopoli sub *Menna* hujus Civitatis Episcopo habita, quæ a veteribus *quintæ Synodi* nomine etiam appellata est, quæque quintam Synodum universalem aliquot annis præcessit. Hæc, inquam, *Garnerii* sententia non solum ex his, quæ contra *Halloixium* adduximus, locupletissimis testimoniis confutata

ma-

manet, sed etiam valide refelli potest ex verbis, quæ leguntur in secunda Professione fidei, quæ habetur in libro diurno Romanorum Pontificum, ubi, postquam actum est de quatuor prioribus Synodis Oecumenicis, subnectitur: *Hæc igitur Sancta atque universalia quatuor Concilia, etiam sanctum quintum Concilium venerandum essecutum est, & sub piæ memoriæ Justiniano Principe apud Constantinopolitanam Urbem est congregatum, cujus salutari consultu, unus de Sancta Trinitate Dominus Noster Jesus Christus veraciter prædicatus est* &c. *in hoc Origenes cum impiis discipulis & sequacibus, Didymo, & Evagrio, & qui Creatorem omnium Deum, & omnem rationalem ejus creaturam Gentilibus fabulis prosecuti sunt, æternæ sunt condemnationi submissi: In eo Theodorus Mopsuestenus Auctor Nestorii, pariterque Diodorus* &c. *Cum his & Epistola, quæ Ibæ dicitur ad Marim Persam, & scripta Theodoreti adversus Beatissimum Cyrillum, cum condemnatione projecta sunt* &c. *inter hæc veneranda universalia quinque Concilia, etiam sanctum sextum Concilium universale prædicamus*. Quibus ex verbis manifesto patet, Origenem, ejusque Sectatores, *Justiniano* Imperatore, non tantum in aliquo privato Concilio, ut contendit *Garnerius*, sed in quinta universali Synodo Constantinopoli celebrata fuisse damnatos.

Hæc te, erudite Lector, in hac Præfatione præmonere necessarium esse duxi, quo videlicet inter legendum ea, quæ in Historia quinti, & sexti Ecclesiæ sæculorum *de Diptychis*, & *de quinta Synodo* dicenda occurrent, actutum intelligere posses. Nunc duo a te vicissim reposco. Primum est, ut pro me, qui Historiæ Ecclesiasticæ literarium mare immensum ac procellosum ingressus sum, Deum Opt. Max. roges ut me in tam morosa & diuturna peregrinatione omnipotenti gratia sua illuminet, dirigat, atque ad optatum portum feliciter tandem perducat. Alterum est, ut huncce secundum Historiæ Ecclesiasticæ Tomum, in quo eamdem, quam in priori, methodum teneo, attento lubentique animo lectitare haud graveris. Et sane, si te veteris Romæ Ruderum, Templorum, jamque vetustate exesarum statuarum adspectus magnopere delectat, quanto majori voluptate te afficere debent retroactorum sæculorum Ecclesiæ memoria, Sanctorum Martyrum trophæa, Summorum Pontificum, & Imperatorum Christianorum gesta, Episcoporum successiones, Hæresum Historia, Conciliorum Decreta, Sanctorum Patrum Doctrina, & antiquæ Ecclesiæ politia, morumque disciplina? *Hæ sunt*, inquit egregie *Tertullianus* in libro de Spectaculis, *voluptates, hæc spectacula Christianorum Sancta, perpetua & gratuita. In his tibi ludos Circenses interpretare, cursus sæculi intuere, tempora labentia dinumera, metas consummationis expecta, societates Ecclesiarum defende, ad signum Dei suscitare, ad tubam Angeli erigere, ad Martyrii palmas gloriare.*

To-

TOmum istum alterum quinti & sexti Ecclesiæ sæculorum complectentem Historiam, a Viro peritissimo & in sacris studiis summe exercitato *Ignatio Hiacyntho Amat de Graveson*, Sacræ Facultatis Parisiensis Doctore, & Collegii Casanatensis Theologo. Ordinis Prædicatorum compositum, authoritate ac imperio Reverendissimi Patris Antonini Cloche totius Ordinis Fratrum Prædicatorum Magistri Generalis sedulo perlegi summa cum animi voluptate, magnoque ipsum rerum sacrarum studiosis adjumento esse posse censeo; nec dubito quotquot seposito partium studio pii & eruditi hoc Opus legerint, quin mihi assentiantur, multoque plura & majora hac mea testificatione sint bona hac in Historia Ecclesiastica reperturi: in ea quippe nemo non jure demirabitur stili candorem omnis fuci expertem, brevitatem cum rerum ubertate conjunctam, eruditionem reconditam, mirabilem gestorum colligationem, methodum facilem ac perspicuam qua suo quæque ordine paucis perstringuntur, ne longioris studii spatio & decursu, vel nodis quæstionum alienarum intricatissimis, & vix aliud quam temporis jacturam allaturis, juvenes Theologiæ candidati ab Historiæ Ecclesiasticæ cultu deterreantur. Cum igitur Tomus ipse alter ab omni nævo contra Fidem, aut bonos mores erroris alienissimus sit, dignum illum censeo, qui publica luce donetur, & omnium teratur manibus.

Datum Romæ, in Conventu Minervitano Fratrum Prædicatorum die 25. Aprilis anni æræ Christianæ 1717.

Fr. Antonius Bardon, Sac. Facultatis Parisiensis Doctor Theologus, & Cathedraticus Casanatensis, Ordinis Prædicatorum.

JUssu Reverendissimi Patris Antonini Cloche Ordinis Prædicatorum Magistri Generalis, Tomum secundum Historiæ Ecclesiasticæ variis Colloquiis digestæ, ab admodum Reverendo Patre Fratre *Ignatio Hyacintho Amat de Graveson* sacræ Facultatis Parisiensis Doctore, & Collegii Casanatensis Theologo elaboratum, accurate, ac diligenter perlustravi: de quo idem omnino, quod de primo ejusdem Operis Tomo, candidum judicium ut lubens feram, me extimulant tum orthodoxa doctrina, uberiorque rerum Ecclesiasticarum perities: cum tersum dicendi genus, methodusque sibi constans, quæ hic ubique resplendere, ubique micare comperio. Quamobrem, cum primum doctissimi Auctoris de Historia Ecclesiastica volumen summo cum applausu ab Viris litteratis, & Historiæ Ecclesiasticæ studiosis exceptum sit, nullus dubito, quin hoc secundum, quod quintum & sextum Ecclesiæ sæculum complectitur, parem præstantissimo concinnatori famam apud æquos rerum æstimatores conciliet.

Datum Romæ in Conventu S. Mariæ super Minervam die 24. Maii anni 1717.

Fr. Patritius Plonket Sacræ Facultatis Parisiensis Doctor, & Collegii Casanatensis Theologus, Ordinis Prædicatorum.

IN-

INDEX COLLOQUIORUM

Quæ continentur in hoc Secundo Tomo.

COLLOQUIA

In Historiam Ecclesiasticam V. Sæculi.

COLLOQUIUM I.

COLLOQUIA

In Historiam Ecclesiasticam VI. Sæculi.

HISTO-



HISTORIA
ECCLESIASTICA
V. Ecclesiæ Sæculi,

Variis Colloquiis digesta.



Historiam, & Disciplinam quinti Ecclesiæ sæculi sex Colloquiis explanabimus. Primum erit de statu Ecclesiæ sub Imperatoribus Christianis. Alterum, de Hæresibus, quæ quinto sæculo emerserunt & Ecclesiæ sinum lacerarunt. Tertium exhibebit seriem Episcoporum, qui præcipuas Ecclesiæ Sedes eodem sæculo tenuerunt. Quartum erit de Conciliis, quæ ad extirpandas Hæreses variis in locis fuerunt celebrata, & de nonnullis Factionibus, in quas distracti fuere quidam Catholici Episcopi. Quintum erit de Viris Illustribus, qui perdoctis Operibus quintum Ecclesiæ sæculum illustrarunt. Postremum explicabit Doctrinam, Moralem, & Disciplinam, quæ eodem sæculo quinto fuit observata.

COLLOQUIUM PRIMUM.

De statu Ecclesiæ in quinto sæculo sub Imperatoribus Christianis.

D. Ecclesiam sub optimo, & religiosissimo Imperatore Theodosio Magno summa pace potitam, planeque Idololatriam fuisse extinctam, memini te dixisse sub finem Colloquii primi in Historiam quarti Ecclesiæ sæculi: nunc qualis fuerit status Ecclesiæ sub aliis Imperatoribus, qui, post Theodosium Magnum, Imperium cum Orientis, tum Occidentis rexerunt, scire desidero.

M. Mortuo Imperatore Theodosio sub Consulatu *Olybrii*, & *Probini*, hoc est, anno Christi cccxcv. ante diem VI. Kalendas Februarias, filii ejus *Arcadius*, & *Honorius* Romani Imperii administrationem suscepere, & *Arcadius* quidem Orientis, *Honorius* vero Occidentis Principatum obtinuit. Arcadii, & Honorii juvenili, & inexpertæ ætati, simulque & Imperio prospiciens Theodosius Magnus, duos, antequam moreretur, selegerat Duces prudentia & auctoritate conspicuos, quorum ductu, & consiliis utrumque regeretur Imperium, *Rufinum*, qui rebus Orientis, & *Stiliconem*, qui Occidentis rebus præesset. Sed inter Rufinum, hominem in Aquitania humili genere natum, & Stiliconem genere Vandalum utriusque Imperii administrum gravis exarsit invidia, magnaque fuit dissensio, quæ, ut mox dicemus, gravissimorum malorum tam in Oriente, quam in Occidente causa, & origo fuit. *Arcadius* statim post obitum Theodosii patris sui *Eudoxiam* duxit uxorem, conciliante has nuptias *Eutropio* Eunucho in odium Rufini æmuli sui, qui filiam suam Arcadio destinabat, ut Imperio, cui inhiabat, sublato Genero, potiretur. Varias leges sanctissimas adversus tumultuantes Hæreticos emisit Arcadius, fuitque Optimus Princeps, mansuetus, pacis, & religionis amans, sed infelix. Tutor siquidem *Rufinus* Principi, pupilloque infidus *Alaricum* Gothorum Ducem adivit, ut arma verteret in Arcadium, ejusque Imperium laceraret. Sed ut occultum fœdus, pravumque, quod animo volvebat, consilium ad optatum exitum facilius perducere posset *Rufinus*, Græciæ Proconsulem sibi fidum designavit, & Thermopylarum angustias custodiendas viro itidem sibi addicto tradidit, ut eas ambo Barbaris advenientibus cederent. His fretus *Alaricus*, quasi jam victoriæ securus, e Thracia discessit, in Macedoniam, Thessaliamque progressus est *interjectis omnibus exilio datis*, ut scribit *Zosimus* lib. 5. ubi etiam narrat mala, quæ egit *Alaricus* in Bæotia, Attica, Megaride, Peloponneso, & in reliqua Græcia. Verum spe sua delusus est *Alaricus*, quippe qui a *Gaina* homine bellicoso, quem *Stilico* Honorii fratris Arcadii Tutor cum valido Exercitu in Orientem misit, repulsus; victus, ac debellatus est, statimque a militibus, juxta mandatum Stiliconis, Rufinus trucidatus dignas admissis facinoribus pœnas luit. Ejus corpus ad ludibrium membratim discerptum est, Caput præfixum pilo, manus ita composita, ut pecuniam laxatis, aut contractis nervis recipere videretur. *Zosimus* citatus asserit, *Eutropium* Eunuchum Stiliconi addictissimum, qui post Rufini cædem maxima apud Arcadium auctoritate pollebat, bonorum Rufini potissimam partem sibi vindicasse. Sed cum *Eutropius* Consulatu simul, & Patriciatu ornatus, immensa, præcipitique ambitione Imperium aucuparetur, omnibus dignitatibus exutus fuit die XII. Kal. Febr. an. cccxcix. & e fastis, ac monimentis publicis abrasa ejus memoria, in Cyprum Insulam ipse relegatus, & non multo post inde abductus, capite mulctatus est, ut testes sunt *Philostorgius* lib. 11. cap. 6. *Zosimus* libr. 5. aliique Scriptores. Supplicio quoque affecti sunt *Gildo*, qui sibi Africam usurpaverat, & *Gainas*, quem Imperium affectantem, & Arcadio Imperatori struentem insidias *Fravita* Gothus quidem, sed fidei præstitæ Arcadio observantissimus conserto prælio prostravit. Qua victoria meruit *Fravita* Consulatum anno ccccI. Obiit Arcadius Imperator Byzantii anno ccccVIII. ætatis suæ 30. Imperii post patrem 13. Reliquit moriens filium suum Theodosium juniorem annos octo natum Imperii hæredem, illusque Tutorem testamento instituit *Isdigerdem* Persarum Regem, eum enixe rogans, ut ad Imperium Theodosio asserendum potentiam suam omnem, providentiamque conferret, quod revera magnanimo animo executus est *Isdigerdes* mittens *Antiochum* virum moribus egregium, & eximiæ eruditionis, qui pueri Principis curam haberet, ipseque, quandiu vixit, Romanos pace beavit altissima, & Imperium Theodosio juniori conservavit.

D. Fuit ne tranquillius Occidentis Imperium sub *Honorio* fratre Arcadii?

M. Res Occidentis pessimo loco erant, atque fœdissima Imperii facies sub *Honorio* Principe negligente, ignavo, & a re bellica prorsus alieno, eamdemque infaustam sortem nactus est *Honorius* in Occidente, quæ Arcadio ejus fratri contigit in Oriente. Nam sicut perfidus Rufinus Tutor Arcadii excitavit Alaricum Gothorum Regem, ut arma in Arcadium verteret; ita ambitiosus *Stilico* Tutor

Tutor Honorii, & cui duas filias, *Mariam*, & *Thermantiam*, quas e *Serena* uxore sua susceperat, in matrimonium dederat; eundem *Alaricum*, quem anno CCCCII. ad Pollentiam, quæ Civitas est in Liguriam, devicerat, stimulavit ad pugnandum contra *Honorium*. Sed Alaricus perfidiam detestatus ingenti prælio Romanas acies profligavit, totam fere devastavit Italiam, & Urbem Romam anno CCCCIX. ut multis argumentis evincit Cl. *Pagius* in sua Critica ad annum CCCCX. armis cepit, in prædam dedit, omnia pene ædificia incendit, & quasi torrens violentus solo æquavit, exceptis tamen Ecclesiis, quibus ille barbarus pepercit. *Attalum* Urbis Romæ Præfectum creavit Imperatorem, quem mox purpura, & Imperio exuit. Post captam Romam *Alaricus* in Siciliam transire volens, navibus tempestate disjectis, morbo periit, eique successit *Athaulphus* qui Romam regressus, eam miserum in modum depopulatus est, indeque *Gallam Placidiam*, Honorii Imperatoris sororem abductam ad Forum Cornelii, seu *Imolam*, duxit uxorem. Re ad Honorium pro veritate delata, jussit e vestigio Imperator, proditorem Stiliconem ejusque filium *Eucherium* paganum, & apertum Christianæ Religionis hostem, una cum *Serena* hujus matre, & Stiliconis conjuge occidi. Eodem anno quo Roma ab Alarico capta, ac direpta est, *Alani*, *Vandali*, & *Suevi* Hispanias occuparunt, qui jam anno CCCCVI. eodem promovente Stilicone, in Gallias irruentes, funestis cladibus eas cruentarant, quas S. Hieronymus Epist. XI. ad *Ageruchiam* viduam expressit his verbis: *Innumerabiles, & ferocissimæ nationes universas Gallias occuparunt. Quidquid inter Alpes, & Pireneorum est, quod Oceano, & Rheno includitur, Quadus, Vandalus, Sarmata, Alani, Gepides, Heruli, Saxones, Burgundiones, Alemanni, & o lugenda Respublica, hostes Pannonii vastaverunt. Etenim Assur venit cum illis. Maguntiacum nobilis quondam Civitas capta, atque subversa est; & in Ecclesia multa hominum millia trucidata. Vangiones longa obsidione deleti. Rhemorum Urbs præpotens, Ambiani, Atrebates, extremique hominum Morini, Tornaces, Nemetæ, Argentoratus, translati in Germaniam. Aquitaniæ, Novemque Populorum, Lugdunensis, & Narbonensis Provinciæ, præter paucas Urbes, populata sunt cuncta.* Idem S. Doctor in Epistola ad *Heliodorum* de ejusmodi Barbarorum in Gallias incursionibus loquens, Matronas nobiles, & Virgines Dei ludibrio habitas, Episcopos captos, Presbyteros, & Clericos interfectos, Ecclesias eversas, equos ad Altaria stabulatos, Martyrum effossas reliquias, & alia similia commemorat, quibus Romanus Orbis ante Urbis Romæ excidium fuerat obrutus. Easdem calamitates, quibus id temporis afflicta est Gallia, *Salvianus* Presbyter Massiliensis, qui & ipse rebus præsentibus aderat, eleganter describit in lib. 6. *de Gubernatione Dei*. Si nomina eorum, qui in hac Barbarorum in Gallias irruptione Martyrium passi sunt, scire aveas, lege Commentarium Historicum de Persecutionis Vandalicæ ortu, progressu, & fine, quem doctissimus P. *Theodoricus Ruinart* Monachus Benedictinus attexuit ad Historiam persecutionis Vandalicæ quinque libris descriptam a *Victore Vitensi*. Gothi etiam anno 412. Rege *Athaulpho* Alarici successore, in Gallias irruperunt, ac multas calamitates in eas intulerunt, quas Cardinalis Baronius ex Prospero in Prologo libri de Providentia, & ex Paulino in Carmine Eucharistico accurate refert, & explicat. Verum Athaulphus Gothorum Rex a Patricio *Constantio* viro strenuo pressus, ut relicta Narbona quam occupabat, Hispanias peteret, per quemdam Gothum apud Barcinonam inter familiares fabulas jugulatus fuit, sicut ait *Idacius* in Chronico. Athaulpho successit *Wallia*, qui pacem cum Romanis pepigit, *Attalum*, quem Alaricus Imperatorem creaverat, Honorio Imperatori tradidit, eidem Gallam Placidiam ejus sororem ab Athaulpho Gothorum Rege sibi connubio junctam reddidit, &, ut cum Romanis firmius percuteret fœdus, suscepit bellum adversus Alanos in Lusitania, & Vandalos Silingos in Bætica pollicitus Romanæ securitati periculum suum contra omnes Barbaros, qui Hispaniam invaserant, ut sibi pugnaret, Romanis vinceret. Honorius Imperator, pace inita cum Gothis, Attalum, quem Alaricus, capta Roma, Imperatorem instituerat, in triumphum, revinctis post terga manibus, tractum, dexteraque abscissa, Liparam relegavit, Placidiam vero sororem suam *Constantio* matrimonio copulavit anno CCCCXVI. Hic ille *Constantius* est, qui Athaulphum Gothorum Regem Narbona, ut jam diximus, expulit, qui tyrannos *Gratianum* in Britannia, & *Constantinum* in Gallia profligavit, quique est res præclare gestas consors imperii factus est anno CCCCXXI. Sed *Constantius* Imperium dumtaxat degustavit, mortuus quippe est eodem anno, & imperavit menses circiter septem. Constantino tyranno in Galliis oppresso, ut jam dixi, a Constantino, tyrannidem arripuit *Constans* filius Constantini. Sed non melior fuit Constantis conditio. Hunc enim *Gerontius* Viennæ in Galliis interemit, in cujus locum substitutus est *Maximus*: at, cum paulo post *Gerontius* fuisset quoque a militibus occisus, purpura exutus *Maximus*, & ab Exercitu desertus in Hispaniam se recepit, ibique exulans obiit. Præter illos devictos tyrannos, *Jovinus* in Galliis, ejusque frater *Sebastianus*, qui Imperatores fuerant acclamati, confestim deleti sunt. Sublatus pariter est a *Marino* Duce Honorii *Heraclianus* Africæ Tyrannus, qui cum innumera classe ex Provincia solverat versus Italiam, ut eam omnino devastaret. Hic ille est *Heraclianus*, qui Stiliconem Ravennæ ad Ecclesiam confugientem ex Honorii Imperatoris mandato occidit, & eo facto Africam Provinciam cum comitiva promeritus fuerat, ut scribit *Zosimus*. His tandem superatis Tyrannis *Honorius* curru triumphali vectus Romam ingressus est, pacemque Italiæ reddidit. Sed paulo post Gothis Galliam iterum infestantibus concessere Romani, ut habitarent loca, quæ a Tolosa ad Oceanum usque interjacent. Mortuus est Honorius Raven-

vennæ atque intercutis morbo anno CCCCXXIII. ætatis suæ 39. Imperii 18. de Catholica Religione bene meritus est, & Hæreticos, præcipue Manichæos, Donatistas, & Pelagianos sanctissimis, ac severissimis coercuit legibus. Sed sororem suam Placidiam, ex quo Constantius maritus ejus vita decesserat, perdite nimis amando Honorius, & os ejus assidue deosculando, turpis, apud multos consuetudinis suspicionem non effugit. Hic tamen amor in tantum brevi versus est odium, frequentibus jurgiis obfirmatum, ut Honorius Placidiam cum filiis suis in Orientem ablegaverit paulo antequam moreretur. (*a*)

„ (*a*) Ad Chronologiam exactius designandam juvat hic nonnulla excerpere e vetustissimo „ Calendario, quod e Cuspiniani Codice acceptum „ luci publicæ dederunt Bollandiani socii tom. 1. „ supplem. ad Junium mensem.

„ *Constantino & Rufo Coss.* (an. 457.) *Ricimer magister militum patricius factus est pridie* „ *Kal. Martias, & factus est Majoranus Magister* „ *militum ipso die. Et levatus est Dom. Majoranus* „ *Kal. Apr. in milliario in campo ad Columellas.*

„ *Severino & Dagalaifo* (an. 461.) *depositus est* „ *Majoranus a Patricio Ricimere Dertona IV. non.* „ *Aug. & occisus est ad fluvium Ira VII. Idus Aug.* „ *& levatus est Imperator Dom. Sev. XIII. Kal.* „ *Decembris.*

„ *Herminerico & Basilio Coss.* (an. 465.) *defunctus est Imperator Severus Romæ XVIII. Kal.* „ *Septemb.*

„ *Prisco & Joanne Coss.* (an. 467.) *levatus est* „ *Dom. Anthemius Romæ pridie Idus Aprilis.*

„ *Festo & Marciano Coss.* (an. 472.) *bellum civile inceptum est Romæ inter Anthemium Imperatorem & Ricimere Patricio. Et levatus est Imperator Olybrius Romæ, & occisus est Imperator* „ *Anthemius V. Idus Julias. Et defunctus est Ricimer XV. Kal. Septemb. Eo anno Gundobadus* „ *Patricius factus est ab Olybrio Imperatore. Et defunctus est Imperator Olybrius Romæ X. Kal. nov.*

„ *Leone Augusto V.* (an. 473.) *levatus est Imperator Glycerius Ravenna, III. Non. Martias.*

„ *Dom. Leone juniore Augusto* (an. 474.) .... „ *de imperio Glycerius in portu urbis Romæ. Eo anno levatus est Dom. Julius Nepos VIII. Kal. Julias.*

„ *P.C. Leonis jun. Aug.* (an. 475.) *introivit Ravennam Patricius Orestes cum exercitu, & fugavit Imp. Nepos ad Dalmatias V. Kal. Septemb.* „ *Eo anno Augustulus Imperator levatus est Ravenna a Patricio Oreste patre suo pridie Kal. Nov.*

„ *Basilisco II. & Armato* (an. 476.) *levatus est* „ *Odoacer Rex X. Kal. Septemb. Eo anno occisus est* „ *Orestes Patricius Placentia V. Kal. Septemb. Eo* „ *anno occisus Paulus frater ejus Ravenna in Pinita pridie Nonas Sept.*

„ Admonuisse juvat chronicon hoc absolvi cum „ anno 493.

D. Recense, quæso, eadem serie Imperatores, qui in quinto Ecclesiæ sæculo post Arcadium summa rerum in Oriente potiti sunt, & deinde progrediemur ad Imperatores Occidentis, ut nomina, & gesta illorum Imperatorum facilius memoriæ mandare possim.

M. *Theodosius* junior, seu II. Arcadii, & Eudoxiæ filius, a patre jam creatus Augustus imperavit in Oriente, vivente adhuc Honorio patruo suo Imperatore Occidentis. Sed mortuo Honorio anno CCCCXXIII. solus totum Imperium Romanum obtinuit. Acceperat a patre suo Arcadio, ut jam diximus, in tutorem Isdigerdem Persarum Regem; Imperium tamen consiliis *Anathemii* Præfecti Prætorio viri id temporis prudentissimi administravit. A *Pulcheria* sorore sua, quæ virginitatem Deo consecraverat, a tenera ætate institutus, tantum in virtute, ac pietate profecit, ut brevi tempore evaserit religiosissimus Princeps, mansuetus, orationi, & sacrorum librorum lectioni addictus, laborumque patientissimus. Anno ætatis suæ vigesimo Theodosius *Athenaidem* Leontii Atheniensis Philosophi filiam de consilio sororis suæ Pulcheriæ uxorem duxit, quam ab Attico Episcopo Constantinopolitano Baptismo initiatam nuncupavit *Eudoxiam*, quæ fæmina fuit eleganti corporis specie prædita, & in omni doctrinæ, & eloquentiæ genere exercitata. Ex ea Theodosius suscepit filiam dictam Eudoxiam, quæ postea Valentiniano III. Imperatori Occidentis nupsit. Leges sanctissimas tulit Theodosius contra Gentiles, Judæos, & Hæreticos; Concilium Generale Ephesinum, annuente Cælestino I. Romano Pontifice, convocavit. Rem litterariam promovit. Viros eruditos fovit. Episcopos, & Sacerdotes summopere coluit. Diem Dominicam, Festosque dies Natalis Domini, Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes, & Apostolorum fœdari, ac violari vetuit Spectaculorum voluptate, aliasque saluberrimas leges promulgavit, quæ continentur in Codice, cujus editionem Clarissimis Jurisconsultis demandavit, quique ejus nomine *Codex Theodosianus* etiamnum appellatur. *Valentinianum* consobrinum suum Cæsarem & Augustum elegit, atque Occidentis partibus præfecit. Adversus *Joannem*, qui, mortuo Honorio Occidentis Imperatore, tyrannidem arripuerat, misit *Ardaburium*, qui tempestate actus Ravennam pulsus est, & in Tyranni manus pervenit. Sed *Aspar* filius Ardaburii, per insigne Dei miraculum introductus Ravennam copiis, Tyrannum oppressit, ac patrem liberavit. Bellum contra Persas per Ardaburium feliciter gessit Theodosius, sed ab *Attila* Hunnorum Rege Thraciam, & Illyricum vastante innumeris damnis affectus annuo tributo pacem emere coactus est. Tandem obiit Theodosius junior Constantinopoli, sive ex morbo, sive ex lapsu ab Equo, die vigesima octava mensis Julii anni CCCCL. ætatis suæ 48. Imperii ab obitu Honorii 27.

D. Quis Imperio Orientis successit Theodosio juniori, quem filiam dumtaxat ex Eudoxia conjuge sua suscepisse narrasti?

M. Mortuo Theodosio juniore, *Pulcheria* ejus soror, & Imperatoris Arcadii filia, conjugium suum, Imperiumque *Flavio Valerio Marciano* humili loco in Thracia nato, sed militia clarissimo, obtulit, ea tamen lege ut pudicitiæ ejus vim non inferret, sed castam vivere pateretur. Annuit Marcianus, & Orientis Imperator salutatus est

est anno ccccl. Pacem & justitiam impense coluit, Christianis favit. Hæreticos acerrime infectatus est, deditque operam, ut ad proscribendam grassantem Eutychianorum Hæresim Concilium Chalcedonense celebraretur. Tandem, cum ad bellum adversus Vandalos sese præpararet, obiit Constantinopoli die septima mensis Februarii anni ccccLVI. anno ætatis suæ 65. Imperii circiter 7.

Post mortem Marciani ad Imperium evectus est *Leo* Thrax genere anno ccccLVII. Princeps clementia, ac pietate inclitus, cui a Deipara fertur promissum Imperium ob charitatis officium, quod præstitit erga cæcum, cui visum etiam illius ministerio restituit B. Virgo, sicut testatur Nicephorus lib. 19. Hist. Eccle. cap. 15. Uxorem duxit Leo Augustus *Berinam*, seu *Verinam* sororem *Basilisci* Patritii Constantinopolitani, ex qua suscepit *Ariadnam*, & *Leontiam*. Gensericum Vandalorum Regem per Marcellinum, & Heraclium Duces suos non semel fudit, Barbarosque Sardinia expulit. Numerosissimam, potentissimamque classem adversus Vandalos Africam infestantes anno ccccLXVIII. instruxit, cui Basiliscum Verinæ Augustæ fratrem præfecit. Sed *Basiliscus* a Genserico, ut creditum est, pretio corruptus, turpissime navali prælio victus est, totamque fere classem amisit: anno tamen sequenti Leo Augustus, ut tantum dedecus Romano nomini inustum dilueret, cum Vandalis iterum conflixit, eosque ita gloriose devicit, ut Gensericus illorum Rex cum Romanis pacem inire coactus fuerit. Multas sacras Ædes, & inter alias Ecclesiam Dei-paræ *ad Fontem* dictam construxit Leo Augustus. Fidem, & Synodum Chalcedonensem contra Hæreticos Eutychianos acerrime tuitus est, Catholicos Episcopos coluit, & leges sua pietate dignas tulit. Demum anno ccccLXXIV. morbo correptus Byzantii vita discessit anno Imperii sui decimo septimo, & *Leonem* filium Zenonis & Ariadnæ, quem obitui proximus Cæsarem renunciavit, Imperatorem reliquit. Sed *Leo* junior ægra valetudine vexatus decem tantum menses cum Zenone patre suo Imperium obtinuit, & anno ætatis suæ 17. extinctus est, patrique suo Zenoni Imperium reliquit.

Zeno itaque cognomento *Isauricus*, quod ex Isauris Ciliciæ ignobili genere oriundus esset, a filio suo Leone juniore Imperator factus regnare cœpit in Oriente anno ccccLXXIV. homo turpis facie, sed moribus turpior. Ab ipso Imperii sui exordio illecebris cupiditatum ita sese totum dedidit, ut nihil esset tam turpe & illicitum, quod impetum ejus cohiberet, ut ait Evagrius lib. 3. cap. 1. quod Theophanes, & Zonaras confirmant, adduntque, eo imperante, subditos gravissima mala esse perpessos. *Basiliscus* Patricius Constantinopolitanus a *Verina* sorore sua Leonis senioris Augusti vidua instigatus, pulso Zenone, Imperium sibi usurpavit, sed cum Basiliscus nihilo meliorem Zenone se gereret, & Hæreticis Eutychianis aperte patrocinaretur, ab iisdem, a quibus fuerat acclamatus, Zeno revocatus est, & Tyrannum Basiliscum devicit. Zeno restitutus Imperio promulgavit anno ccccLXXXII. *Henoticon*, seu unitivum Edictum, quo sub specioso obtentu conciliandæ unitatis, Eutychianos citra suorum errorum ejurationem in Catholicam Ecclesiam suscipiendos esse præcepit. Denique, postquam imperasset annos 17. menses tres, obiit Byzantii anno ccccXCI. ex fraude *Ariadnæ* uxoris suæ, quæ, cum vidisset Zenonem maritum suum ex immodica crapula prolapsum, jussit in sepulchrum deportari, ubi cum Zeno edormisset crapulam, excitatus quidem est, & clamores edidit, sed Ariadna vetuit de industria reserari sepulchrum, quare ibidem Zeno devoratis sibi lacertis, & caligis misere periit.

D. Necdum plane intelligo quid sibi velit istud *Henoticon* Zenonis Imperatoris.

M. *Henoticon* Zenonis nihil aliud est, quam unitivum Edictum, quod ille Imperator, suadente, vel dictante *Acacio* Constantinopolitano Episcopo, promulgavit & ad Ægyptiacæ Diœceseos Antistites, Monachos, Plebemque Christianam direxit animo conciliandæ pacis, & procurandæ Ecclesiarum unitatis. In hoc Edicto non aliud Symbolum admittendum decernit Zeno, quam Nicænum. Approbat duodecim S. Cyrilli Capitula, seu Anathematismos, Nestorium, & Eutychetem damnat Anathemate, sed de Dioscoro silet, ne Alexandrinos offenderet. Synodum Chalcedonensem, & Fidei defensionem in hac Synodo editam, necnon Epistolam S. Leonis Papæ ad Flavianum alto silentio premit, imo damnare audet hanc Sanctam Synodum, si expositæ in suo Edicto fidei contraria sit. Hujusmodi Zenonis Edictum, cum fidei causæ haud parum noceret, & Eutychianis animos adderet, fuit ab omnibus Catholicis rejectum; tum quia non spectat ad Principes laicos quidquam decernere de fide, tum quia etiam Imperator Zeno definitionem fidei factam a Synodo Generali Chalcedonensi, & Epistolam S. Leonis ad Flavianum summo totius Synodi consensu receptam silentio premendo, intempestiva œconomia plus æquo favebat Eutychianis, qui illas execrabantur. Quocirca, sicut *Ecthesim* Imperatoris Heraclii, ut dicemus in Colloquiis septimi sæculi, & *Typum* Constantis Imperatoris optimo jure rejecit Ecclesia ob suppressas *duarum operationum* voces, quibus Monothelitarum Hæresis jugulabatur, ita & *Henoticon* Zenonis Imp. explosit Ecclesia ob suppressam Concilii Generalis Chalcedonensis, & Epistolæ S. Leonis memoriam, obrutasque istas silentio voces *ex duabus*, *& in duabus naturis*, quibus prostrata jacebat Eutychiana Hæresis. Hinc, licet Ecclesia pacis semper amans quadam œconomia usa sit erga Zenonem Imperatorem, quamdiu vixit, nec ejus Edictum diserte damnaverit, ne ipsius animum exacerbaret, & graviora inde mala, & Schismata orirentur, quæ sanare, ac compescere difficile admodum fuisset, attamen, postquam mortuus est Zeno Imperator, & pax Orientalem Ecclesiam inter & Latinam inita est sub Hormisdæ Pontificatu, & Imperio Justini senioris, nomen Zenonis Imperatoris summo totius Ecclesiæ consensu ex sacris Diptychis expunctum est.

D. Quem successorem in Imperio Orientis habuit *Zeno*?

M. *Zeno* successorem habuit sibi omnino similem, *Flavium Valerium Anastasium* e Macedoniæ Urbe *Dyrrachio* ortum, qui ope *Ariadnæ* viduæ Zenonis Imperatoris, cum adhuc in Silentiariorum schola militaret, Imperator factus est, & Ariadnam duxit uxorem. Zenonis decessoris sui *Henoticon* prorsus secutus est Anastasius Imp. nihilque contra illud Edictum innovari voluit. Ex Regia Constantinopolitana Urbe ejecit *Euphemium*, deinde *Macedonium* Episcopos Catholicos, *Flavianum* etiam Orthodoxum Antistitem Antiochia expulit, & impium *Severum* Antiochenæ Ecclesiæ præfecit. Ad obitum usque suum Eutychianam Hæresim fovit, & Ecclesias innumeris perturbationibus afflixit, quas Evagrius luculenter describit lib. 3. Hist. Eccles. cap. 30. Quapropter, Anastasius Reipublicæ commodior fuit, quam Ecclesiæ. *Longinum* fratrem Zenonis Imperatoris tumultuantem vicit, & occidit. Adversus Isaurorum gentem bellum feliciter confecit. Saracenos & Persas Romani Imperii Provincias depopulantes coegit, ut pacem cum Romanis inirent. *Vitalianum* Thracem Præfectum Provinciarum Septentrionalium nova molientem in ordinem redegit. Bulgaros, & Getas in Macedonia, cum ferro vincere nequiret, donis, auroque repulit. Demum *Anastasius*, postquam in Oriente imperasset annis 27. duobus mensibus, & diebus viginti novem, inventus est in Cœnaculo mortuus anno DXVIII. crediturque ictu fulminis interemptus. Ejus memoria toti Ecclesiæ execrabilis fuit, unde illum inter præcipuos Ecclesiæ hostes *Nicolaus* I. Summus Pontifex in Epistola ad Michaelem Imperatorem numerat: *Cogitate*, inquit, *quid Imperatores, qui persecuti sunt Ecclesiam Dei, & maxime Ecclesiam Romanam, idest Nero, Diocletianus, Constantius, Anastasius, & cæteri moris eorum pertulerunt, & ubi modo sint, attendite diligenter, & quantum sit in Ecclesia Dei execrabilis fama eorum, & nomen detestabile, sapienter advertite.* Sed de Imperatoribus Orientis, qui in quinto Ecclesiæ sæculo summa rerum potiti sunt, satis hactenus dictum sit.

D. Quinam fuit status Imperii Occidentis in quinto Ecclesiæ sæculo?

M. Post Honorium Arcadii fratrem, qui, ut iam diximus, mortuo ejus patre Theodosio seniore, imperavit in Occidente annis 27. deploratissimus fuit status Imperii Occidentalis, illudque omnino concidit in quinto Ecclesiæ sæculo. *Valentinianus* quippe III. Constantii Augusti, & Placidiæ sororis Honorii & Arcadii filius, qui anno CCCCXXV. habenas Imperii Occidentis moderari cœpit, Princeps fuit omnibus fere vitiis, crudelitate præsertim, ac libidine inquinatus. Eo imperante, Vandali Africam, Genserico Duce, occuparunt. *Attila* Hunnorum Rex in Gallias irrupit anno CCCCLI. quem tamen Valentinianus, ductu *Aetii* Romani Exercitus Ducis, & cum copiis Burgundionum, Francorum, Alemannorum, & Gothorum, in Campis Catalaunicis, Gallice, *Chalons sur Marne*, devicit. Sed paulo post, *Attila* vires, animosque resumens in Italiam irruit, quam fœdissime devastavit. Aquilejam, Ticinum, Mediolanum, aliaque Æmiliæ, & Liguriæ oppida diripuit, donec ipsi ad Mincium amnem occurrente *S. Leone* Romano Pontifice, non tantum Romæ, sed & universæ Provinciæ pepercit, & ad suas Pannonias reversus est anno 451. Interim *Valentinianus* Occidentis Imperator, post obitum matris suæ Placidiæ eximiæ pietatis fœminæ, in libidines effusus *Maximi* Senatoris uxorem constupravit, ob quam injuriam percitus ira ille Senator, eamque ulcisci volens, occulte Valentiniano Imperatori persuasit, ut *Aetium* Romani Exercitus Ducem rerum gestarum gloria clarissimum per Sicariorum insidias interficeret. Plus æquo credulus Valentinianus, nec fraudem suboderatus, vanis suspicionibus fidem adhibens, nefarium istud consilium executioni mandavit, & Aetium Imperii sui columen & protectorem manu sua in palatio interemit inconsultissimus Imperator. Tunc Aetii milites sui Ducis, quem impense amabant, necem ulciscuntur morte ipsius Valentiniani Imperatoris non sine dolo ejusdem *Maximi* Senatoris, qui protinus Imperium Occidentis occupavit, nuptiisque potitus est *Eudoxiæ* Augustæ Valentiniani Imperatoris viduæ. At non diu *Maximus* suæ proditionis crimen impune tulit. Eudoxia siquidem, quam sibi uxorem duxerat, certa postmodum, Valentinianum maritum suum insidiis & opera *Maximi* fuisse occisum, cum esset magni animi fœmina, mortem Valentiniani ulcisci statuit. Unde *Gensericum* Vandalorum Regem in Africa regnantem in Italiam advocat. Eudoxiæ consiliis facile aurem accommodavit Gensericus, oblatamque Italiæ, ac Urbis ipsius diripiendæ occasionem, ambabus, ut ajunt, manibus arripiens, propere venit in Italiam, quæ ejus inexpectato adventu consternata est. *Maximus* vero terrore perculsus, & fugam meditatus laniatur a suis, atque in Tyberim demergitur, anno Imperii sui circiter secundo. Gensericus, Urbe capta, Leonis Pontificis oratione mitigatus, incendio, cædibus, & libidinibus abstinuit, sed omnes res sacras, profanasque Urbis, quæ immensæ erant, quatuordecim dierum direptione abstulit, multa captivorum millia in Africam abduxit, una cum Eudoxia Augusta, & ambabus ejus filiabus, quarum unam, videlicet *Eudoxiam* Hunerico filio suo conjugem dedit. Alteram vero, seu *Placidiam*, aliquanto post simul cum matre sua Eudoxia Augusta Constantinopolim misit. Hæc Romana clades a Vandalis illata contigit anno CCCCLV. tuncque defecit Imperii majestas in Occidente. Quamvis enim Imperatoris nomine per aliquot deinceps annos nonnulli in Occidente præfuerint, isti tamen pro illegitimis a plerisque recensentur. Et sane supra Imperii insignia & magni nominis umbram, nihil aliud fere obtinuerunt.

D. Breviter expone, quo pacto majestas Imperii defecerit in Occidente, eosque recense, qui ad finem usque quinti Ecclesiæ sæculi Occidenti præfuerunt?

M. Ab anno CCCCLV. quo, ut jam diximus, *Ma-*

Maximus occisus est, & in Tyberim projectus, usque ad annum ccccLxxv. hi, qui Occidenti præfuerunt, vacuum Imperatoris nomen adhuc retinuerunt. Sed anno ccccLxxv. mortuo *Augustulo*, Imperii quoque nomen penitus in Occidente extinctum est. *Odoacer* siquidem Turcilingorum Rex Roma potitus anno ccccLxxvi. Italiæ Regnum instituit. Ut autem plenam status Imperii Occidentalis notitiam habere possis, eos hic recensebo, qui ab anno ccccLv. usque ad finem quinti Ecclesiæ sæculi Occidenti præfuerunt.

Sublato e vivis *Maximo* anno ccccLv. *Flavius Mecilius Avitus* Arvernus patria, Senator tamen Romanus, & Galliarum Prætorio præfectus, a Senatu, & Populo Imperator Occidentis electus est, dum Legatum ageret apud Theodoricum Gothorum Regem anno ccccLv. sed a *Ricimero* Barbarorum ductore prope Placentiam captus, privatam deinceps vitam agere coactus est, postquam imperasset menses decem, & dies octo.

Avito successit *Flavius Julius Majorianus*, qui a Leone Orientis Imperatore Magister militum creatus, & ad Occidentis Imperium occupandum missus, prope Ravennam Imperator acclamatus est anno ccccLvII. Imperavit quatuor annis cum dimidio & occisus est anno ccccLxI. prope Dertonam, quæ nunc *Tortona* dicitur in Liguria a *Ricimero* militiæ Duce, qui pro suo arbitrio Imperatores creabat, vel deponebat.

Interfecto Majoriano, *Libius Severus*, seu Severianus e Lucania oriundus invasit Occidentis Imperium anno ccccLxI. sed sublatus est Romæ per venenum a *Ricimero* anno ccccLxIv. Imperii sui quarto.

Post Interregnum a morte *Severi* duorum annorum, per quod tempus *Ricimerus* universa pro suo nutu in Occidente administrabat, *Anthemius* a Leone Imperatore Orientis Romam missus est, factusque Imperator, consentiente *Ricimero* anno ccccLxvII. *Anthemius* Imperator, ut arctius sibi devinciret Ricimerum, filiam suam conjugem ei dedit. Sed non multo post ingratus *Ricimerus* insidias Socero suo struxit, eumdemque obsessum Romæ cepit, & occidit anno ccccLxxII. cum annos quinque, & menses aliquot imperasset.

Post cædem Anthemii *Flavius Anicius Olybrius* a Ricimero Imperator renunciatus est anno ccccLxxII. & eodem anno obiit Romæ, dubium proprio ne fato, an violento, Imperii sui mense septimo, aut octavo.

Post Olybrium, *Glycerius* Senator Romanus Occidentis Imperator prope Ravennam factus est anno ccccLxxIII. sed postquam imperasset uno anno, & quatuor circiter mensibus, a *Julio Nepote* solio dejectus Salonas pulsus est, ibidem dicitur fuisse consecratus Episcopus.

Julius Nepos Nepotiani filius, pulso, ut mox dixi, Glycerio, Purpuram assumpsit anno ccccLxxIv. sed ab *Oreste* Gotho, cui Exercitus Præfecturam ipse demandaverat, exauctoratus est anno Imperii sui secundo ineunte.

Flavius Momylus Augustulus Orestis filius; ex patris auctoritate suffragiis militaribus Ravennæ factus est Imperator anno ccccLxxv. Verum, a *Nepotis* factione *Odoacer* Turcilingorum Rex, in Italiam vocatus, ingentibus Barbarorum copiis *Orestem* Ticini obsedit, cepit, & coram Exercitu ipsum, ejusque fratrem *Paululum* interfecit. *Augustulum* vero filium Orestis Imperio cedere coactum, in Castrum Lucullanum Campaniæ telegavit, anno primo Imperii necdum expleto. In hoc *Augustulo* Imperii nomen fuit in Occidente prorsus abolitum anno ccccLxxvI. *Coss. Fl. Basilisco II. & Armato*, utroque in Oriente creato. Sic enim habet Marcellinus in Chronico sub hujus anni Consulibus. *Hesperium Romanæ Gentis Imperium, quod septingentesimo Urbis conditæ anno primus Augustorum Octavianus Augustus tenere cœpit, cum hoc Augustulo periit*.

D. Jam observasti, *Odoacrum* Turcilingorum Regem Roma potitum, Italiæ Regnum instituisse anno ccccLxxvI. sed nondum exposuisti, quomodo, & quandiu in Italia regnaverit *Odoacer*.

M. *Odoacer*, Italia subjugata, typho superbiæ non intumuit, sed potius summa, qua pollebat, potestate modestissime usus, titulum Imperatoris suscipere detrectavit, nec alio, quam Regis nomine donari voluit. Regnum *Rugorum* in Germania penitus extinxit, & quamvis Arianus esset, nihil tamen in Religione innovavit. Regnavit septemdecim annis, sed anno Regni ipsius decimo quarto, seu anno Christi ccccLxxxIx. *Theodoricus* Gothorum Rex, hortatu *Zenonis* Imperatoris Orientis, Italiam ingressus Odoacrum triplici conflictu superatum Ravennam fugere compulit, & post triennii obsidionem fraudulenta pactione delusum, ut scilicet ambo communi auctoritate Italiam regerent, illum specie pacis ad convivium adhibitum Theodoricus interfecit Anno ccccxcIII. quo iniit Ostrogothorum in Italia Regnum, fixa Ravennæ Regia Sede.

Theodoricus itaque Gothorum Rex, occiso Odoacro, solus in Italia regnavit, & quamvis Arianæ Hæresi addictus esset, Ecclesiæ tamen Jura sarta tecta conservavit. Schisma in electione Symmachi Romani Pontificis ortum auctoritate sua compescuit. Juris, & æqui fuit observantissimus, eumque multis laudibus efferunt Cassiodorus, & Ennodius Ticinensis. At Theodoricus præclara Regni sui initia turpiter fœdavit non solum morte Boetii, & Symmachi integerrimorum Senatorum, quos gladio sustulit, sed morte *Joannis* Romani Pontificis, quem in carcerem detrusit, ubi pædore, & fame interiit. Regnavit Theodoricus solus in Italia ab anno ccccxcIII. usque ad annum DXXVI. Et hæc sunt, quæ pertinent ad statum Imperii cum Orientis, tum Occidentis in quinto Ecclesiæ sæculo, in quo permultæ factæ sunt Regnorum permutationes, & exordia, *Francorum* videlicet, & *Burgundionum* in Galliis; *Visigothorum* in Hispaniis, *Ostrogothorum* in Italia, *Anglorum* in Britanniæ Insula, *Vandalorum* in Africa (*a*).

„ (*a*) Et hic pariter juvat oculos convertere „ ad Chronicon in superiori nota indicatum.

„ *Basilio Jun.* VI. Cos. (an. 480.) *occiditur* „ *Ne-*

„ *Nepos Imp. VII. Id. Majas. Fausto unico Cos.*
„ (an. 490.) *ingressus est Rex Theodoricus in*
„ *Fossato Pontis Sontis V. Kal. Septembris; & fu-*
„ *git Odoacer, Rex de Fossato, & abiit in Vero-*
„ *nam. Eo anno ingressus est Odoacer Rex de Fos-*
„ *sato et Erulis in Pinita, & occisus est Libila*
„ *Mag. milit.; & ceciderunt populi de utraque*
„ *parte, & clausit se Ravenna Odoacer Rex VI.*
„ *Id. Jul. Et regressus est Rex Theodoricus in Ti-*
„ *tico XI. Kal. Septembr.*

„ *Albino unico Cos.* (an. 493.) *regressus est*
„ *Rex Theodoricus Ariminum, & venit cum Dra-*
„ *mone ad Fossatum Palatioli IV. Kal. Septem-*
„ *bris. Eo anno pugna facta est inter Theodoricum*
„ *Regem & Eusanem Mag. militum inter Triden-*
„ *tum & Veronam.*

„ *Hoc Consule facta est pax inter Dom. Theodo-*
„ *ricum Regem & Odoacrem III. Kal. Martii,*
„ *& ingressus est Dom. Theodoricus in Classem.*

„ *Hoc Consule ingressus est Ravennam Rex*
„ *Theodoricus III. Nonas Martii, & occisus est*
„ *Odoacer Rex a Rege Theodorico in palatio cum*
„ *commilitibus suis.*

„ Hic Chronicon desinit.

D. In variis istis Regnorum permutationibus, & exordiis, fuitne tranquillus Ecclesiæ status, vel persecutionibus exagitatus?

M. Nullis generalibus, sed privatis dumtaxat persecutionibus Ecclesia in quinto sæculo exagitata fuit. *Isdigerdes* Persarum Rex, quem, ut diximus, *Arcadius* Imperator moriens filii sui Theodosii junioris tutorem instituerat, anno decimo quarto Regni sui, hoc est, anno ccccxiv. adversus Christianos Regni sui persecutionem movit. Persecutionis porro ab eo suscitatæ, sicut scribit *Agathias* lib. 4. causam dedit *Abdias* Regiæ Persidis Episcopus, qui divino quidem zelo motus, at non ex rationis norma usus, Templum *Igni* consecratum succendit. Eo cognito, Rex erectas per totam Persidis Regionem Ecclesias everti jussit, Abdiam autem diversis afflixit tormentis. In qua persecutione, quæ ad quintum usque annum propagata est, plures, immo innumeri Martyres declarati sunt. Latentes siquidem Christianos per Urbes, & vicos Magi venatorum more insequebantur. Hæc Isdigerdis persecutio adversus Christianos mota, in ipsius morte, quæ contigit anno ccccxx. non cessavit, sed mortuo Isdigerde Persarum Rege, *Vararanes* ejus filius persecutionem in Christianos continuavit. Martyrum in hac persecutione Persica, quæ ab anno ccccxiv. usque ad annum ccccxliv. arsit, Acta non extant; eorum tamen in Auctoribus, qui hoc sæculo scripserunt, quædam supersunt vestigia. De hac persecutione legendi sunt Socrates lib. 7. Hist. Eccl. cap. 18. & Theodoretus lib. 5. Hist. Eccles. cap. 39. (*a*).

„ (*a*) De Persica sub Isdegerde rege persecu-
„ tione certiora tradit Cl. Assemanus Biblioth.
„ Oriental. tom. I. pag. 182. animadvertens mi-
„ nime inter se cohærere veteres Græcos scripto-
„ res circa exordia persecutionis illius; nam
„ Theodoretus lib. V. cap. 39. ceptam ait occa-
„ sione incensi Pyræi ab Abdia seu Abda Susa-
„ rum Episcopo, Isdegerde regnante; idem quo-
„ que affirmat Theophanes in Chronographia &
„ auctor vitæ S. Euthymii Abbatis, Cyrillus Scy-
„ thopolitanus; Socrates vero lib. VII. cap. 18.
„ affirmat Isdegerdem nulla molestia affecisse
„ Christianos in Perside degentes, quod & tradit
„ Agathias Scholasticus lib. IV. ac Dionysius Ja-
„ cobitarum Patriarcha in suo Chronico apud
„ eundem Assemanum; quatenus scribit excita-
„ tam fuisse in Perside adversus Christianos per-
„ secutionem an. 732. qui Christi est 421. quo
„ & Vararanes Isdegerdis successor cepit. Hoc
„ stante dissidio suspicatur Assemanus Isdegerdem
„ quidem acerbe insectari Christianos cepisse, ea,
„ de qua supra, occasione, sed eum motum tan-
„ dem quievisse usque ad mortem Isdegerdis.
„ Eo defuncto Vararanes ejus filius iterum in
„ Christianos sævire cepisse. Ceterum de mar-
„ tyribus passis sub Vararane pauca extare idem
„ Assemanus agnoscit, & habere se tantummodo
„ in suis codicibus acta gemina testatur, nempe
„ Mahar-Saporis anno Vararani secundo necati,
„ & S. Jacobi Intercisi. Quin & in Scetensi
„ Syrorum Monasterio visa a se acta Abdiæ, seu,
„ ut ipse legit, Abdæ illius, de quo supra testa-
„ tur. Addit S. Jacobi Intercisi martyrium in
„ Chronico Marutæ consignatum scribi an. 733.
„ idest Christi 421. die 27. Tesri posterioris
„ (idest Novembris) feria sexta, ex quo intel-
„ ligimus celebrem hunc Martyrem primo Vara-
„ ranis anno, ut ibi notatur, martyrium consum-
„ masse.

Alia, sed atrociori persecutione *Gensericus* Arianus Vandalorum Rex Ecclesiam in Africa vexavit anno ccccxxxvii. ut fuse Baronius prosequitur ex Prospero in Chronico & ex Epistola Antonini Constantinæ Civitatis Episcopi ad Arcadium quemdam a Genserico in exilium missum, quam integram refert doctissimus *P. Ruinart* in Historia de persecutione Vandalica. Suspicatus est Baronius hanc Epistolam Antonini Constantiniensis Episcopi diversam esse ab Epistola, quæ a Gennadio tribuitur *Honorato* Constantiniensi Episcopo. Sed *Honoratum*, & *Antoninum* Constantiniensem Episcopum, unum & eumdem fuisse, qui *Antonius Honoratus* appellabatur, consentiunt Cl. Scriptores *Ruinart*, & *Pagius*, aliique viri eruditi. In hac Genserici persecutione Ariani Basilicas in Africa sibi vindicarunt, Ecclesiarum opes diripuerunt, tantoque furore in Catholicos debacchati sunt, ut *Victor* Episcopus Vitensis cap. 13. lib. 1. *de Persecutione Vandalica* testetur, illos Hæreticos irruisse in Catholicos, dum Paschalem solemnitatem peragebant, eosdemque incendisse, alios evaginatis ensibus in Ecclesiam introiisse, alios tecta occupasse, & per fenestras Ecclesiæ sagittas emisisse, quarum una Lector, dum in pulpito *Alleluja* cantaret, in gutture transfixus est. *S. Isidorus* in Historia Vandalorum de Genserico eorum Rege sic loquitur: *Siciliam deprædatus Panormum obsedit, Arianam pestilentiam per totam Africam intromittit, Sacerdotes Ecclesiæ pellit, Martyres plurimos efficit, & juxta Prophetiam Danielis, demutatis mysteriis Sanctorum Eccle-*

Ecclesias Christi hostibus tradidit, nec jam divini cultus loca, sed suorum esse habitacula jussit. Quin, & tredecim Provincias recenset Victor Vitensis cap. 17. libri mox a me laudati, quas Gensericus in hac persecutione afflixit. *Quæ vero,* inquit, *in Hispania, in Italia, Dalmatia, Campania, Calabria, Apulia, Sicilia, Sardinia, Brutiis, Venetia, Lucania, Epira veteri, vel Hellada gesserit, melius ibi ipsi, qui passi sunt, miserabiliter lugendo narrabunt.* Hujus Vandalicæ percutionis, quæ sub Genserico Rege sævit in Africa, barbariem *Possidius* in vita S. Augustini cap. 28. describit his verbis: *Omni sæviens crudelitate, & atrocitate, cuncta quæ potuit, expoliatione, cædibus, aliisque innumerabilius, & infandis malis depopulata est, nulli sexui, nulli parcens ætati, nec ipsis Dei Sacerdotibus, & Ministris, nec ipsis Ecclesiarum ornamentis, vel ædificiis, Ecclesias Sacerdotibus, ac Ministris destitutas, Virginesque sacras, & quosque continentes ubique dissipatos, in his alios defecisse tormentis, alios in captivitate partita animi, & corporis integritate; ac fidei, malo more & duro hostibus deservire. Hymnos, & laudes de Ecclesiis deperiisse, & ædificia Ecclesiarum quam plurimis in locis ignibus concremata esse: Solemnia quoque, quæ Deo debentur, de propriis locis defecisse: Sacrificia ac Sacramenta divina, vel non quæri, vel quærenti, qui tradat, non facile reperiri: Ipsosque Ecclesiarum Præpositos, & Clericos, qui forte Dei beneficio, vel in eos non incurrerant, vel incurrentes evaserant, rebus omnibus expoliatos, atque nudatos, egentissimos mendicare, nec eis omnibus ad omnia, quibus fulciendi essent, subveniri posse &c.* Gensericus regnavit in Africa annos 37. obiitque anno 477. Ei successit filius ejus *Hunnericus* Ariana itidem Hæresi infectus, qui tamen, ut scribit sæpe citatus Victor Vitensis lib. 2. mitius & moderatius exordio Regni sui egit in Catholicos. Verum, postquam per quinque priores Regni sui annos in Manichæos, & in suos Arianos sæviisset, tandem sub finem anni sexti Regni sui suum in Catholicos convertit furorem. Duo quippe feralia Edicta adversus ipsos promulgavit, quibus Catholicam Religionem opprimere, & suam Arianam sectam latius propagare molitus est. Tunc enim impius ille Rex Hunnericus, sicut scribit sæpe citatus Victor Vitensis, qui quinque edidit libros, in quibus lugubrem Africanæ Ecclesiæ illis temporibus faciem adumbravit, omnes Catholicorum conventus interdixit, eorum Ecclesias occludi jussit, opes eorum omnes partim sub fisco, partim Episcopis Arianis, eorumque Ecclesiis addixit, Orthodoxis ad summam rerum omnium penuriam redactis, Hospitium, Cibaria, atque vestimenta sub gravibus pœnis suppeditari prohibuit, adeo ut innumeri sub dio, aut in desertis, fame, siti, & frigore interierint. Hac in persecutione diris cruciatibus, & cædibus in omnes Catholicos crudeliter sævitum est. Episcoporum supra ducentorum triginta dejectiones, proscriptiones, exilia, mortes. Venerabiles Christi Sacerdotes, ac Ministri, & Monachi, omnis denique ætatis, sexus, & conditionis homines vexati, torti, mutilati, carceribus non tam inclusi, quam catervatim congesti, & ipsis in sordibus quasi sepulti miserabilia trahentes non tam corpora, quam cadavera. Refert etiam *Procopius* lib. 1. *de Bello Vandalico* cap. 8. complures Catholicos linguis hac in persecutione radicitus excisis, perfecte, distincteque fuisse locutos: *Christianos Africæ*, inquit, *tam crudeliter, tanque injuste nemo vexavit, quam Hunnericus. Cum enim illos ad Sectam Arianam compelleret, quoscumque parum ad hoc sequendum promptos deprehendebat, igne, aliisque suppliciis excruciatos necabat. Multis linguam faucium tenus abscidit, qui etiam nostra ætate superstites Byzantii explanate loquebantur, nullum capientes sensum illius pœnæ. Ex his duo rem habere ausi cum meretricibus sermonis usum amiserunt.* Denique, postquam hæc persecutio duobus annis integris, videlicet toto anno septimo cum parte sexti & octavi anni Regni Hunnerici perdurasset, mortuus tandem est impius ille Rex anno Regni sui octavo nondum expleto, seu anno CCCCLXXXIV. eique successit *Guntabundus*, quem anno tertio Regni sui Catholicis favisse colligitur ex Auctore fragmenti Augustani ab *Henrico Canisio* publicati, qui de Guntabundo Vandalorum Rege hæc narrat: *Guntabundus tertio anno Regni Cœmeterium Sancti Martyris Agilei apud Carthaginem Catholicis dari præcepit, Eugenio Carthaginensi Episcopo jam de exilio revocato. Decimo autem anno Regni sui Ecclesias Catholicorum aperuit, & omnes Dei Sacerdotes, petente Eugenio Carthaginensi Episcopo de exilio revocati sunt.* Ex quo fragmento liquet, Guntabundum tertio saltem Regni sui anno Catholicis favisse, immo & ipsum Eugenium Carthaginensem Episcopum ei fuisse acceptissimum, ex eo colligitur, quod ipsum longe ante cæteros Catholicos Episcopos ab exilio revocaverit, ac postmodum ipsius precibus cæteris quoque Orthodoxis Episcopis, post restitutas illis Ecclesias, redire permiserit in suas Sedes. Hinc tamen, ut optime observat doctissimus *P. Ruinart*, inferre non licet, prioribus Guntabundi Regni annis persecutionem in Africa cessasse, quam jam inchoatam Gutabundum saltem permisisse multo veri similius est. Quæ licentia Arianis furentibus ad multa audendum sufficiebat. Immo, cum Ecclesiæ Catholicorum non fuerint apertæ ante annum decimum Regni Guntabundi, ut ex laudato fragmento ostendimus, credibile est, toto hoc temporis intervallo Catholicos ab Arianis pessime habitos fuisse, ac multa, graviaque ab illis pertulisse incommoda, maxime cum Victor Vitensis lib. 5. *de Persecutione Vandalica* num. XI. testetur, Arianos crudeli Rege Hunnerico crudeliores fuisse: *Crudelius*, inquit, *Arianorum Episcopi, Presbyteri, & Clerici, quam Rex, & Vandali sæviebant.*

D. Ecclesia his persecutionibus vexata, & in tot Regnorum permutationibus, quæ quinto sæculo contingerunt, suscepit ne aliquod incrementum?

M. Haud parvum incrementum suscepit Ecclesia in quinto sæculo per conversionem *Clo-*

dovei

dovei Galliarum Regis, qui post victoriam, quam retulit de Alemannis anno CCCCXCVI. baptizatus fuit die Natali Domini ejusdem anni a S. Remigio Episcopo Remensi, ut testatur *Avitus* Episcopus Viennensis in Epistola ad eumdem Clodoveum scripta, in qua hæc habet : *Gaudeat ergo quidem Græcia , habere se Principem legit nostræ , sed non jam , quæ tanto muneris dono sola mereatur illustrari . Siquidem & occiduis partibus in Rege non novo , novi jubaris lumen effulgurat, cujus splendore congrue Redempturis nostri Nativitas inchoavit , ut consequenter eo die ad salutem regenerari ex unda vos pateat , quo natum Redemptionis suæ Cæli Dominum Mundus accepit* . Tria millia hominum de Exercitu Clodovei Galliarum Regis Baptismum suscepisse ait S. Gregorius Turonensis, sex vero millia *Fredegarius* in Epitome, quos *Hincmarus* in vita S. Remigii sic conciliat: *Baptizantur*, inquit, *de Exercitu Clodovei tria millia virorum , exceptis parvulis & mulieribus :* Eadem die , qua Clodoveus baptizatus est, *Albofledis ejus soror baptizata est, conversa est etiam & alia soror ejus Lantechildis nomine, quæ in Hæresim Arianorum dilapsa fuerat , quæ confessa æqualem Filium Patri , & Spiritum Sanctum , Chrismata est* . Anastasius Papa , ubi accepit Clodoveum Francorum Regem sacro Baptismatis fonte fuisse regeneratum , statim gratulatorias ei litteras per *Eumerium* Presbyterum misit , quas *Dacherius* doctissimus Benedictinus in Spicilegio publicavit, in quibus Summus Pontifex sic ait : *Tuum , gloriose Fili, in Christiana fide cum exordio nostro in Pontificatu contigisse gloriamur . Quippe Sedes Petri in tanta occasione non potest non lætari, cum plenitudinem Gentium intuetur ad eam veloci gradu concurrere, & per temporum spatia expleri sagenam, quam in altum jussus est mittere idem Piscator hominum , & Cælestis Hierusalem beatus Claviger &c.* Sed hæc sufficiant de statu Ecclesiæ in quinto sæculo.

COLLOQUIUM II.

De Hæresibus, quæ Ecclesiam in quinto sæculo infestarunt, ejusque sinum lacerarunt.

D. Quænam sunt Hæreses, quæ Ecclesiam in quinto sæculo exagitarunt?

M. Quatuor præcipue Hæreses in quinto Ecclesiæ sæculo emerserunt, videlicet Pelagianorum, Semipelagianorum, Nestorianorum, & Eutychianorum. Auctor Pelagianorum Hæresis fuit *Pelagius* e Britannia oriundus , Monachus quidem , sed nullis sacris Ecclesiæ dignitatibus insignitus . Unde *Zosimus* Papa in Epistola ad *Aurelium* Primatem Carthaginensem , & Afros Episcopos, eum vocat *laicum*, quia Monachi id temporis ad Sacros Ordines non promoti inter laicos recensebantur. Pelagii Hæresi præluserunt *Origenes, Theodorus Mopsuestenus*, & *Rufinus* Aquilejensis Presbyter , qui postremus Romam sub Pontificatu Anastasii, hoc est, sub finem quarti sæculi veniens, Pelagio Romæ degenti suos errores afflicuit . Constat siquidem Pelagium Romæ diu moratum esse, eumque, ante Rufini Aquilejensis Presbyteri in hanc Civitatem appulsum, Romæ integrum famæ , & purum suspicionis fuisse , immo Sanctum audiisse , & a viris pietate eximiis Hieronymo, Paulino Nolano aliisque dilectum tanquam virum *non parvo profectu Christianum*, ut inquit S. Augustinus *de peccatorum meritis, & remissione* cap. 1. & 3. At Rufinus, teste *Mario Mercatore* in præfatione libri subnotationum, *Pelagium Romæ decepit , eumque ad prædictam apprime imbuit , atque instituit vanitatem* . Pelagius errores, quos imbiberat, aliis instillare volens , edidit Romæ brevissimos in S. Pauli Epistolas Commentarios, quos ipsissimos illos esse , qui libris S. Hieronymi vulgo adjungi solent, egregie probat Eminentissimus *Norisius* in sua Historia Pelagiana.

D. Quos errores disseminavit Pelagius?

M. Errores, quos disseminavit Pelagius ad tres classes revocari possunt. Primo, negabat peccatum originale , & parvulos decedentes sine Baptismo æternæ damnationi esse obnoxios. Secundo , asserebat hominem sine ope gratiæ, per solam naturam, ingenitasque liberi arbitrii vires quodcumque bonum opus elicere posse , & gratiam dari intuitu meritorum. Tertio , docebat , hominem solis liberi arbitrii viribus ad eum perfectionis statum assurgere posse, in quo impeccabilis esset, & haberet ἀπάθειαν , seu passionum impassibilitatem, sicut olim inepte fingebant Philosophi Stoici. Sunt nonnulli Theologi, qui Pelagii Hæresim in quatuor dividunt status . Primum vocant *Ethnicismum*, in quo solum naturam, & meras liberi arbitrii vires admisit Pelagius. Alterum appellant *Semiethnicismum* , in quo gratiæ nomen, naturæ & libero arbitrio tribuit Pelagius, quia ea a Deo beneficia accepimus . Tertium nuncupant *Judaismum* , in quo Pelagius gratiam in lege, & doctrina constituit. Quartum denique statum appellitant *Semichristianismum*, in quo Pelagius gratiam voluntatis , & actionis fassus quidem est , sed non sine errore.

D. Habuitne Pelagius aliquos ad suam propagandam Hæresim Discipulos?

M. Pelagius vehementibus suis, atque ardentibus adhortationibus, ut ait S. Augustinus c. 25. libri *de Gestis Pelagii*, multos , sed *Cælestium* in primis Auditorialem Scholasticum Romæ eo infecit errore, quem ipse a Rufino acceperat. *Huic Pelagio adhæsit Cælestius* (inquit *Marius Mercator* in Commonitorio cap. 4.) *nobilis natu quidem, & illius temporis Auditorialis Scholasticus , sed naturæ vitio Eunuchus matris utero editus* . Ex quibus Marii Mercatoris verbis colligitur , Cælestium Pelagii discipulum , cujus patria parum nota est, e nobili genere fuisse prognatum, *Auditorem Scholasticum*, idest, Advocatum publicarum causarum, Ecclesiarum, & Civitatum; eumque naturæ vitio Eunuchum fuisse. Cum hoc *Cælestio* Pelagius anno CCCCVIII. aut CCCCIX. Roma in Siciliam sese recepit, ubi suam sparsit Hæresim, dum Gothi Italiam depopularentur , Romamque semel, & iterum obsidione cingerent . Biennium Syracusis in Sicilia, aut etiam triennium ferme posuerunt Pelagius & Cælestius. Deinde venerunt in Afri-

Africam, ubi Pelagius relicto Cœlestio, post brevem moram Carthagine solvit in Palæstinam. *Cælestius*, cum Carthagine esset, ad Presbyteratus ordinem promoveri tentavit, sed frustra. Ei quippe obstiterunt fideles Clerici, unusque omnium nomine *Paulinus* Ecclesiæ olim Mediolanensis Diaconus, qui libellum obtulit Aurelio Carthaginensi Episcopo, in quo *Cælestium* multorum errorum insimulavit. Quare *Aurelius* totius Africæ primas Concilium Carthaginense an. CCCCXII. convocavit, cui multi interfuere Episcopi, non tamen S. Augustinus, ut ipsemet testatur lib. 2. *Retractationum* cap. 35. Comparuit in hoc Concilio *Cælestius*, adversus quem stetit Paulinus Diaconus, qui septem erroris Capitula ei objecit. Primo, quod diceret: *Adamum mortalem esse factum qui sive peccaret, sive non peccaret, moriturus fuisset*. Secundo, quod *peccatum Adæ ipsum solum læsit, & non genus humanum*. Tertio, quod *parvuli, qui nascuntur, in eo statu sunt, in quo Adam fuit ante prævaricationem*. Quarto, quod *neque per mortem, vel prævaricationem Adæ omne genus hominum moriatur, neque per Resurrectionem Christi omne hominum genus resurgat*. Quinto, quod *lex sic mittit ad Regnum Cælorum, quomodo & Evangelium*. Sexto, quod *& ante adventum Domini fuerunt homines impeccabiles, idest, sine peccato*. Septimo quod *Infantes, etiamsi non baptizentur, habeant vitam æternam*. Porro, *Cælestius* ad capitulum secundum, & ad tertium sic respondit, ut ea neque confiteri ausus sit, neque etiam inficias ire voluerit, sed ejusmodi quæstiones utramque in partem ventilari posse dixerit. Addidit tamen, se semper asseruisse infantes egere Baptismo. Patres Concilii Carthaginensis, ubi Cælestium audivissent, eum damnaverunt, & anathemate perculerunt. Ipse tamen ad Sedem Apostolicam appellavit, ut latam contra se sententiam declinaret, & ne, uti Hæreticus, palam traduceretur. Verum, cum suæ causæ diffideret *Cælestius*, appellatione neglecta, Ephesum Asiæ Urbem mox contendit, ibique ausus est per obreptionem locum Presbyterii petere. Multos Ephesi suam edocuit Hæresim, quorum ope vicinas Insulas infecit, sed *Rhodum* maxime, sicut scribit S. Hieronymus lib. 4. in Hieremiam. Cum igitur *Cælestius* Pelagianam Hæresim latissime propagaret, hujus Sectæ homines dicti sunt etiam *Cælestiani*. Interim Pelagius in Palæstinam, ut diximus, profectus, sibi Hierosolymæ, perinde ac in aliis Palæstinæ locis Discipulos adscivit, gratiamque aucupari cœpit *Joannis* Hierosolymitani Episcopi, qui illum benigne excepit, quod adversus S. Hieronymum, quo cum simultates gerebat, opportuno præsidio sibi futurus videretur. *Cælestius*, conciliata sibi Joannis Hierosolymitani Episcopi benevolentia, cristas erexit, eoque temeritatis prorupit, ut Sanctum Hieronymum, cujus Commentarios in Epistolam S. Pauli ad Ephesios carpere ausus est, ad certamen provocarit. Sed ei male cessit martis alea, nam S. Hieronymus, & S. Augustinus in illum calamum strinxerunt, ejusque errores tam solide confutarunt, ut victus, ac prostratus fuerit Pelagius. Patrocinium quoque *Joannis* Episcopi Hierosolymitani, quo ille Hæreticos gloriabatur, inutile prorsus reddidit *Orosius* insignis Presbyter, qui ex Hispania, unde oriundus erat, in Africam, dein in Palæstinam veniens anno CCCCXV. declaravit, Cælestium a Concilio Carthaginensi anno CCCCXII. fuisse damnatum, & Pelagii errores ab Augustino, & Hieronymo profligatos esse. *Joannes* Episcopus Hierosolymitanus, ad cujus obsequia, salutationis causa, accesserat *Orosius*, conventum habuit Presbyterorum, in quem non solum introduxit Orosium, sed etiam Pelagium, quem licet laicum, & in crimine Hæreseos deprehensum inter Presbyteros sedere jussit. *Orosius* Latine, *Joannes* Episcopus Hierosolymitanus Græce loquebantur, sic ut uterque Interprete opus haberet, neuter neutrum intelligeret. Institit tamen *Joannes* Orosio, ut ageret accusatorem, seque tunc Judicem acturum. At *Orosius* nolens, ut Joannes, qui Pelagio haud parum favebat, Judex & Arbiter in hac causa sederet, palam professus est Joannem Judicem minus idoneum videri, Pelagium latinum esse, & se itidem latinum, ac subinde Pelagii Hæresim latinis partibus magis notam, ejusdemque linguæ Judicibus esse reservandam. Quibus permotus *Joannes* Episcopus Hierosolymitanus, sicut testatur ipsemet Orosius in sua Apologia, *novissimam sententiam protulit, confirmans postulationem, intentionemque nostram, ut ad Beatum Innocentium Papam Romanum Fratres, & Epistolæ mitterentur, universi quod ille decerneret, secuturi. Sed ut Hæreticus Pelagius imposito sibi eatenus silentio conticesceret, & ut nostri ab insultatione convicti Joannis confusique temperarent. Universi in hanc sententiam consensimus, gratiarum actione celebrata, pace facta, & consummata ad pacis testimonium oratione discessimus.*

Non multo post hunc Conventum Hierosolymitanum Pelagius Hæreseos nomine apud Palæstinos Antistites denunciatus fuit. Ejus accusatores fuerunt *Heros* Arelatensis, & *Lazarus* Aquensis Episcopi, qui suis Sedibus pulsi in Palæstinam secesserant. Hi duo Episcopi errores ex Pelagii & Cælestii libris collectos in libellum retulerunt, hisque adjecerunt tum illos articulos, quorum causa damnatus fuerat Cælestius a Concilio Carthaginensi, tum etiam illos articulos, quo *Hilarius* Syracusanus laicus ad S. Augustinum miserat, ut legere est in Epistola ejusdem Hilarii 156. alias 88. & in Epistola Augustini ad Hilarium 157. alias 89. Scriptum idiomate latino libellum obtulerunt hi duo Episcopi *Eulogio* Cæsariensi Episcopo totius Palæstinæ Metropolitano, sed hujus causæ judicium remissum est ad Synodum Diospolitanam, quæ mense Decembri ejusdem anni CCCCXV. coacta fuit. Huic Synodo interfuerunt quatuordecim Episcopi, sed ab ea abfuerunt *Heros*, & *Lazarus* Episcopi, & *Orosius* Presbyter, ita ut nullus in hac Synodo adesset, qui partes Actoris obiret in Pelagium. Perlectus est libellus, in quo *Heros*, & *Lazarus* Episcopi sententias, seu potius virulenta Pelagii dogmata perscripserant, & Interpretis opera usi sunt Judi-

ces

ces latinæ dictionis ignari. Ast Pelagius ad sibi objecta responsiones eloquio græco reddidit. Quasdam propositiones a se dictas exposuit, & ad sensum Catholicum inflectere studuit, alias propositiones a se nunquam fuisse assertas confidenter asseveravit. Quin, & ab Articulis in Concilio Carthaginensi proscriptis, & a quibusdam *Cælestii* sententiis se abhorrere professus est, sicque per crebra mendacia, & ementitam fidei professionem Pelagius damnationis sententiam declinavit, & innocens ab hac Synodo declaratus est his verbis: *Nunc quoniam satisfactum est nobis prosecutionibus præsentis Pelagii Monachi, qui quidem piis doctrinis consentit, contraria vero Ecclesiæ fidei reprobat, & anathematizat, Communionis Ecclesiasticæ eum esse, & Catholicæ confitemur*. Hinc exultans Pelagius, missis in Provinciam Epistolis, sua dogmata approbata fuisse non paucis persuasit; sed perperam, nam S. Augustinus pluribus in locis asserit, tantum abesse, ut in hac Synodo Diospolitana absolutus fuerit Pelagius, ut suo semet ore damnaverit. Certum tamen est, Pelagium mentalium restrictionum peritum tanta versutia accusantium, & judicantium diligentiam elusisse, ut Patribus Synodi Diospolitanæ fucum fecerit, eisque accusatores suos calumniatores, se vero Catholicum persuaserit. Unde non mirum, si Patres Diospolitani, licet Pelagii Hæresim execrarentur, eum tamen Catholicum se fingentem decepti errore facti absolverint. Qua de causa S. Hieronymus in Epistola 202. alias 24. ad *Alypium*, & *Augustinum*, quæ inter Augustinianas legitur, appellat Synodum Diospolitanam *miserabilem*, non quod errores Pelagii approbaverit, sed quod errore facti ipsum absolverit.

Orosius initio Anni ccccxvi. e Palæstina in Africam navigavit, & literas ab *Herote*, & *Lazaro* Episcopis Gallis scriptas, quæ gesta in Synodo Diospolitana declarabant, secum detulit, easque Africæ Proconsularis Episcopis, qui tum temporis solemnem Synodum Carthagine agebant, exhibuit. Convenerunt ad hanc Synodum Carthaginensem Episcopi 68. qui lectis iis quæ contra Cælestium anno ccccxii. in priori Synodo Carthaginensi statuta fuerant, & gestis in Synodo Diospolitana attente etiam consideratis, Pelagii, & Cælestii errores denuo anathemate confixerunt. Eodem anno Hæresim Pelagianam Synodus Episcoporum Numidiæ, quæ *Milevi* celebrata est, cuique interfuit S. Augustinus, damnavit. Utraque tamen Synodus, sive Carthaginensis, sive Milevitana secunda discusso negotio relationem misit ad Innocentium I. Summum Pontificem, ut ipse in quo residebat Sedis Apostolicæ Principatus, sua firmaret auctoritate quidquid Episcopi censuissent de damnando Pelagio, & Cælestio, eorumque Hæresi. Quinque etiam Africani Præsules, scilicet *Aurelius*, *Alypius*, *Augustinus*, *Evodius*, ac *Possidius*, præter Synodicas Conciliorum Carthaginensis, & Milevitani secundi literas, aliam communi nomine familiarem Epistolam eidem Innocentio Papæ scripserunt, qua totam Pelagii causam uberius apud illum exposuerunt. Ad literas Synodicas Conciliorum Carthaginensis, & Milevitani secundi, sicut ad Epistolam familiarem quinque Episcoporum rescripsit Innocentius Papa die 27. mensis Januarii anni ccccxvii. ac primum quidem nefarium Pelagii dogma condemnavit ut Regulæ Fidei contrarium, & deinde auctores Hæreseos Pelagium, & Cælestium a Communione Ecclesiastica separavit, donec resipiscerent. Hinc S. Prosper in Carmine de *Ingratis* Romanæ Sedi primam Pelagianæ Hæreseos damnationem acceptam refert his versibus:

Pestem subeuntem prima recidit
Sedes Roma Petri, quæ Pastoralis honoris
Facta caput Mundi, quidquid non possidet armis
Religione tenet. ——

D. Concilium Carthaginense anno ccccxii. celebratum Hæresim Pelagianam, ut jam observasti, condemnavit. Idem factitarunt Concilia Carthaginense, & Milevitanum secundum habita anno ccccxvi. Quare igitur S. Prosper scribit Innocentium I. Papam, qui solum anno ccccxvii. Hæresim Pelagianam proscripsit, & Pelagium, & Cælestium a Communione Ecclesiæ separavit, fuisse primum, qui Pelagianam Hæresim condemnavit?

M. Hæc facili negotio conciliari possunt. Quamvis enim Concilium Carthaginense anno ccccxii. indictum a Presbyterio & Ecclesiæ Communione Cælestium, ob errores quos spargebat, repulerit, hæc tamen privata tantum fuit in eum hominem censura, quam Cœlestius appellatione ad Romanam Sedem sese elusisse putabat. Idem dicendum est de Episcopis Africanis in Conciliis Carthaginensi, & Milevitano secundo anno ccccxvi. congregatis. Hi siquidem Episcopi Africani ad Sedem Apostolicam, seu ad Innocentium I. Summum Pontificem referendum esse censuerunt quidquid de damnatione Pelagii, & Cælestii sentiebant. Unde ab Innocentio Papa tamquam a Christi Vicario, & Supremo totius Ecclesiæ Capite ultimam illius causæ definitionem expectabant. Merito igitur S. Prosper Romanæ Sedi, seu Innocentio I. primam tribuit Pelagianæ Hæreseos damnationem.

D. Post definitionem Sedis Apostolicæ fuitne finita causa, & extincta Pelagianorum Hæresis?

M. Post sententiam latam ab Innocentio I. Romano Pontifice finita quidem fuit causa, sed non finitus error. *Cælestius* quippe vaferrimus Sycophanta, qui anno ccccxii. in Concilio Carthaginensi damnatus, Ephesum se contulerat, & inde Constantinopolim venerat, ubi suam Hæresim disseminans ab *Attico* hujus Urbis Episcopo ejectus est, datis ad Episcopos Asiæ, Thessalonicæ, & Carthaginis adversus illum literis, Cælestius, inquam, audita morte Innocentii Papæ, ex Oriente Romam protinus advolavit sub initium Pontificatus *Zosimi*. Huc cum pervenisset *Cælestius*, Zosimo Papæ Synodum in Basilica S. Clementis celebranti libellum porrexit, quo fidem

dem suam testabatur. Ejus professio visa est Zosimo Catholica, non quod Cælestii dogmata in hac professione contenta approbaret Summus Pontifex, sed quod Apostolicæ Sedis judicium amplecti se paratissimum exhiberet. Non putavit tamen *Zosimus*, Cælestium statim esse absolvendum; sed *interposito duorum mensium tempore, donec rescriberetur ex Africa, resipiscendi ei locus sub quadam medicinalis sententiæ lenitate concessum est*, inquit S. Augustinus lib. 2. de Peccato Originali cap. 7. Suas quoque ad Zosimum literas, & professionem fidei misit Pelagius, quibus nimis facile assentiens Pontifex, eum ut Catholicum recepit, duasque hac de re scripsit Epistolas, unam ad Episcopos Africæ, alteram ad *Aurelium* Carthaginensem Episcopum, quibus Sanctos illos Præsules durius increpuit, dolens Pelagii, & Cælestii vices, qui Catholice com saperent, Hæreseos damnati fuissent. Severe etiam perstrinxit *Zosimus Herotem* Arelatensem & *Lazarum* Episcopum Aquensem, eosque absentes, & Episcopatu, & communione privavit. Verum, culpam suam, quam errore facti imprudens admiserat *Zosimus*, postea correxit, eumque excusat S. Augustinus lib. 6. de Peccato Originali cap. 6. his verbis: *Sed multum misericors memoratæ Sedis Antistes* (scilicet Zosimus) *ubi eum*, Cælestium, *vidit ferri tanta præsumptione præcipitem, tanquam furentem, donec, si posset fieri, resipisceret, maluit eum sensim suis interrogationibus, & illius responsionibus colligere, quam districta feriendo sententia, in illud abruptum, quo jam propendere videbatur, impellere*. Sane, statim ac Zosimus a duabus Synodis Africanis accepisset rescripta, & gesta omnia, quæ Pelagii, & Cælestii causam, eorumque damnationem spectabant, & fraudes utriusque Hæretici detexisset, ad pleniorem audientiam Cælestium vocavit. Sed Cælestius male sibi conscius, & artes suas patere, nullumque sibi superesse tergiversandi modum advertens, sese examini subduxit, & Roma excessit, evasit, erupit. Cognita illius fuga, *Zosimus* absque ulla cunctatione tulit in eum, & in Pelagium decretoriam sententiam, universis Mundi Episcopis grandem illam scripsit Epistolam, quæ *Tractoria* appellatur, omnia Conciliorum Africanorum adversus Pelagium, & Cælestium Decreta approbavit, & latam a Decessore suo Innocentio I. in Pelagium, & Cælestium senteotiam confirmavit, misitque *Tractoriam* suam Epistolam, & gesta Synodi Africanæ ad *Honorium* Imperatorem Ravennæ agentem, in qua ab ipso petebat, ut Cælestius, omnesque Pelagiani Urbe pellerentur, & toto Christiano Orbe tanquam Hæretici haberentur, quod lubenti animo executus est Honorius, Edictum Imperiale emittens anno ccccxviii. quo jussit, Pelagium, & Cælestium ex Urbe ejici, omnes istorum Hæresis convictos facultatibus spoliari, ac perpetuo mulctari exilio. Aliam adversus Pelagium, & Cælestium Constitutionem edidit Imperator anno ccccxix. qua non solum priorem renovavit, sed & insuper sanxit, ut Episcopi, qui *Tractoriæ* Zosimi Papæ Epistolæ subscribere renuerent, suis sedibus ejicerentur. Obtemperarunt universi Episcopi, exceptis tamen *Juliano* Pelagianæ Hæreseos Patrono (qui in Apulia natus, Episcopus fuit Urbis *Eclanensis*, quæ est inter Apuliam & Campaniam, Benevento distans viginti milliaribus, & *Frigentum* nunc vocatur) & aliis octodecim ejusdem Pelagianæ factionis Episcopis, qui Zosimi Papæ Epistolæ subscribere detrectantes, non solum Imperialibus legibus, sed & Sacerdotalibus statutis depositi, atque exauctorati omni Italia deturbati sunt. *Julianus*, aliique ejus complices octodecim Episcopi suis Sedibus pulsi libellum fidei obtulerunt *Augustino* Primati Aquilejensi, & Epistolam scripserunt ad *Rufum* Thessalonicensem Episcopum Sedis Apostolicæ Vicarium, in qua postulabant audiri in Concilio Œcumenico, quod tamen eis concessum non est, utpote ad proscribendos illorum errores ubique terrarum jam damnatos minime necessarium. Pelagiani non tantum Roma, sed etiam Constantinopoli, & Ephefo expulsi sunt. E Palæstina quoque, in quam se contulerant, a *Theodoto* Episcopo Antiocheno ejecti sunt. *Cælestius* tamen sub Pontificato *Cælestini* Romam reversus, in gratiam Summi illius Pontificis irrepere tentavit, sed frustra: Nam *Cælestinus* Papa Decessorum suorum vestigiis insistens, & avitæ de gratia doctrinæ, quam strenue defenderat Augustinus, intrepidus assertor, non solum Cælestium, sed & Julianum, cæterosque Sectæ Pelagianæ homines totius Italiæ finibus jussit extrudi. *Julianus* in Ciliciam apud Theodorum Mopsuestenum navigavit, e qua etiam ejectus est post sententiam in Concilio habito in Cilicia, in quo Cælestius cum sua Hæresi damnatus est, ejusque damnationi Theodorus Mopsuestenus saltem verbo tenus consensit. E Cilicia ejectus Julianus nihil non egit, ut suæ Sedi restitueretur, sed cum ejus conatus ad nihilum reciderent, in Siciliam secessit, ubi mortuus est. Denique, Pelagiani, ut res suas afflictas utcumque erigerent, fœdus cum Nestorianis Hæreticis inierunt. Sed una cum illis in Concilio Generali Ephesino anno ccccxxxi. damnati, ad summas angustias redacti sunt, paucique remanserunt per Occidentem hac illac dispersi.

D. Quandonam, & quo pacto exorta est Semipelagianorum Hæresis?

M. Semipelagianorum Hæresi, quæ Pelagianæ appendix, & infaustus surculus est, initium dedit enatum dissidium in Monasterio Adrumetino in Africa occasione Epistolæ S. Augustini ad *Sixtum* Presbyterum, qui postea Romanus Pontifex creatus est. Hanc siquidem Epistolam S.Augustini, quam *Florus* hujus cœnobii Monachus *Adrumetum* transmisit, cum legissent Monachi Adrumetini, in sensus a mente S. Augustini penitus alienos distracti sunt. Quod ubi S. Augustinus per *Felicem*, & *Cresconium* Monachos Adrumetinos compertum habuisset, scripsit, ad Monachos illos instruendos libros *de Gratia*, *& libero Arbitrio*, duasque misit Epistolas ad *Valentinum* cœnobii Adrumetini Præfectum. At librorum *de Gratia*, *& libero Arbitrio* lectio novo errori locum de-

dedit. Cum enim quidam Monachi Adrumetini legissent, omnia bona opera esse Dei dona, inde deduxerunt, neminem esse corripiendum, si præcepta Dei non faceret, sed tantummodo pro illo orandum Deum, ut ipso donante, faceret quod jubebatur. Id S. Augustino *Valentinus* per *Florum* Monachum significavit. Unde S. Augustinus, ut procul ab Adrumetinis omnem errorum caliginem dispelleret, librum *de Correptione*, *& Gratia* inscriptum elucubravit. Sub idem tempus, quo in Monasterio Adrumetino jacta sunt Semipelagianæ Hæreseos semina, *Vitalis* Carthaginensis sese aperte Semipelagianum prodidit, asserendo non aliter posse liberum Arbitrium, & Dei justitiam servari, nisi dicatur, fidei initium non esse donum Dei, sed esse a nobis, idest, ex propria voluntate, itaut quisque pro eo, quod ex libertate naturali fecerit, præmium, vel supplicium sit recepturus. Ab hoc errore S. Augustinus volens revocare *Vitalem*, scripsit ad eum Epistolam 217. alias 107. in qua hunc errorem ex precibus Ecclesiæ confutat, & duodecim Regulas proponit ad fidem Ecclesiæ pertinentes circa quæstionem de Gratia Dei. Semipelagiana Hæresis ex Africa penetravit in Gallias, ubi late propagata est, multosque nacta Patronos, præsertim *Vincentium Lirinensem*, *Faustum* Episcopum Rejensem, *Gennadium*, plures Presbyteros Massilienses, & *Cassianum*, qui non fuit natione Scytha, ut plerisque visum est, sed in Provincia, & forte Massiliis ortus, sicut post *Holstenium* fuse probat Cardinalis *Norisius* cap. 1. lib. 2. Historiæ Pelagianæ. Serpente itaque instar Cancri Semipelagiana Hæresi in Galliis, *Prosper*, & *Hilarius* an. CCCCXXVIII. ad S. Augustinum scripserunt, ut enodaret ipsemet quæstiones a Massiliensibus propositas, ad quos S. Augustinus direxit libros de *Prædestinatione Sanctorum*, *& de Dono Perseverantiæ*. Verum, cum in dies augeretur Semipelagianorum factio, Prosper & Hilarius, qui Augustini doctrinam defendendam susceperant, Romam profecti a Cœlestino Papa anno CCCCXXXI. obtinuerunt Epistolam ad Galliæ Episcopos datam, in qua eos acrius increpuit, quod permitterent, doctrinam S. Augustini a quibusdam Presbyteris impugnari. Huic Epistolæ Cœlestini Papæ adjecta sunt Capitula, quæ S. Leoni Magno aliqui tribuunt. Anno CCCCXCIV. *Gelasius* Papa in Synodo Romana libros Cassiani, ac Fausti damnavit, Sanctorum vero Augustini, ac Prosperi Opera commendavit. Ejusdem *Fausti* Episcopi Rejensis libros nullius in Ecclesia auctoritatis esse declaravit *Hormisdas* Papa in Epistola ad *Possessorem* Episcopum data an. DXX. Denique, Concilium Arausicanum an. DXXIX. celebratum omnes Semipelagianorum errores confixit, ut fusius ostendemus in Colloquiis Sexti Ecclesiæ Sæculi.

D. Quinam fuerunt Semipelagianorum errores?

M. In primis, Semipelagiani existimabant, ad initium fidei, & bonorum operum necessariam non esse gratiam, sed satis superque sufficere vires liberi arbitrii. Sunt tamen gravissimi Theologi, qui asserunt, hunc errorem non fuisse omnibus Semipelagianis communem, multosque extitisse inter illos, præsertim *Cassianum*, *Faustum*, *Gennadium &c.* qui prævenientis gratiæ interioris etiam ad initium fidei, & bonorum operum necessitatem admiserunt, idque colligunt ex Epistola S. Prosperi ad S. Augustinum. Secundo, Semipelagiani docebant, Deum velle indiscriminatim omnium hominum salutem, *si ipsi velint*, eumque non magis velle Electorum, quam Reproborum salutem. Tertio, inficiabantur, prædestinationem fieri secundum propositum Dei, & esse gratuitam, sed eam pendere volebant ex meritis, quæ Deus per scientiam conditionatorum explorabat, etiam in parvulis, qui statim moriuntur post susceptum baptisma. Quarto, gratias sufficientes, præter quas ad actu agendum aliæ ex parte Dei non requirebantur, & quæ quantum ad efficaciam subditæ erant libero hominis arbitrio, omnibus præsto adesse pertendebant. Quinto, dicebant, perseverantiam non esse singulare Dei donum, sed esse in cujuslibet hominis potestate, itaut, *si velit*, perseveret. Denique S. Augustini doctrinam rejiciebant tanquam novam, nimis duram, quæ sub ipso prædestinationis nomine fatalem necessitatem inducebat (*a*).

„ (*a*) Nolo hic contentiosum funem trahere cum Theologo absolutissimo, nec molestam crambem recoquere. Hoc tantummodo fixum menti habere historiæ Ecclesiasticæ studiosos volo, sententiam, quæ vult prædestinationem dependere a prævisione meritorum, quæ scilicet prævisio habeatur a Deo per scientiam conditionatorum, seu scientiam mediam, diu discussam fuisse, acriterque in utramque partem disputatam coram Clemente VIII., ac delectos ab eo viros doctissimos, nullam hæreseos notam tulisse, & catholice adhuc defendi a viris doctissimis, eo quod ejus assertores sustinuerint reprobari illam tantummodo, in sensu Semipelagianorum, tenentium opera illa, per scientiam mediam præcognita opera fore ab ipso tantummodo libero arbitrio absque gratiæ auxilio præstanda, quod utique hæreticum est. Id etiam quod hic habetur de gratia sufficienti omnibus ex æquo præstita, quæ ut sit efficax, libero hominis arbitrio fit, habet hodie patronos suos viros graves, & doctissimos, quorum tamen sententia ideo Catholica censenda est quod liberum hominis arbitrium vires suas habere a gratia teneat, & fateatur. Hæc dicta a me sint, non quasi aliam pro alia defendam opinionem, sed ne credant lectores esse hodie Theologos, qui damnatæ Semipelagianorum opinioni pertinacius adhæreant, eamque in scandalum fidelium innovare præsumant.

D. Præter Pelagianam, & Semipelagianam Hæreses, fuitne exorta in quinto Ecclesiæ sæculo alia Hæresis circa quæstionem de Gratia?

M. Multi moderni Auctores affirmant, erupisse in quinto Ecclesiæ sæculo *Hæresim Prædestinatianorum*, qui, sublato penitus libero arbitrio, omnia Gratiæ accepta referebant. At de illa Prædesti-

destinatianorum Hæresi antiqui Scriptores nullam prorsus mentionem fecerunt, ut multi contendunt. Immo Scriptores noni sæculi *Prudentius Tricassinus*, & *Remigius* Episcopus Lugdunensis contra *Scotum Erigenam* disputantes, negant unquam in rerum natura extitisse Prædestinatianorum Hæresim. Extat tamen Epistola *Fausti* in quinto sæculo Episcopi Rejensis ad quemdam *Lucidum* Presbyterum hisce Prædestinatianorum erroribus infectum, & in duobus libris, quos *de Gratia, & libero Arbitrio* edidit, idem *Faustus* testatur, Prædestinatianorum Hæresim a Conciliis Arelatensi, & Lugdunensi fuisse proscriptam, sibique eam impugnandi provinciam ab utroque Concilio fuisse demandatam. Verum *Fausti* testimonium hac in re non magni ponderis esse videtur, cum certum sit, hunc Episcopum intus & in cute fuisse Semipelagianum, & sub prætextu confutandi Prædestinatianam Hæresim, duos *de Gratia & libero Arbitrio* scripturiisse libros, in quibus data opera S. Augustini de gratuita Prædestinatione sententiam totis viribus impugnat, & Massiliensium, seu Semipelagianorum dogmata dudum a S. Augustino eversa restaurare satagit. Cum igitur *Fausto*, aliisque Semipelagianis solemne esset calumniari discipulos S. Augustini, eisque nova, & absurda perperam affingere dogmata; hinc multi viri eruditi adducuntur, ut credant, hanc Prædestinatianam Hæresim imaginariam fuisse, & sub hoc Prædestinatianorum nomine discipulos S. Augustini a *Fausto*, aliisque Semipelagianis Hæreticis fuisse traductos. Utramque itidem Synodum Arelatensem, & Lugdunensem, itemque *Lucidi* Epistolam, qua suum revocat errorem, fictitias esse, & subdola *Fausti* arte compositas, ut S. Augustini doctrinam sub nomine *Prædestinatianorum* a Synodis Gallicanis Arelatensi & Lugdunensi damnatam venditaret, sentiunt multi hujus temporis viri eruditi. At, cum difficile creditu sit, *Faustum* Rejensem Episcopum potuisse universis Gallicanis Episcopis imponere, eisque falsas Epistolas, & fictitia obtrudere Concilia; magis mihi probatur sententia Cardinalis *Norisii*, qui cap. 15. lib. 2. Hist. Pelagianæ asserit, quosdam in quinto Ecclesiæ sæculo extitisse obscuros, & rudioris intelligentiæ viros, qui, sublato libero arbitrio, omnia Gratiæ tribuebant, & perversas de Prædestinatione, & de morte Christi pro salute hominum opiniones imbiberant, ideoque *Prædestinatiani* appellabantur; eos tamen paucos admodum fuisse, nec unquam in Sectam coaluisse. Certe, *Faustus* unum dumtaxat *Lucidum* Prædestinatianum appellat, ad quem Epistolam direxit, ut eum ab errore abduceret, & ad saniorem mentem revocaret. Testatur etiam *Faustus*, hunc *Lucidum* resipuisse, suorumque errorum palinodiam cecinisse. Nulla ergo fuit in quinto Ecclesiæ sæculo conflata Prædestinatianorum Secta, de qua apud antiquos Scriptores ne vola quidem, ac ullum vestigium apparet.

D. Veniamus nunc ad Nestorianorum Hæresim, cujus ortum, progressum, atque interitum breviter exponas velim.

M. Nestorianorum Hæresis parentem habuit *Nestorium*, qui mortuo *Sisinnio* Episcopo Constantinopolitano, sub fine anni CCCCXXVII. in ejus locum subrogatus est anno CCCCXXVIII. Erat ille Germanicia oriundus Oppidulo Syriæ, & Monachus in Laura S. Euprepii prope Antiochiam. Nestorius Magistrum habuit *Theodorum Mopsuestenum*, a quo suum hausit errorem de Incarnatione Verbi. Magnam sanctimoniæ speciem affectabat, ob quam a Theodosio Imp. Constantinopolim vocatus, illuc venit cum Anastasio Presbytero, intimo omnium consiliorum suorum socio, statimque suam propalavit Hæresim. At enim non solum patienter tulit Nestorius, ut *Anastasius* ille Presbyter, quem secum duxerat, & *Dorotheus* Episcopus magna voce in Ecclesia inclamarent: *Si quis Mariam Deiparam esse dixerit, anathema sit*; sed etiam ipse in Ecclesia, in qua frequens erat Populus, sermonem habuit *de Incarnatione Dominica*, qui totum continet impietatis virus tum primum ab ipso prolatæ. Ad tot Nestorii blasphemias cohorruere omnes Fideles, maximaque fuit Auditorum indignatio, atque animorum commotio. Nestorius tamen paulo post priorem Sermonem, alios ad Populum habuit, in quibus diserte negavit unionem Hypostaticam Verbi Divini, ac subinde Deum vere natum, crucifixum, ac mortuum esse. Prætetea, asseruit, B. Virginem non esse Matrem Dei, sed tantum Matrem Christi, duosque in Christo distinxit Filios, quorum unus esset Filius Dei ab æterno genitus, & Consubstantialis Patri, alter vero ex Maria natus, solum gratia, & adoptione Filius Dei esset. Sic in Christum furenti Nestorio, & totius Incarnationis Dominicæ œconomiam subvertenti plures magnis animis restiterunt. Primus tamen, & unus instar omnium Nestorium impie pro Concione dicentem ausus est verbo palam arguere *Eusebius* simplex laicus, qui postea propter singularem doctrinam, & eximiam pietatem *Dorilæi* Episcopus fuit consecratus. Is quippe constanti animo suæ fidei, & animosæ in novam exortam Hæresim fortitudinis præclarum specimen dedit, obtestationem suam publice in Nestorium proponendo, quo laudabili facto omnium animos in fidei studio confirmavit, & adversus Episcopum *Pauli Samosateni* impia dogmata renovantem mirum in modum inflammavit. Dum Constantinopoli cuncta sic odiis fervent, & omnes in prava dogmata inveherentur, *Nestorius* odium & indignationem Populi nihil moratus, atque ad pestem, quam invexerat, latius spargendam unice intentus, misit per fidos homines in Provincias *Tractatum*, quem ediderat, *de Incarnatione*, cum aliquot Homiliis. His Nestorii scriptis in Ægyptum perlatis, eaque, ut fieri assolet, avide ob novitatem legentibus Monachis, *Cyrillus* Alexandrinus Episcopus necessarium omnino duxit Epistolam scribere ad Aegypti Monachos, eosque præmunire, ne erroribus contentis in Nestorii scriptis, quæ in eorum manus venerant, per imperitam simplicitatem, vel credulam levitatem inficerentur. Scripsit etiam *Cyrillus* ad Nestorium, ut eum ad pœnitentiam, & ad palinodiam provocaret. Quibus Cyrilli literis rescripsit qui-

quidem *Nestorius*, sed non sine gravi Cyrilli accusatione. Hinc contentionis origo, quæ inter illos duarum majorum Orientis Sedium Alexandrinæ & Constantinopolitanæ Antistites postea exarsit. *Nestorius* animum *Cælestini* Papæ, ad quem ipsius scripta delata fuerant, quique illorum lectione fuerat maxime offensus, occupare tentavit, & ad ipsum dedit Epistolam. Cyrillus etiam Alexandrinus Episcopus per *Possidonium* Diaconum literas ad *Cælestinum* Papam scripsit, ut illum de sparsis a Nestorio erroribus certiorem redderet, quibus acceptis, Synodum Romæ habuit Summus Pontifex an. ccccxxx. in qua primo damnatus est *Nestorius*, jussumque, ut depositionis pœna mulctaretur, si intra decimum a denunciatione diem non resipisceret, & Catholicæ Fidei confessioni non subscriberet. Secundo, restituti sunt in Ecclesiæ communionem hi, qui propter fidem a Nestorio ejecti fuerant. Tertio, sententiæ contra Nestorium exequendæ Cyrillo Alexandrino Episcopo munus demandatum est. Denique, septem a Summo Pontifice Cœlestino scriptæ sunt Epistolæ, scilicet *Cyrillo* Episcopo Alexandrino ut Sedis Apostolicæ vice hoc in negotio fungeretur; *Nestorio*, ut, abjecto errore, ad pœnitentiam rediret, *Clero Constantinopolitano*, ut constans in avita fide permaneret, *Joanni* Antiocheno, *Rufo* Thessalonicensi, *Juvenali* Hierosolymitano, *Flavio* Philippensi, ut strenue fidei causam agerent.

Cyrillus Alexandrinus Episcopus, receptis Cœlestini Papæ literis, Concilium Alexandriæ coegit, & ad Nestorium misit Epistolam Synodicam, in qua tria continebantur: videlicet *Fidei expositio*, *denunciatio Sententiæ* a Cœlestino Papa latæ, & *duodecim Anathematismi*, quibus subscribere debebat Nestorius. Quatuor Episcopi a Synodo Alexandrina ad Nestorium missi Constantinopolim appulerunt, literasque Apostolicas *Cælestini*, & Synodicas *Cyrilli* ejus Vicarii dederunt *Nestorio*, quas, ubi legisset versipellis ille Hæresiarcha, confestim intellexit, quanta capiti suo impenderet procella, ad quam declinandam petiit a Theodosio juniore Imperatore ut convocaretur Concilium Generale. Quod revera indictum fuit, & ex universis Diœcesibus Episcopos ad diem Pentecostes anni ccccxxxi. Imperator Theodosius Ephesum vocavit, missis ad majorum Sedium Antistites, *Cælestinum* Romanæ, *Cyrillum* Alexandrinæ, *Joannem* Antiochenæ, *Juvenalem* Hierosolymitanæ, *Rufum* Thessalonicensis, *Capreolum* Carthaginensis, literis. In hac Synodo Generali Ephesina damnatus est *Nestorius*, & sua Sede dejectus. Sed de his, quæ gesta sunt in hac Synodo Generali Ephesina, sicut & de Conciliabulo, quod *Joannes* Antiochenus, qui Nestorii personæ, non tamen doctrinæ plus æquo favebat, una cum suis Episcopis habuit, pacemque universæ Ecclesiæ perturbavit, commodius disseremus in quarto Colloquio, in quo de Conciliis, quæ in quinto Ecclesiæ sæculo fuerunt convocata, sermonem instituemus.

D. Quid continebant, & quibus verbis erant concepti duodecim illi Anathematismi, quos *Cyrillus* misit ad Nestorium ut eis subscriberet?

M. Anathematismus primus his erat verbis conceptus: *Si quis Emmanuelem Verbum Deum, & ob id Sacram Virginem Theotocon esse non confitetur (genuit enim illa incarnatum Dei Verbum secundum Carnem) anathema sit.*

Anathematismus secundus: *Si qui sunt, qui Dei Patris Verbum Carni secundum Hypostasim unitum, & unum tantum una cum sua Carne Christum esse, eumdem nimirum Deum simul & hominem non confiteantur, anathema sit.*

Anathematismus tertius: *Si quis post unionem Hypostases in Christo distinguit, easque dumtaxat conjunctione easdem inter se nectit, quæ est secundum dignitatem, vel auctoritatem, vel potestatem, & non ea potius, quæ est secundum naturalem unionem, anathema sit.*

Anathematismus quartus: *Si quis duabus Personis, vel Hypostasibus eas voces attribuit, quæ in Evangelicis & Apostolicis Scripturis passim occurrunt, quæve a Sanctis de Christo, aut ab ipso Christo de ipso dictæ sunt, & alias quidem homini seorsum a Dei Verbo considerato adscribit, alias vero tanquam in Divinam Majestatem convenientes soli Verbo, quod ex Deo Patre est, accommodat, anathema sit.*

Anathematismus quintus: *Si quis dicere audet, Christum non esse verum Deum, sed hominem tantum Deiferum, utpote unum naturalemque Filium, quatenus nimirum Verbum Caro factum, Carni & Sanguini perinde ac nos communicavit, anathema sit.*

Anathematismus sextus: *Si quis Dei Patris Verbum, Christi Deum, vel Dominum dixerit, neque post Verbum factum secundum Scripturas incarnatum, unum eumdemque Deum simul & Hominem esse confessus fuerit, anathema sit.*

Anathematismus septimus: *Si quis Jesum Christum, Hominem tantum, Divini Verbi vi actum esse dixerit, aut illustrem illam Unigeniti gloriam ipsi homini, veluti alteri cuipiam ab ipso Verbo advenisse commentus fuerit, anathema sit.*

Anathematismus octavus: *Si quis Hominem assumptum una cum ipso Dei Verbo adorandum, una cum illo glorificandum, una cum illo tanquam alterum in altero existentem Deum appellandum esse, dicere ausus fuerit (hunc enim intellectum Particula*, cum, *adjecta perpetuo ac necessario afferre consuevit) & non una potius adoratione Emmanuelem honorat, unamque hactenus illi glorificationem attribuit, quatenus Verbum factum est Caro, anathema sit.*

Anathematismus nonus: *Si quis unum Dominum nostrum Jesum Christum a Spiritu Sancto tanquam a virtute ab se aliena glorificatum dixerit, efficaciamque, qua contra immundos Spiritus uteretur, & divina inter homines miracula operaretur, ab ipso eodem accepisse prædicaverit, & non proprium, naturalemque illius esse Spiritum, per quem divina signa edidit, anathema sit.*

Anathematismus decimus: *Christum Jesum nostræ Confessionis Pontificem & Apostolum extitisse, eumdemque semetipsum pro nobis in odorem suavitatis Deo Patri obtulisse, divina Scriptura commemorat. Si quis ergo dixerit, Pontificem & Apostolum nostrum non esse ipsum Dei Verbum*

postea

postea quam Caro & homo nobis similis factum est: Sed hominem illum, qui ex muliere natus est, quasi alterum quempiam ab ipso diversum: aut si quis Christum pro se ipso quoque, & non solum pro nobis Sacrificium obtulisse affirmaverit (neque enim is oblatione opus habebat, qui nullum peccatum commiserat) anathema sit.

Anathematismus undecimus: *Si quis ipsam Domini Carnem vivificam, ipsiusque Verbi, quod ex patre est: propriam esse negaverit, sed alterius cujusspiam ipsi verbo secundum dignitatem tantum conjuncti, aut divinam tantum inhabitationem sortiti esse dixerit: neque vere rursum vivificam, ut modo meminimus, eo quod Verbi, quod omnia vivificat, facta sit propria, confessus fuerit, anathema sit.*

Anathematismus duodecimus: *Si quis inficiatur Dei Verbum secundum Carnem passum, secundum Carnem crucifixum, mortemque secundum Carnem gustasse, & primogenitum tandem ex mortuis factum esse quatenus videlicet vita est, & vivificum, ut Deus, anathema sit.*

Hi sunt Celeberrimi duodecim S.Cyrilli Anathematismi ab universa Catholica Ecclesia approbati, quibus tamen subscribere nunquam voluit *Nestorius*. Unde in pœnam suæ pervicaciæ cœpit in hoc mundo æternum impiorum experiri supplicium. Nam Theodosii junioris Imperatoris ipsi olim nimium propitii Edicto in exilium fuit deportatus in *Oasim*, ubi, justo Dei judicio, exesa vermibus lingua, qua in Christum, & in Deiparam Virginem Mariam tam horrendas blasphemias evomuerat, ex hac vita ad æterna supplicia migravit. In Nestorii Hæresim fortius & animosius dimicans *Eutyches* Presbyter Archimandrita, seu Abbas cujusdam Monasterii Constantinopolitani in extremum deflexit errorem, novamque Hæresim conflavit, cujus Sectarii dicti sunt *Eutychiani*.

D. Quem errorem docuit iste *Eutyches*, & quem exitum habuit invecta ab illo Hæresis?

M. *Eutyches*, qui, ut mox diximus, Nestorianæ profligandæ Hæresi haud mediocrem operam navaverat, tandem anno CCCCXLVIII. in errorem e diametro oppositum impegit, & utramque naturam, *Divinam* scilicet, & *Humanam* in Christo post Incarnationem promiscue confundens, unicam in Christo admisit naturam, seu *Divinam*, a qua dicebat fuisse absorptum quidquid in Christo apparebat humanum. Ex hoc Eutychetis errore consequebatur, vel naturam divinam esse in se ipsa mutationibus, doloribus, mortique obnoxiam; vel ea, quæ Christus pro nobis passus est, phantastica fuisse, mera Commenta & ludibria. *Eusebius* Dorilæi Episcopus Eutychetem sæpius de hoc abjiciendo errore admonuit, sed cum in eo retinendo obstinate perstaret Eutyches, eum apud *Flavianum* Constantinopolitanum Episcopum accusavit. Hanc accusationem ægre admodum tulit *Eutyches*, & Sancto Leoni Pontifici Romano conquestus est, quod *Nestorianæ Hæresis quorundam rursum studiis pullularet*. Laudavit ejus zelum S. Leo, ac benigne ad illum rescripsit anno CCCCXLIX. interim *Flavianus* Constantinopolitanus Episcopus, apud quem fuerat accusatus *Eutyches* anno CCCCXLVIII. Synodum Constantinopoli coegit ad dirimendam controversiam ortam inter *Florentium* Sardium Antistitem Lydiæ Metropolitanum, & duos Provinciæ suæ Episcopos. Qua finita controversia, actum est in hac Synodo de Eutychete, cui Synodus diem dixit ut coram se sisteret, suæque doctrinæ rationem redderet. Sed *Eutyches* diu tergiversatus venire ad Synodum, tandem comparuit, palamque declaravit, se quidem in Christo ante Unionem, seu Incarnationem Verbi, duas agnoscere naturas, sed post unionem Verbi, unicam in Christo naturam, seu divinam admittere. Hunc a se propalatum errorem, jubentibus licet Episcopis, cum nollet abjicere Eutyches, nec anathema dicere his, qui post Incarnationem in Christo unicam adstruunt naturam, seu divinam, damnatus est, & Presbyteratu, atque Monasterii administratione dejectus. Ab hac Synodi sententia Eutyches ad Leonem Romanum Pontificem appellavit, dictitans, se ab Episcoporum cum Hæresiarcha Nestorio sentientium factione fuisse damnatum, & libellum appellationis ad Sedem Apostolicam, quem obtulerat, non fuisse susceptum. At Eutycheti larvam detraxit Flavianus Episcopus Constantinopolitanus in Epistola ad *Leonem* Romanum Pontificem, in qua illum totius negotii veritatem edocet, omnesque artes & fraudes Eutychetis detegit. Quare *S. Leo* Papa ad profligandum Eutychetis errorem scripsit ad Flavianum illam celebratam adeo Epistolam, quæ postea in Concilio Chalcedonensi tantopere fuit laudata, a Patribus approbata, & ad fidem Ecclesiæ de Incarnatione Christi explicandam retenta, ut per eam, tanquam per Lydium lapidem, sincera doctrina ab adulterina discerneretur.

Dum sic *S. Leo*, & *Flavianus* bono Ecclesiæ consulerent, *Eutyches* libellos supplices porrexit Theodosio juniori Imperatori, in quibus conquerebatur, Acta Synodi Constantinopolitanæ anno CCCCXLVIII. habitæ diminuta, falsataque fuisse. Lectis illis libellis, Theodosius Imperator *Chrysaphii* Eunuchi, quem de sacro fonte susceperat Eutyches, sermonibus deceptus retractari Acta Concilii jussit, & expendere an quid in illis omissum, aut depravatum reperiretur. Anno itaque CCCCXLIX. juxta Edictum Theodosii, habita est secunda Synodus Constantinopolitana, in qua prioris Synodi Acta ad examen revocata sunt, nihilque depravatum, aut immutatum repertum est, sed potius omnia, uti gesta erant, ita scripta esse omnes Episcopi approbarunt. Sic spe sua delusus Eutyches, imploravit patrocinium amici sui Chrysaphii cubicularii Imperatoris, eoque adnitente, obtinuit ut Concilium Œcumenicum Ephesi cogeretur, cui præesset turpissimus *Dioscorus* Episcopus Alexandrinus, infensissimus *Flaviani* inimicus. Hæc Ephesina Synodus, quæ cœpit die VIII. Mensis Augusti anni CCCCXLIX. merito appellatur *Synodus prædatoria*, seu *latrocinium Ephesinum*. In ea quippe tumultuaria Synodo *Eutyches* fuit innocens declaratus & ab excommunicationis vinculo solutus. Legati, quos ad illam Synodum miserat *S. Leo* Papa, pessime habiti fuit. Flavia-

Flavianus Constantinopolitanus Episcopus Catholicæ Fidei vindex damnatus est cum *Eusebio* Dorilæi Episcopo, eamdemque damnationis sententiam subierunt Episcopi *Ibas* Edessenus, *Theodoretus* Cyrensis, & *Domnus* Antiochenus. Quin, quod maximam sapit crudelitatem, *Flavianus*, ob appellationem interpositam ad Sedem Apostolicam, vinculis constrictus est, & plagis adeo contusus, ut animam exhalarit. Quæ omnia, ubi comperta habuisset *S. Leo* Papa, rescidit ac penitus damnavit in Synodo Romæ habita omnia quæ gesta fuerant in illo latrocinio Ephesino, petitque a Theodosio Imperatore ut Concilium Generale in Italia celebraretur. Sed adduci haud potuit Theodosius, ut res semel adversus Flavianum judicatas refricari sineret; immo res gestas in latrocinio Ephesino lege lata firmavit. At mortuo anno ccccl. Theodosio juniore Imperatore, *Marcianus*, qui ei in Imperii administratione successit, voluntati Summi Pontificis obsecundare volens, Concilium Generale Nicææ in Bythinia celebrandum convocavit. Sed quia *Attila* Hunnorum Rex anno ccccli. in Galliis victus Orientem versus tendebat, *Marcianus* Imperator, ne Constantinopolim desereret, Concilium Nicæa transtulit Chalcedonem, illucque omnes Episcopos suis literis accivit. Cœpta est hæc Synodus Generalis Calcedonensis anno ccccli. & in ea primo definitum est contra Eutychetem: Unum eumdemque Christum, Filium, Dominum, Unigenitum ex duabus naturis inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum. Secundo, damnata est prædatoria Synodus Ephesina cum illius Præside Dioscoro Episcopo Alexandrino, qui etiam depositus est. Tertio, *Theodoretus*, & *Ibas* Episcopi fuerunt absoluti. Sed hæc de latrocinio Ephesino, & de Synodo Chalcedonensi obiter dicta sint, de his quippe copiosius dicturi sumus in quarto Colloquio, in quo data opera agemus de Conciliis, quæ habita sunt in quinto Ecclesiæ sæculo.

D. Hæ sunt igitur omnes Hæreses, quæ grassatæ sunt in quinto Ecclesiæ sæculo?

M. Præter illas, quas hactenus recensuimus, Hæreses, tres aliæ, videlicet *Helvidii*, *Joviniani*, & *Vigilantii*, quintum Ecclesiæ sæculum infestarunt, duæ tamen priores *Helvidii*, & *Joviniani* sub finem quarti sæculi pullulare cœperunt. In primis *Helvidius* Romæ infrunito ore asserere ausus est, Mariam Dei-param suæ post partum virginitatis jacturam fecisse, & filios ex carnali cum Josepho congressu procreasse. Insuper, virginitatem & continentiam aversabatur, & nuptias impensius extollebat. *Helvidium* motibus, ingenio, & natalibus abjectissimum fuisse testatur Sanctus Hieronymus in libro, quem ad illius errores confutandos edidit, & in quo sic eum alloquitur: *Quis te, oro, ante hanc blasphemiam noverat? quis dupondii supputabat? consecutus es, quod volebas; nobilis factus es in scelere. Ego ipse, qui contra te scribo, cum in eadem tecum urbe consistam, albus, ut ajunt, aterve sis, nescio.*

Jovinianus Monachus virginitatem, & continentiam non secus ac Helvidius impugnavit, meritorum in hac vita, sicut & præmiorum, quæ Deus post hanc vitam justis retributurus est, inæqualitatem negavit; ad crapulam & libidinem homines excitavit his verbis, quæ S. Hieronymus refert in libris, quos contra illum scripsit: *raro jejunate, crebrius nubite; non enim potestis implere opera nuptiarum, nisi mulseum & carnes, & nucleum sumpseritis. Viribus opus est ad libidinem. Cito caro consumpta marcescit. Nolite timere fornicationem. Qui semel in Christo baptizatus est, cadere non potest; habet enim ad despumandas libidines solatia nuptiarum.* Damnatus est *Jovinianus* in Synodo Mediolanensi, & postea a *Siricio* Papa anno cccxc. S. Augustinus contra illum edidit librum *de bono conjugali*, eumque tanquam barbarum, stupidum & in sermonibus suis confusum perstringit Sanctus Hieronymus sic loquens lib. 1. adversus Jovinianum: *quos cum legissem*, idest Joviniani libros, *& omnino non intelligerem, cœpi revolvere crebrius non verba modo atque sententias, sed singulas pene syllabas, discutere, volens prius scire quid diceret, & sic vel probare, vel redarguere, quod dixisset. Verum, scriptorum tanta barbaries est, & tantis vitiis spurcissimis sermo confusus, ut ne quid loquatur, nec quibus argumentis velit probare, quod loquitur, potuerim intelligere &c.* Denique, anno ccccxii. *Honorius* Imperator dedit Mediolani legem 53. Cod. Theod. *de Hæreticis* in Jovinianum, qui jam Mediolanensi Urbe anno cccxc. profugus ad Diœcesim Romanæ Urbis se receperat, ibidemque extra muros ejusdem Urbis conventus agebat; jussitque Imperator, Jovinianum Hæreticum in Insulam *Boam* in Dalmatia sitam, plumbatis prius cæsum, deportari, omnesque illius ministros, ac erroris participes in alias pariter Insulas inter se diversas ablegari.

Vigilantius natione Gallus, ut *Petrus de Marca* in Opusculo posthumo, Dissertatione *de patria Vigilantii* recte demonstrat, non vero *Calaguritanus* in Hispania, ut visum est Cardinali Baronio, Hæresim suam, quam sub Sanctimoniæ larva diu occultaverat, cœpit evomere anno ccccvi. eamque late sparsit per Galliam, quæ, teste S. Hieronymo in libro, quem contra *Vigilantium* lucubravit, errorum monstra hactenus non habuerat: *Sola Gallia*, inquit S. Hieronymus, *monstra non habuit, sed viris semper fortissimis, & eloquentissimis abundavit. Exortus est subito Vigilantius, seu verius Dormitantius, qui immundo spiritu pugnat contra Christi spiritum.* Vigilantius multos profudit errores, quos nostri temporis Hæretici Calvinistæ, & Lutherani recoxerunt. Impugnavit quippe sacrarum Reliquiarum cultum, invocationem Sanctorum, eorumque miracula. Sugillavit vigilias, & pernoctationes in Basilicis Martyrum a fidelibus celebrari solitas. Jejunia, Clericorum cœlibatum, Virginitatem, & Monasticum Ordinem improbabat, & ad suos tutandos errores librum quartum Esdræ Apocryphum velut Canonicum laudabat. Hos Vigilantii errores invictissimis argumentis protrivit S. Hieronymus, eorumque auctorem *Vigilantium* appellat *Dormitantium*, *Dæmoniacum*, *Cauponem Calaguritanum*, *Mutum*

Quin-

Quintianum, virum libidini frena permittentem, Furiosum, Samaritanum & Judæum, Sacrilegum, Magistrum Cerebrosum, Infelicem hominem, & omni lacrymarum fonte plangendum. Has tamen in speciem acriores objurgationes Sancto Hieronymo non ira expressit, sed zelus pro Dei gloria, & fidei integritate justissime accensus. Unde ipsemet S. Doctor Epistola 53. ad *Riparium* Presbyterum ait: *Fateor tibi dolorem meum, sacrilegium tantum Vigilantii patienter audire non possum. Non est crudelitas pro Deo pietas*. (*a*)

„ (*a*) Vigilantius Presbyter natione Gallicanus erat, ut recte hic adnotatur, & Convenensis, quæ Provincia est Aquitaniæ tertia. Presbyteri dignitatem obtinuit. Principio quidem S. Hieronymo, quem Vigilantius in suo itinere Palæstino invisit, carus fuit, & laudatus, ut ex ejusdem Hieronymi Epistola 49. ad S. Paulinum Nolanum discimus. At vafer hæreticus e peregrinatione sua redux officiis amici non paria rependit; nam calumnias per universam Galliam in illum sparsit tanquam nimis avidum legendi Opera Origenis, & Origenianismi sectatorem; quod & scriptis libellis undique evulgavit. Nec intra hos fines stetit, nam haud diu post, non amico tantum, sed & universæ Ecclesiasticæ doctrinæ renunciavit, in hæresim lapsus, quam apud Gravesonium hic legas. Credibile tamen est dein post refutatos errores ejus a S. Hieronymo resipuisse, palamque errorem suum ejurasse, nam deserta Gallia, ac receptus intra Diœcesim Barchinonensem Ecclesiam ibi usque ad mortem rexerit teste Gennadio de Vir. Illust. cap 35.

D. Zelum S. Hieronymi in his refellendis Hæreticorum erroribus vehementissime laudo, eo potissimum nomine, quod nobis validissima suppeditarit arma ad expugnandos nostri temporis Hæreticos, qui omnes *Vigilantii* blasphemias exceperunt, easque etiamnum populis propinare, ac prædicare non desistunt.

COLLOQUIUM III.

In quo exhibetur series Episcoporum, qui in quinto Ecclesiæ sæculo præcipuas Sedes occuparunt.

M. PUto, te meminisse has esse præcipuas Ecclesiæ Sedes, Romanam, Alexandrinam, Antiochenam, Hierosolymitanam, & Constantinopolitanam. Cum igitur, nemine refragante, Sedes Romana cæteris tum dignitate, tum auctoritate & jurisdictione longe antecellat, necesse est, ut in primis exhibeamus seriem Episcoporum, qui in quinto Ecclesiæ sæculo Sedem Romanam tenuerunt.

Mortuo *Anastasio* Romano Pontifice die XIV. mensis Decembris anni CCCCI. vacavit Sedes Romana dies septem, & die vicesima prima mensis Decembris ejusdem anni festo S. Thomæ Apostoli sacra, *Innocentius* I. natione *Albanensis* creatus est Pontifex Romanus, seditque annos quindecim, menses duos, dies viginti, ac subinde vita functus est die XII. mensis Martii anno CCCCXVII. sicut invictis momentis contra Baronium evincit Cl. *Pagius* ad annum CCCCXVII. Sub Pontificatu Innocentii I. Concilia Carthaginense, & Milevitanum contra Pelagianos in Africa celebrata sunt. Damnavit etiam idem Summus Pontifex Pelagium & Cælestium. Suscepit appellationem Sancti Chrysostomi Episcopi Constantinopolitani in Synodo *ad Quercum* inique damnati, & in ipsum male gesta auctoritate sua rescidit. Multas Epistolas Decretales scripsit, quarum præcipuæ, & ad sanciendam Ecclesiæ disciplinam maxime necessariæ diriguntur ad *Decentium Eugubinum*, ad *Victricium* Rothomagensem, ad *Exuperium* Tolosanum, & ad *Felicem* Nucerianum. Nonnulli asserunt, Innocentium I. anno CCCCVII. scripsisse Epistolam ad *Arcadium* Imperatorem, in qua anathemate perculit omnes persecutores S. Chrysostomi. At Epistolam illam supposititiam esse docent periti Critici, non solum quia hac in Epistola sermo fit de *Eudoxia* Augusta, quam tamen certissime constat supremum diem obiisse anno CCCCIV. hoc est triennio ante datam illam Epistolam; sed etiam quia illius Epistolæ Innocentii I. ad Arcadium nec Palladius, nec Socrates, nec Theodoretus, nec Sozomenus, nec Zonaras auctores Græci, nec aliqui ex Latinis mentionem fecerunt, sed primus dumtaxat *Georgius* Alexandrinus, qui septimo sæculo vixit, ejus meminerit, ex quo postea Nicephorus & Glycas Scriptores Græci eam hauserunt. Idem judicium ferendum esse censent viri eruditi de binis ejusdem Imperatoris Arcadii ad Innocentium Papam Epistolis, quas refert Glycas, Scriptor nec antiquus, nec satis accuratus.

Post mortem *Innocentii* Papæ vacavit Sedes dies tantum VI. & *Zosimus* natione Græcus die XVIII. mensis Martii anni CCCCXVII. ordinatus est Romanus Pontifex. Sedit annum unum, menses novem, & dies novem, migravitque ad Deum die XXVI. Decembris anni CCCCXVIII. hic Summus Pontifex, ut in præcedenti Colloquio observavimus, errore facti deceptus Pelagium & Cælestium innocentes putavit, & pro ipsis scripsit ad Africanos Episcopos. Verum re maturius considerata, & accepta Episcoporum Africanorum relatione, Cælestium ad audientiam vocavit, eumque non comparentem una cum Pelagio damnavit. Epistolam suam *Tractoriam* contra Pelagianos scriptam ad Orbis Episcopos direxit, & ab Honorio Imperatore Rescriptum obtinuit, quo Pelagiani Roma pellerentur. Denique, *Zosimus* Papa Ecclesiæ Arelatensi, in honorem S. Trophimi primi illius Antistitis, non solum Metropoliticam dignitatem in Viennensi Provincia, & jus Ordinationum confirmavit, sed etiam in Narbonensem utramque, potestatem ipsi concessit amplissimam, vetuitque *Proculo* Massiliensi Episcopo, & *Hilario* Narbonensi Antisti, ne ordinationes Episcoporum, absque Arelatensis Episcopi assensu facere præsumerent. Sed de hac lite Viennensem inter & Arelatensem Episcopum, de jure Ordinationum exorta, & in Synodo Taurinensi composita, iterum redibit sermo in sequenti Colloquio, in quo dif-

feremus de Conciliis, in quinto Ecclesiæ sæculo celebratis.

Mortuo *Zosimo*, duo in Romanum Pontificem allecti sunt, *Bonifacius* Presbyter, & *Eulalius* Archidiaconus. Et hoc fuit tertium Schisma, quod Ecclesiam Romanam afflixit. Primum siquidem Schisma fuit *Novatiani* adversus *Cornelium*. Secundum, *Ursicini* contra *Damasum*. Tertium, *Eulalii* contra *Bonifacium*. In tertio isto Schismate Clerus pene omnis Bonifacio adhæsit. *Symmachus* Urbis Romæ Præfectus cum aliis perpaucis *Eulalio* favit, *Honoriumque* Imperatorem falsis suis relationibus decepit. Sed supplici Cleri Romani libello de Bonifacii legitima electione certior factus Imperator, utrumque electum Ravennam accersivit. Habita est in hanc rem Ravennæ Synodus anno ccccxix. Sed re infecta, alia apud Spoletum indicta est Synodus. Interim, utrumque electum Urbe Roma abstinere jussit Imperator, & *Achilleum* Spoletinum Episcopum, qui Pontificis vices in sacris gereret Paschatis tempore, Romam direxit. Mandatis Imperatoris non obtemperavit *Eulalius*, sed moræ impatiens Romam ingressus seditioni faces subministravit. Qua de causa jussit Imperator, ut *Eulalius*, qui Pontificatum invaserat, Roma pelleretur, & ad Symmachum Urbis Præfectum scripsit, ut *Bonifacius* in urbem restitueretur, & tanquam Pontifex legitime electus ab omnibus susciperetur. Statim ac *Bonifacius*, extincto Schismate pacifice sedit, auctor fuit Imperatori Honorio, ut illud emitteret Edictum quo sancivit, quod si deinceps duo electi fuissent, nullus ex his Pontifex esset, sed solum ille in Sede Apostolica permaneret, quem ex numero Clericorum nova ordinatione divinum judicium, & universitatis consensus elegisset. Narbonensis Ecclesiæ jura a *Zosimo* decessore suo in gratiam Ecclesiæ Arelatensis imminuta restituit *Bonifacius*. Sedit iste Pontifex annos tres, menses octo, dies sex. Fuit quippe ordinatus die vigesima nona mensis Decembris anni ccccxviii. & obiit die quarta Septembris anni ccccxxii.

Post mortem *Bonifacii* vacavit Sedes dies sex, & *Cælestinus*, natione Campanus, die decima mensis Septembris anni ccccxxii. Pontifex consecratus est. Sedit annos novem, menses decem, dies novem, & mortuus est die xviii. Julii anni ccccxxxii. Pelagianos Italia expulit Cælestinus, Semipelagianos compressit, *Nestorium* damnavit, præfuit per suos Legatos Synodo Generali Ephesinæ celebratæ anno ccccxxxi. in qua Nestorii Hæresis proscripta fuit. *Novatianis* Ecclesias, quas Romæ habebant, ademit. Morientibus denegandam non esse pœnitentiam, statuit. Denique, decessoris sui Bonifacii decretum circa Narbonensem, & Arelatensem Ecclesiam confirmavit.

Sixtus III. die xxiv. Julii Anni ccccxxxii. in locum *Cælestini* Papæ subrogatus est, & obiit die undecima mensis Augusti Anni ccccxl. Hic est ille *Sixtus*, ad quem, dum adhuc Ecclesiæ Romanæ Presbyter esset, scripsit *S. Augustinus* adversus Pelagianorum errores Epistolam centesimam quintam, secundum veterem ordinem. Sub *Sixti* on-tificatu pax sancita est Cyrillum Alexandri um inter & Joannem Antiochenum, & alios O: en-tales Episcopos anno ccccxxxiii. de qua pac & Nestorii Episcopi Constantinopolitani damn io-ne Sanctus ille Pontifex gratulatorias ad ipso: ni-sit Epistolas. Fertur, hunc Pontificem eodem an-no fuisse ab *Anicio* Exconsule de stupro ac-cusatum, seque ab hoc crimine, Clero, Sena u, & Imperatore præsentibus, in Synodo Romæ ha-bita purgasse. Sed hæc *Sixti* Pontificis accu tio fabularum numero accenseri merito debet. A cta enim, quæ circumferuntur, illius Synodi Ro na-næ de causa & accusatione Sixti Pontificis lsa Consulum nota consignantur, & Anachroni nis scatent. Nec ullum illi fabulæ robur accedi ex Epistola, quæ eidem Sixto Pontifici attribuit r, *ad Episcopos Orientales*; quia illa Epistola su po-sititia est, & mera farrago contexta ex senter tiis Concilii Toletani octavi, Felicis III. Greg orii M. Hadriani I. Codicis tam Theodosiani, q am Justinianei, Aniani Interpretis, & Sixti Pit a-goræi. Ejusdem furfuris sunt Acta *de Synodali accusatione, & expurgatione Polychronii Episcopi Hierosolymitani*, quæ sub Pontificatu Sixti III. Ro næ dicuntur habita. Toto enim Sedis Sixti Papæ tempore, non *Polychronius*, sed *Juvenalis* præfuit Ecclesiæ Hierosolymitanæ. Obsessio etiam Hierosolymorum, quæ hac tempestate facta refertur in illis Actis, mera fabula est. Sub nomine Sixti III. Papæ prostant quædam Opuscula, nempe liber *de Divitiis*, alter *de Castitate*; & Epistola *de malis Doctoribus*, quæ ipsi a peritis Criticis jure ac merito abjudicantur, & viri alicujus Pelagiani fœtus agnoscuntur.

Sixto III. post interpontificium XLI. dierum, *S. Leo*, quem alii patria *Romanum*, alii *Tusciæ* natum dicunt, successit die vicesima secunda mensis Septembris anni ccccxl. sedit annos viginti unum, mensem unum, & dies tredecim, migravitque ad Deum die quarta mensis Novembris anni ccccLxi. ut evincit ad hunc annum doctissimus *Pagius* in sua Critica Baronii. A variis consultus Episcopis *S. Leo* Papa, cognomento *Magnus*, rescripsit Epistolas sapientia, eruditione, & studio in disciplinam Ecclesiasticam conspicuas. Plebem sibi commissam non vitæ solum exemplo excitare, sed etiam piis & eloquentibus Homiliis erudire aggressus est. Manichæos insectatus est, sed præsertim Eutychianæ Hæresi acerrimum bellum indixit, ad quam penitus profligandam scripsit ad *Flavianum* Constantinopolitanum Episcopum Epistolam, quæ a Patribus Concilii Chalcedonensis maximopere laudata & approbata est. Contentionem habuit sanctissimus ille Pontifex cum *Hilario* Arelatensi Episcopo occasione *Celidonii* Episcopi ab Hilario depositi, & hac de causa S. Leo Arelatensem Ecclesiam suis exuit privilegiis, & jura Metropolis in Viennensem transtulit Ecclesiam, ut plenius ostendemus in sequenti Colloquio. At mortuo Hilario Arelatensi Episcopo, placatus *Sanctus Leo* litem prudenter composuit, concedendo

dendo Viennensi Metropoli quatuor Ecclesias, *Valentiam*, *Tarentasiam*, *Genevam*, & *Gratianopolim*; reliquas Arelatensi subjecit Ecclesiæ. Demum, S. ille Pontifex non solum Ecclesiæ, sed etiam Reipublicæ prospiciens, ad *Attilam* Romæ imminentem perrexit, verbis demulsit ferocem animum, iram fregit eloquentia, pacem recipere persuasit, eumque Italia discedere, ac sua relegere vestigia compulit, sicut jam observavimus in primo Colloquio in Historiam hujus sæculi.

Post mortem *S. Leonis* Papæ fuit interpontificium septem dierum, & die duodecima mensis Novembris anni CCCCLXI. *Hilarus* natione Sardus Pontificatum inivit. Sedit annos sex, menses tres, dies X. & obiit die XXI. mensis Februarii anni CCCCLXVIII. hic Summus Pontifex ardentissimum adhibuit studium, ac singularem vigilantiam in procuranda per universam Ecclesiam sacrorum Canonum executione, ac eorumdem transgressione vindicanda. *Mamertum* Viennensem Episcopum, qui Diensi Ecclesiæ, quæ ad Arelatensis Episcopi Diœcesim pertinebat, Episcopum ordinaverat, sedere redarguit, jussitque ut ille, qui Diensis Ecclesiæ fuerat a *Mamerto* Episcopus consecratus, *Leontii* Arelatensis Episcopi, a quo rite consecrari debuerat, arbitrio confirmaretur. Præcepit idem Summus Pontifex, ut *Irenæus*, quem *Nundinarius* Barcinonensis Episcopus, consentientibus Provinciæ Tarraconensis Episcopis successorem sibi designaverat, ab ea re moveretur Ecclesia, aliusque e Barcinonensis Ecclesiæ Clero eligeretur, & ordinaretur Episcopus. Improbavit etiam Factum *Sylvani* Calaguræ in eadem Tarraconensi Provincia Episcopi, qui contra Canones alienum Presbyterum, proprio adhuc vivente Episcopo, in eamdem Ecclesia ordinaverat. Denique, *Ingenuo* Episcopo Ebredunensi vindicavit ac confirmavit jus Metropoliticum in Provinciam Alpium Maritimarum.

Simplicius, patria Tiburtinus, post quatuor dierum a morte *Hilarii* Papæ intervallum, Pontifex Romanus fuit inauguratus die XXV. mensis Februarii anni CCCCLXVIII. præfuit Ecclesiæ Romanæ per annos quindecim & dies sex, obiitque die I. mensis Martii anni CCCCLXXXIII. Sub Pontificatu Simplicii extinctum omnino fuit Imperium Occidentis in persona *Augustuli*, qui fuit ultimus Occidentis Imperator. *Odoacer* siquidem Herulorum Rex Arianus, capta Roma, Regnum Italiæ instituit. *Zeno* Orientis Imperator, sedente Simplicio Papa, haud parum turbavit Ecclesiam, non solum patrocinando pseudo-Episcopis Eutychianis, videlicet *Timotheo Æluro*, & *Petro Mongo* Alexandrinam infestantibus Ecclesiam, necnon *Petro Fulloni* Sedis Antiochenæ invasori, & *Acacio* Constantinopolitano, sed etiam promulgando novam fidei formulam ita callide conceptam, ut in eam Hæretici perinde ac Catholici consentire possent. Quam fidei formulam *Henoticon*, seu Conciliatorium, appellavit. Sed cum in eo *Zenonis* Edicto tacita inesset abrogatio Concilii Chalcedonensis, in quo damnata fuerat Eutychiana Hæresis, ideo *Simplicius* Papa huic Edicto strenue restitit, & Timotheum Ælurum, Petrum Mongum, & Petrum Fullonem damnavit, & ab Ecclesiæ communione rescidit.

Felix III. Papa, post quinque dierum interpontificium, successit *Simplicio* die VI. mensis Martii anni CCCCLXXXIII. seditque annos octo, menses undecim dies XVIII. & ad Deum migravit VI. Kalendas Martii, seu die vicesima quarta Fabruarii anni CCCCXCI. damnavit hic Summus Pontifex *Henoticon* Zenonis, coegitque Romæ Synodum Anno CCCCLXXXIII. in quo missi sunt in Orientem legati *Vitalis* Troentinus Episcopus, & *Misenus* Cumanæ Ecclesiæ Antistes. Sed hæc legatio infeliciter cessit. Nam cum primum hi legati *Abydum* venissent, in custodiam conjecti sunt, eosque Imperator qua minis, qua blanditiis compulit ut communionis societatem cum Petro Mongo Alexandrino, & Acacio Constantinopolitano inirent. Quibus gestis, legati Sedis Apostolicæ operti ignominia & dedecore Romam reversi sunt. At paulo post eorum ex Urbe Constantinopoli discessum, *Felix* Ecclesiæ Romanæ defensor, qui a *Felice* Papa ex latere suo legatus cum *Vitali*, & *Miseno* fuerat missus, cogente morbi necessitate tardius Constantinopolim veniens, ita contumeliose exceptus est ab *Acacio* Episcopo Constantinopolitano, ut nec eum in conspectum suum admittere voluerit. Cum hæc omnia in Oriente inique gesta ad aures *Felicis* Papæ pervenissent, collegit Summus Pontifex. Romæ anno CCCCLXXXIV. Synodum LXXVII. Episcoporum in Basilica S. Petri, in qua *Vitalis*, & *Misenus*, cum legationis sibi mandatæ rationem reddere jussi, vanas rationes causarentur, *Felix* Papa utramque legatum sacerdotio & communione privavit. Deinde, Petrum Mongum Alexandrinum Episcopum, & Acacium Constantinopolitanum a sacerdotali Collegio, & ab Ecclesiastica communione pronuntiavit alienos. Postremo, idem Summus Pontifex anno sequenti, seu CCCCLXXXV. alteram habuit Synodum, in qua ad Zenonem Imperatorem scripsit Epistolam, eique nunciavit, Petrum Fullonem Episcopum Alexandrinum Synodali judicio anathematis sententia damnatum, ex Antiochena Ecclesia, quam invaserat, expellendum esse, & ab ejus communione omnino abstinendum. (*a*)

„ (*a*) Hanc tamen epistolam, quæ Græce, & „ latine extat in collectione Conciliorum Labbeana ex Frontonis Ducæi Interpretatione & cum „ Græco textu a Binio edito fictitiam esse, a „ Græculo quodam fabricatam suspicatus est Valesius Sacr. Obs. ad Evagr. l. I. cui consonare visus „ est Cl. Madejus in suo supl. Acaciano, qui saltem „ interpolatam demonstrat, ac novissime rejectaneam edicunt Ballerini in nova editione operum „ S. Leonis Magni tom. III. p. 145. Sunt tamen qui „ sinceram defendunt. Pagius ad an. 478. n. 9. & ad „ annum 485. n. 23. Ex quo fit ut Synodus Romana in ea indicata anni 485. dubia sit. Caveus idem „ ac Pagius ea de re sentit.

Post *Felicis* III. mortem cessavit Pontificatus die quinque, & *Gelasius* natione Afer die prima mensis Martii anni CCCCXCII. consecratus est Pontifex Romanus. Sedit annos quatuor, menses octo, dies octodecim, & e vivis excessit die decima nona mensis Novembris anni CCCCXCVI. noluit Summus ille

Pontifex, vestigiis sui decessoris insistens, *Euphemium* Constantinopolitanum Episcopum Catholicum licet, & alios Orientis Antistites Ecclesiasticæ communione donare, nisi antehac nomen *Acacii* qui fuerat Episcopus Constantinopolitanus, & a *Felice* III. Papa damnatus, ex Diptychis expungerent. *Misenum* tamen Episcopum, qui ut mox diximus, legatus Constantinopolim missus cum *Acacio* communicaverat, & ob id a *Felice* Papa sacerdotio, & communione fuerat privatus, Sedis Apostolicæ implorantem misericordiam absolvit, & in communionem recepit. Pelagianam Hæresim in Dalmatia, & in Piceno redivivam extinxit. *Lupercalium* superstitionem ea, quæ Pontificem decet libertate, penitus sustulit. Epistolam Decretalem ad Episcopos per Lucaniam, Brutios, & Siciliam constitutos multa disciplinæ Ecclesiasticæ complectentem capita scripsit. Denique, Sanctus ille Pontifex anno CCCCXCIV. Concilium Romæ LXX. Episcoporum celebravit in quo accurato Criterio libros Canonicos Scripturæ Sacræ, Oecumenica Concilia, & scripta Sanctorum Patrum excussit, & certa ab incertis, & genuina ab adulterinis secreta, Apostolico roboravit Decreto, magno Ecclesiæ commodo, & gentium utilitati semper profuturo. (*a*)

„ (*a*) Celebre illud Decretum de libris apo„ chryphis quanquam Gelasio in vetustis codd. „ plerumque tribuitur, in aliis tamen æque ve„ tustis aliis etiam Pontificibus adscriptum est, „ uti Damaso & Hormisdæ. Hoc ideo forte, quia „ Damasus primus ejus conditor fuit; postea con„ firmavit Gelasius, & promulgavit in Romana „ Synodo, auctum tamen, nonnullis adjectis, „ prout temporum suorum ratio postulabat. De„ inum Hormisdas forte iterum auctum tertio „ confirmavit ac publicavit. In meo Lucensi co„ dice, ante annos fere mille exarato, decretum „ illud comparet absque catalogo veteris novique „ testamenti, & adjecto quodam prologo qui in „ editis hnc usque deest, ac Gelasii nomine in„ scribitur. Vicissim autem in Jurensi paris antiqui„ tatis, a Chiffletio edito, Hormisdæ nomen „ præfertur, & catalogus ille utriusque Testamen„ ti legitur.

Mortuo *Gelasio*, cessavit Sedes Pontificia dies sex, & *Anastasius* II. patria Romanus die vicesima quarta Novembris anni CCCCXCVI. Pontifex fuit ordinatus. Sedit annum unum, menses undecim, dies quatuor & viginti, abiitque e vivis die XVII. mensis Novembris anni CCCCXCVIII. gratulatus est *Anastasius* per literas *Clodoveo* Francorum Regi de suscepto ab eo tum temporis Baptismo. Misit etiam legatos ad *Anastasium* Imperatorem ad reconciliandam Ecclesiam Orientalem cum Occidentali, ea tamen lege, ut Orientales Episcopi consentirent, quod *Acacii* nomen inter Episcopos Constantinopolitanos omnino reticeretur.

Post obitum *Anastasii* II. vacavit Sedes quatuor diebus, & die vicesima secunda mensis Novembris anni CCCCXCVIII. *Symmachus* natione Sardus Pontifex ordinatus est, non sine tumultu & schismate. *Festus* siquidem Senator Romanus, qui Imperatori Anastasio pollicitus fuerat, effecturum se ut Pontifex Romanus *Zenonis* Henoticon subscriberet, cumque hanc subscriptionem a Symmacho, qui a majori & seniori parte electus erat Pontifex, obtenturum se diffideret; *Cœlium Laurentium* Archipresbyterum S. Praxedis in Pontificem, seu potius in Antipapam effusis pecuniis eligendum curavit. Quocirca exortis hinc inde inter Populum, Clerum, ipsumque Senatum discordiis, ambæ partes non sine cæde & sanguine ad *Theodoricum* Regem Italiæ Ravennam confugerunt. Rex, etsi Secta Arianus esset, litem adjudicavit *Symmacho*, qui prior fuerat electus. Symmachus itaque Pontificatu potitus Synodum habuit Romæ anno sequenti, seu anno CCCCXCIX. in qua actum est de tollendo ambitu in comitiis Pontificiis, & de præcludenda schismatibus via. Aliam Romæ anno quingentesimo coegit Synodum, in qua, ut *Celius Laurentius*, qui Antipapa fuerat creatus, Ecclesiam turbare desineret, Symmachus eum *Nuceriæ* Episcopum renunciavit. At Schisma, quod videbatur sopitum, acrius recruduit anno quingentesimo tertio. Tunc enim aliqui ex Clero, & nonnulli ex Senatu, maxime *Festus*, & *Probinus* multorum criminum Symmachum Papam accusarunt, & occulte *Laurentium* Antipapam revocarunt, miseruntque ad Regem Theodoricum relationem, ut visitatorem daret. Rex eorum votis annuit, eisque concessit visitatorem *Petrum* Altinæ Civitatis Episcopum, qui in partes *Laurentii* Antipapæ inclinans turbavit omnia, ut testatur *Ennodius* Ticinensis in Apologia pro Symmacho, multosque in Urbe excitavit tumultus, ad quos compescendos *Theodoricus* Rex anno DIII. Concilium Romæ jussit convocari *Palmare* dictum a loco ubi celebratum est, in quo Concilio Symmachus Papa fuit innocens declaratus, & a criminibus falso ei impactis omnino purgatus. Sed de hoc *Palmari* Concilio, sicut & de aliis Synodis, quas Romæ ineunte sexto Ecclesiæ sæculo Symmachus Papa celebravit, commodius agemus in nostris Colloquiis in Historiam sexti Ecclesiæ sæculi. (*b*)

„ (*b*) Chronologiæ huic de annis, quibus sin„ guli Pontifices seculi quinti sederant, ac de in„ terpontificiis, non est cur in omnibus fidamus; „ deducta enim plerumque est ex Anastasii Ponti„ ficali, cujus Codices MSS. in numeralibus no„ tis inter se variant. Est mihi ad manus MS. „ ejus Codex seculi VIII. multum ab edito ex in„ re discrepans, & cum Mediolanensi vetustissi„ mo, a Muratorio collato, plerumque conve„ niens, ex quo hæc speciminis gratia profero. „ Anastasii interpontificium est dierum XXI. In„ nocentii I. dierum XXII. Zozimi sedes est an„ ni unius, mensium III. dierum XXII. inter„ pontificium vero dierum XI. & sic de singulis. „ Cui igitur fidendum sit plane ignoramus. Non „ tamen semper Pagii Chronologiam sollici„ tandam esse judico, cum non raro supputa„ tiones suas aliunde, quam ex Pontificali ac„ ceperit.

D. Seriem Pontificum, qui in quinto sæculo Romanæ præfuerunt Ecclesiæ, nunquam fuisse

inter-

interruptam, nullumve in Sedem Petri Episcopum Hæreticum irrepsisse plane video. Sed an præcipuæ aliæ Sedes, videlicet Alexandrina, Antiochena, Hierosolymitana, & Constantinopolitana eamdem in quinto sæculo sortem obtinuerint, & Catholicos Episcopos continua successione habuerint, nunc a te scire percupio.

M. Sedes Alexandrina, Antiochena, Hierosolymitana, & Constantinopolitana multis factionibus fuerunt in quinto Ecclesiæ sæculo exagitatæ, & in eas intrusi sunt aliquando Episcopi Schismatici, & Hæretici, qui Episcoporum Catholicorum successionem ad tempus interruperunt. Ut autem seriem Episcoporum, qui præcipuas illas Sedes in quinto Ecclesiæ sæculo tenuerunt, perspectam habere possis, incipiam ab Episcopis Ecclesiæ Alexandrinæ, quæ post Romanam Sedem primas tenet.

In primis *Theophilus* ordinatus est Episcopus Alexandrinus die vicesima mensis Julii anni 385. sedit annos XXVII. menses duos, & dies XXVII. & mortuus est die XV. Octobris anni CCCCXII. Graves, ac diuturnas contentiones habuit Theophilus Alexandrinus cum S. Joanne Chrysostomo Episcopo Constantinopolitano, quarum originem & progressum in sequenti Colloquio opportunius expendemus.

Tertio die post Theophili obitum, seu die decimo octavo mensis Octobris anni CCCCXII. *Cyrillus* nepos Theophili consecratus est Episcopus Alexandrinus. Sedit annos triginta duos, & obiit anno CCCCXLIV. Nestorianæ Hæreseos fuit acerrimus impugnator, præfuitque Concilio Oecumenico Ephesino contra Nestorium celebrato Cælestini I. Romani Pontificis nomine. Quidam nuperrimi Scriptores commenti sunt, S. Cyrillum Episcopum Alexandrinum in Carmelo Monachatum fuisse professum. Sed hanc fabulam merito exsufflat Cardinalis Baronius, eamque refellit ex silentio coævorum Auctorum, qui de Monachis id ætatis in Palæstina degentibus amplissimam mentionem fecerunt, illius tamen prætensi Monachatus Sancti Cyrilli ne leviter quidem meminerunt.

Dioscorus anno CCCCXLIV. Sancto Cyrillo in Sede Alexandrina successit, sed, cum Hæresi Eutychianæ aperte faveret, a Synodo Chalcedonensi anno CCCCLI. Episcopatu Alexandrino dejectus, jussu Imperatoris *Marciani* Gangram Asiæ minoris civitatem deportatus est, ubi interiit anno CCCCLIV. Fuit vir moribus turpissimus, Eutychianæ Hæresis fautor. Præfuit latrocinio Ephesino, in quo erga Flavianum Episcopum Constantinopolitanum, & Legatos S. Leonis Summi Pontificis crudelissime se gessit. *Anatolium* in locum Flaviani Episcopum Constantinopolitanum suffecit, eoque tandem temeritatis prorupit, ut a prædatoria Synodo Ephesina reversus Alexandriam, vocatis ad Synodum quibusdam scelestis, ac suis similibus Episcopis, Sanctum Leonem Pontificem Maximum anathemate percellere ausus fuerit.

Deposito *Dioscoro* in Concilio Chalcedonensi anno CCCCLI. *Proterius* post plures tergiversationes, populique tumultus Patriarcha Alexandrinus fuit electus. Illius fides S. Leoni Summo Pontifici primo suspecta fuit eo potissimum nomine, quod *Proterius* olim charus fuisset *Dioscoro*, qui curam tutelamque Ecclesiæ Alexandrinæ illi commiserat, quando ad Pseudo-Synodum Ephesinam profectus est. Verum, postquam *S. Leo* literas accepisset *Marciani* Imperatoris, in quibus de Proterio Alexandrinorum Antistite magnifice loquebatur, eique ipsemet *Proterius* suæ fidei rationem per Epistolam reddidisset; actutum Summus Pontifex Proterio fidei integritatem gratulatus est Epistola 103. quam *Quesnellus* ex Codice Cardinalis *Grimani* una cum aliis ejusdem S. Leonis Pontificis Epistolis publici juris fecit.

Mortuo *Marciano* Imperatore die VII. mensis Februarii anni CCCCLVII. Eutychiani *Timotheum* cognomento *Ælurum* Patriarcham Alexandrinum elegerunt, & in S. Proterium cum tanta rabie irruerunt, ut eum crudeliter trucidarint, laniarint, ejus viscera ferarum more vorarint, cineresque sparserint in ventos. Legesis *Henschenium*, qui multa habet de virtutibus S. Proterii Patriarchæ Alexandrini & Martyris ad diem 18. mensis Februarii, quo colitur a Græcis.

Leo Imperator, qui successit Marciano, Catholicorum Episcoporum, & Clericorum Alexandrinorum libellis supplicibus, precibus, & rationibus permotus *Timotheum Ælurum* interfectorem S. Proterii, Episcopatu Alexandrino, quem invaserat, dejectum Chersonam exilio relegavit anno CCCCLX. & post elapsos quinque menses, in ejus locum *Timotheus Solophaciolus*, idest, *Albus*, Synodi Chalcedonensis defensor, Ecclesiæ Alexandrinæ Episcopus fuit ordinatus, eamque pacifice administravit usque ad annum CCCCLXXVI. quo anno *Basiliscus* Tyrannus, expulso *Zenone* legitimo Imperatore in Isauriam, occupavit Imperium, Chalcedonensem damnavit Synodum, *Timotheum Ælurum* ab exilio revocatum in Sedem Alexandrinam restituit. Sed anno CCCCLXXVII. *Zeno* in Imperium restitutus, & oppresso *Basilisco*, qui tyrannidem arripuerat, Timotheum Solophaciolum Ecclesiæ Alexandrinæ reddidit. Eodem anno mortuus est *Timotheus Ælurus*, & in ejus locum Hæretici Alexandrini subrogarunt *Petrum Moggum*, seu *Mongum*, antea Archidiaconum. Sed eo, jussu Imperatoris Zenonis, dejecto, *Solophaciolus* Ecclesiam Alexandrinam rexit usque ad annum CCCCLXXXII. quo anno mortuo Solophaciolo, *Joannes Talaja*, quem Græci *Tabennisiotam* cognominant, eo quod esset e numero Tabennensium Monachorum, qui apud Canopum Monasterium habitabant, a Catholicis ordinatus est Episcopus Alexandrinus, statimque litteras ex more misit ad *Simplicium* Papam, & ad *Calendionem* Episcopum Antiochiæ, ad Acacium vero Constantinopolitanum Episcopum, cui jam pridem infensus erat, scribere, neglexit. Ea res animum Acacii, qui se a *Joanne* despectum credidit, graviter commovit. Hinc *Acacius* vindictæ cupidus Zenonis Imperatoris animum adversus *Joannem* vehementer exasperavit, insinuans Zenoni,

Joannem minus idoneum Episcopatu Alexandrino videri, quippe qui olim de Ecclesia exire voluisset, & Solophaciolo suasisset, ut nomen *Dioscori* sacris Diptychis insereret. Adhæc, Joannem perjurii reum esse affirmans, quia juraverat olim Imperatori, nunquam se Alexandrinam Sedem ambiturum. Adjecit denique *Acacius* Petrum Mongum Alexandrino Episcopatui magis idoneum esse, utpote gratum & acceptum populo Alexandrino, ejusque opera Ecclesias Urbis Alexandrinæ, ac totius Ægypti ad unitatem & concordiam revocari posse. His speciosis rationibus Acacii permotus *Zeno* scripsit ad *Simplicium* Summum Pontificem, ut *Petrus Mongus* in Sedem Alexandrinam restitueretur, *Joannes* vero, utpote perjurii reus, ab ea omnino arceretur. Rescripsit Imperatori *Simplicius*, se, lecta illius Epistola, suspendisse quidem *Joannis* ordinationis confirmationem, at se nec posse, nec debere in Sedem Alexandrinam restituere *Petrum Mongum*, cum esset Hæreticus, ab Hæreticis postulatus, judicio Apostolico damnatus, & in pristino suo errore adhuc pervicaciter hæreret. Interea *Joannes Talaja*, Sede Alexandrina pulsus Romam venit, & *Simplicio* Papæ, ad quem appellaverat, suasit, ut pro sua causa ad Acacium Constantinopolitanum Episcopum adversus Petrum Mongum scriberet. Quod quidem promto, ac lubenti animo fecit Simplicius Papa, frustra tamen; quia *Acacius* acceptis *Simplicii* literis, respondit, se minime agnoscere *Joannem* Episcopum Alexandriæ, Petrum vero Mongum jussu Zenonis Imperatoris in communionem suscepisse. Sic Sedem Alexandrinam denuo occupavit Petrus Mongus vaferrimus Hæreticus, qui, licet datis ad Simplicium Papam, & ad Acacium Constantinopolitanum literis simulazit, se Synodum Chalcedonensem, & Epistolam S. Leonis Papæ contra Eutychianam Hæresim suscipere ac venerari, postea tamen utramque anathemate confixit, & tam Concilii Chalcedonensis, quam Epistolæ Sancti Leonis infensissimum hostem sese palam exhibuit. Mortuus est Petrus Mongus Alexandriæ anno CCCCXC. & in ejus locum *Athanasius* ejusdem farinæ homo, & Henotici Zenonis defensor promotus est die IX. mensis Februarii ejusdem anni Episcopus Alexandrinus. Sedit annos VII. & e vivis excessit anno CCCCXCVII. Athanasio successit in Sede Alexandrina *Joannes Mela*, seu *Hemula* eadem Hæreseos & Schismatis fuligine maculatus. Sedit annos novem, & obiit anno quingentesimo sexto. Hæc est series Episcoporum, qui in quinto sæculo præfuerunt Ecclesiæ Alexandrinæ, cujus pacem perturbarunt Episcopi Schismatici & Hæretici, eamque in duas factiones diviserunt, aliis *Henoticon* Imperatoris Zenonis amplectentibus, sed Synodum Chalcedonensem damnantibus; aliis vero illud Zenonis concordiæ Edictum suscipientibus, Synodum tamen Chalcedonensem non rejicientibus, indeque invicem inter se pugnantibus. Catholici autem Synodum Chalcedonensem admittebant, & Henoticon Zenonis respuebant.

D. Fuitne etiam interrupta series Episcoporum Catholicorum, qui in quinto sæculo Antiochenæ Ecclesiæ præfuerunt?

M. Ecclesiam Antiochenam variis factionibus in quinto sæculo ab Episcopis Schismaticis, & Hæreticis fuisse perturbatam ac contaminatam, facile percipies percurrendo seriem Episcoporum, qui illius Sedem tenuerunt. Mortuo *Flaviano* Antiocheno Episcopo anno CCCCIV. *Porphyrius* Ecclesiæ Antiochenæ Episcopatum suscepit, & vita functus est anno CCCCXIII. Porphyrio successit *Alexander*, qui vitam protraxit usque ad annum CCCCXX. & in ejus locum suffectus est *Theodorus*, qui Ecclesiam Antiochenam rexit usque ad annum CCCCXXIX. eodem anno *Joannes* consecratus est Episcopus Antiochenus, seditque annos tredecim, & obiit anno CCCCXLII.

Disputant inter se Historiæ Ecclesiasticæ periti, an iste *Joannes* Episcopus Antiochenus Nestorii Hæresi faverit, nec ne? Hi, qui Joannem Antiochenum non tantum Nestorii personæ, sed & Hæresi favisse autumant, duobus fulciuntur momentis. Primum est, quod Synodus Œcumenica Ephesina passim asserit, *Joannem* Antiochenum cum Nestorio sentire. Alterum est, quod *Joannes* Antiochenus una cum aliis Episcopis Orientalibus duodecim Sancti Cyrilli Episcopi Alexandrini Anathematismos Nestorianis erroribus oppositos exploserit, atque impugnarit. Verum, alii probabilius docent, Joannem Antiochenum plus æquo quidem favisse personæ Nestorii, eum tamen ab illius errore semper fuisse alienum. Id aperte satis colligi posse videtur ex illa Epistola, quam *Joannes* Antiochenus scripsit ad Nestorium, in qua ipsum ad erroris palinodiam vehementer adhortatur, eumque obnixe rogat, ut, abdicatis omnibus præjudiciis, Virginem Mariam, juxta SS. Patrum doctrinam, vere *Deiparam* esse agnoscat. Hinc Sixtus III. Summus Pontifex in Epistola ad Cyrillum Alexandrinum diserte asserit, Joannem Antiochenum dogmatibus Nestorii nunquam adhæsisse. Idemque testatur *Leontius* lib. de Sectis actione quarta. Verum quidem est, Joannem Antiochenum rejecisse, & impugnasse XII. Sancti Cyrilli Alexandrini adversus Nestorium Anathematismos; sed hoc non errore juris, ut ajunt, sed errore facti deceptus præstitit Joannes Antiochenus. Existimavit quippe, sed falso, Cyrillum Alexandrinum in XII. illis Anathematismis in extremum alium errorem, & Nestoriano errori e regione oppositum deflexisse, atque *Apollinaris* Hæretici venenum propinasse. In hoc errore facti adversus XII. S. Cyrilli Anathematismos, non solum *Joannes* Antiochenus; sed multi alii Episcopi Orientales versabantur, quamvis sanam & illibatam Ecclesiæ doctrinam contra Nestorium tuerentur. Cæterum negari non potest, *Joannem* Antiochenum, tum ex illo nimio studio impugnandi Sancti Cyrilli adversus Nestorium Anathematismos, tum etiam ex eo Orientalium Episcoporum conciliabulo, quod coegit, nolens interesse Concilio Generali Ephesino contra Nestorium congregato; tum denique ex vocibus quibusdam ambi-

ambiguis atque suspectis, quibus fidem suam ante initam pacem exponebat, justam Patribus Ephesinis ansam præbuisse, existimandi, quod prava Nestorii dogmata propugnaret. Ast rebus postea accuratius discussis, innotuit Patribus Concilii Ephesini, *Joannem* Antiochenum, aliosque ipsi adhærentes Episcopos Orientales profanas Nestorianarum vocum novitates damnare, & constanter profiteri, Sanctam Virginem Mariam vere Dei Genitricem esse, ut videre est in Epistola S. Cyrilli ad *Valerianum* Iconii Episcopum, quæ refertur a *Liberato* in Breviario cap. 9. Quin & *Joannes* Antiochenus in Epistola ad *Theodosium* Imperatorem. Sic Nestorium damnavit, ut nullum de recta sua fide dubitandi locum reliquerit: *& depositum*, inquit, *sive damnatum habemus Nestorium ..... Anathematismo subjicientes quæcumque ab eo aliene, ac peregrine dicta sunt contra Apostolicam doctrinam*. Joannes igitur Antiochenus Hæresi Nestorii nunquam suffragatus est, quamvis illius personæ impensius, quam par fuisset, faverit.

Joanni Antiocheno Episcopo anno CCCCXLII. vita functo, successit in Sede Antiochena *Domnus*, Joannis ex sorore nepos, vir fuit dubiæ fidei, imprudentis consilii, variæque fortunæ. *Theodorum* Mopsuestiæ Episcopum Nestorianæ Hæreseos assertorem defendit, ob idque ab Episcopis Pseudo-Synodi Ephesinæ, *Latrocinii* nomine satis notæ, anno CCCCXLIX. depositus est. Misit quidem in irritum *S. Leo* Papa omnia illius prædatoriæ Synodi Acta, & restituit Episcopos, quos illa e suis sedibus dejecerat; *Domnum* tamen in Sedem Antiochenam non restituit, sed potius confirmavit ordinationem *Maximi*, qui ab Anatolio Episcopo Constantinopolitano, jussu Imperatoris in locum *Domni* fuerat consecratus Episcopus Antiochenus. *Domno* autem Sede Antiochena dejecto, annuum ex Ecclesiæ Antiochenæ redditibus censum, annuente Concilio Chalcedonensi, concessit *Maximus*, ut constat ex actione, quæ de *Domno* Antiocheno inscribitur, & Actis Concilii Chalcedonensis, post actionem decimam inserta est, quamque genuinam & sinceram esse contra *Quesnellum* Dissertatione nona in Opera S. Leonis, & *P. Natalem Alexandrum* Dissertatione decima septima in Historiam quinti Ecclesiæ sæculi, evincunt Clarissimus *Baluzius* in nova Conciliorum collectione, præfatione in Acta Concilii Chalcedonensis, & doctissimus *Pagius* in Critica Baronii ad annum CCCCL. *Domnus* rexit Antiochenam Ecclesiam annis octo, juxta Nicephorum in Chronico, & Tabulas Theophanis. (*a*)

„ (*a*) Sinceritas historiæ de Domno, quam
„ Quesnellius sollicitat, multo præ ceteris eviden-
„ tius demonstratur a Balleriniis fratribus in suis
„ observationibus ad Dissert. IX. Quesnelli. A-
„ nimadvertunt enim viri isti doctissimi in Cod.
„ Vatic. 1322. ante annos mille exarato extare
„ tres actiones latinas *ex græco*, ut ibi legitur,
„ translatas; in his vero duabus mentionem fieri
„ historiæ hujus de Domno. Has vero actiones
„ ibidem demonstrant ex græco latine factas ante
„ versionem Rustici, quæ unice in actis vulgatis
„ repræsentatur; ex quo fit ut vanus sit Quesnel-
„ lus, qui ex eo validum opinionis suæ argumen-
„ tum inde deduxit, quod Rusticus in græcis a-
„ ctis se id non reperisse testetur, suspicaturque
„ Rusticum eandem historiam fabricasse. Forte
„ enim Rustico græcus codex minus integer præ-
„ sto fuit, ut totam de Domno historiam aliunde repetere cogeretur. Nec mirum est, inquiunt
„ illi, actiones de particularibus gestis ab aliis co-
„ dicibus omitti, ab aliis vero retineri; hinc a-
„ ctiones de Caroso, & Dorotheo, ac de Photio
„ Tyrio, & Eusthatio Beritensi deerant in exem-
„ plaribus, quibus antiquus interpres Rusticus,
„ Liberatus, & Evagrius usi sunt. Ideo vero
„ Domnus restitutionem suam in Ecclesiam An-
„ tiochenam non obtinuit, quamquam ceteri E-
„ piscopi una cum eo depositi in Synodo Latro-
„ cinali redintegrati fuerint, quod ipse sponte ces-
„ serit, ac sese in eremum receperit.

Domno Sede Antiochena deposito anno 449. suffectus est, ut mox dixi, *Maximus*, qui ab Anatolio Episcopo Constantinopolitano ordinatus fuit Episcopus Antiochenus. Duo inter alia ordinationi *Maximi* inerant vitia. Unum, quod *Domnus* ab impia Synodo Ephesina damnatus est. Alterum quod ordinatio *Maximi* suffecti in locum *Domni* adversus Nicænos Canones, Apostolicos, & Constantinopolitanos ab Anatolio Episcopo Constantinopolitano, fuisset peracta. Utrumque tamen vitium, quod in ordinatione *Maximi* occurrebat, consulto ob pacis studium dissimulavit S. Leo Papa, ut ipsemet testatur in sua Epistola ad *Marcianum* Imperatorem data anno CCCCLII. Mortem *Maximi* Episcopi Antiocheni illigat Baronius anno CCCCLVI. eique successit *Basilius*, qui sicut legitur in Chronico Nicephori, & in Tabulis Theophanis, annos duos sedit, & anno CCCCLVIII. vitam cum morte mutavit.

Basilio Episcopo Antiocheno successit anno CCCCLIX. *Martyrius*, qui sedit annos tredecim, hoc est, usque ad annum CCCCLXXI. quo anno cum *Petrus Fullo* Ecclesiæ Sanctæ Bassæ apud Chalcedonem Presbyter, & Eutychianæ Hæresis fautor innumeros tumultus in Ecclesia Antiochena excitaret, *Martyrius* Episcopus Antiochenus ad illos comprimendos, ad *Leonem* Imperatorem profectus est, & ab ipso obtinuit legem, qua Imperator prohibebat Monachis ne a Monasteriis exirent, neque Antiochiam venirent, & quibus venire permitteretur, ne de Religione disceptarent. Antiochiam deinde reversus *Martyrius*, cum populi factiones varias, easdemque tumultibus comperisset agitatas, cessit in Ecclesiæ Conventu Episcopatui, verbis usus ejusmodi: *Clero inobedienti, populo contumaci, & Ecclesiæ fordibus infectæ nuncium remitto, solaque Sacerdotii dignitate mihi reservata, Episcopale munus depono*. Eo secedente, *Petrus Fullo* (sic dictus quod in Cœnobio Acœmetensium, ubi vitam Monasticam antehac professus fuerat, *Fullonis* artem exerceret) in Thronum Antiochenæ Ecclesiæ audacter insiliit. Qua temeritate commotus *Leo* Imperator, Synodum Episcoporum fieri

fieri præcepit, in qua *Petrus Fullo* Sedis Antiochenæ invasor depositus, ac damnatus est ob clausulam ab ipso additam Hymno S. Trisagio: *qui crucifixus es pro nobis*. Qua additione *Theopaschitarum* Hæresim, Deum in sua Deitate crucifixum esse asserentium, instauravit.

Petro Fulloni Sede Antiochena juste deposito suffectus *Julianus*, qui sex annis Antiochenam rexit Ecclesiam, ab anno videlicet CCCLXXI. usque ad annum CCCCLXXVI. quo anno *Petrus Fullo* a *Basilisco* Tyranno ab exilio revocatus, in Ecclesiam Antiochenam restitutus est. Sed *Zeno*, cæso *Basilisco* Tyranno, & recuperato Imperio anno CCCCLXXVII. rursus Petrum Fullonem Antiochia expulit, & in exilium ablegavit. In ejus locum ordinatus est *Joannes*, quem Petrus Fullo Episcopum Apamenum consecraverat. Sed hic *Joannes* post tres menses ex Antiochena Ecclesia etiam ejectus est. Joanne itaque Sede Antiochena deturbato, *Stephanus* senior anno CCCCLXXVIII. ordinatus est Episcopus Antiochenus, seditque annos tres, ac subinde vitam produxit in annum CCCCLXXXI. Cardinalis *Baronius* autumavit, hunc *Stephanum* Eutychianorum fidei perduellium gladio occubuisse. At Cl. *Pagius* ad annum Christi CCCCLXXXII. ex testimoniis *Nicephori*, & *Theophanis* luculenter ostendit, non hunc Stephanum seniorem, sed ejus successorem Stephanum juniorem a fidei perduellibus in Sancti Martyris *Barlaam* Baptisterio, acutis calamis perfossum, & necatum in Orontem fluvium fuisse projectum. *Stephanus* autem ille junior, successit in Sede Antiochena Stephano seniori anno CCCCLXXXI. Mortem hujus Stephani junioris Episcopi Antiocheni ulcisci volens *Zeno* Imperator, præcepit Acacio Episcopo Constantinopolitano, ut Antiochiæ crearet Episcopum, isque ordinavit *Calendionem* anno CCCCLXXXII. Verum, Antiochenses hujus ordinationis ab Acacio factæ nescii, *Joannem* nomine *Codonatum* sibi præfecerunt, quem postea *Calendio*, ab Acacio ordinatus Episcopus Antiochenus, in Tyri sedem, quæ post Antiochiam prima est, transtulit. Sedit Antiochiæ *Calendio* quatuor annis, hoc est ab anno CCCCLXXXII. usque ad annum CCCCLXXXV. quo anno *Calendio* ab Imperatore Zenone *Oasim* in exilium relegatus est, & Petrus Fullo in Sedem Antiochenam denuo restitutus, in ea permansit usque ad annum CCCCLXXXVIII. quo nefarius ille Hæreticus, & Sedis Antiochenæ invasor extinctus est, eique successit *Palladius*, qui, teste Nicephoro in Chronico, sedit annos decem, & obiit anno CCCCXCVIII. Palladio successit *Flavianus*, quem nonnulli, secuti *Theophanem*, hostibus Concilii Chalcedonensis adhæsisse, affirmant. Alii vero post *Evagrium* fidem Flaviani Catholicam & inculpatam fuisse probabilius censent, ut videre est apud Cl. *Pagium* ad annum Christi CCCCXXI. *Flavianus* rexit Ecclesiam Antiochenam ab anno CCCCXCVIII. usque ad annum DXII. quo anno, teste *Marcellino* in Chronico, exul missus est ab *Anastasio* Imperatore in Castellum, quod *Petra* dicitur, ubi *Confessor Christi in Domino requievit*. Eodem anno *Severus* in Sedem Antiochenam intrusus est, qui *Henoticon* Zenonis suscepit, Concilium Calcedonense damnavit, & Catholicos Episcopos dire exagitavit, sicut ostendemus in nostris Colloquiis in Historiam sexti Ecclesiæ sæculi.

D. Describe nunc seriem Episcoporum, qui in quinto sæculo Ecclesiæ Hierosolymitanæ præfuerunt.

M. Mortuo S. Cyrillo Episcopo Hierosolymitano anno Christi CCCCLXXXVI. suffectus est *Joannes*, qui, postquam sedisset annos triginta, migravit ex hac vita anno CCCCXVI. ab hoc Joanne Episcopo Hierosolymitano habita est anno CCCCXV. Hierosolymæ Synodus Presbyterorum, cui interfuit Hæresiarcha *Pelagius*, eique nimium favit *Joannes* Hierosolymitanus, ut jam in superiori Colloquio observavimus. Successorem habuit *Joannes* in Sede Hierosolymitana *Praylium*, qui hanc Ecclesiam rexit ab anno CCCCXVI. usque ad annum CCCCXIV. quo anno mortuus est eique successit *Juvenalis*, qui interfuit Concilio Ephesino, & postquam sedisset annos triginta quatuor, obiit anno CCCCLVIII. eodem anno *Anastasius* Hierosolymorum Sedem iniit, sedit annos viginti, & ex hac vita discessit anno CCCCLXXVIII. ut contra Baronium, & Papebrochium evincit Clarissimus *Pagius* ad annum Christi CCCCLXXVII. Mortuo Anastasio, *Martyrius* Hierosolymorum Episcopus consecratus est, & teste Evagrio lib. 3. Hist. Eccl. cap. 16. ad Petrum Mongum Alexandrinæ Urbis Episcopum Hæreticum, qui in locum Timothei Solophacioli subrogatus fuerat, literas suas Synodicas misit. Inde tamen *Martyrius* Eutychianæ Hæreseos, qua *Petrus Mongus* infectus erat, insimulari haudquaquam debet, quia Petrus Mongus, eo tempore, quo *Martyrius* Episcopus Hierosolymitanus suam ad illum direxit Epistolam, simulabat se esse Catholicum, & ad *Simplicium* Papam, & ad *Acacium* Constantinopolitanum Episcopum scripserat, se communicare cum illis, & Chalcedonensem suscipere Synodum, quam tamen postea perfrictæ frontis audacia publice anathematizare ausus est. Non mirum igitur si *Martyrius* Episcopus Hierosolymitanus ad Petrum Mongum, quem ipse Catholicum putabat, necdum derectis ejus fraudibus ac malis artibus, suas Synodicas literas miserit. Mortuus est *Martyrius* anno CCCCLXXXVI. postquam sedisset annos octo. Successorem habuit *Salustium*, qui Ecclesiam Hierosolymitanam annis itidem octo gubernavit, & e vivis obiit anno CCCCXCIV. *Nicephorus* in Chronico de Salustio Hierosolymitano Episcopo hæc scribit: *Salustius, a quo separatus est Episcopus Romanus propter Edictum concordiæ a Zenone editum*. At cum Zenonis Imper. Edictum turbaret quidem Ecclesiam, sed nullam Hæresim contineret, non ob id destitit *Salustius* esse Orthodoxus, ut post Baronium censet *Pagius* ad annum CCCCXCII. Denique, Salustio Episcopo Hierosolymitano successit *Elias*, qui Sedem Hierosolymitanam tenuit usque ad annum Christi DXIII. quo anno, instigante *Severo* Antiocheno Episcopo Hæretico, jussu Imperatoris

Ana-

Anastasii Patriarchatu Hierosolymitano dejectus est, ut plenius commonstrabimus in nostris Colloquiis in Historiam sexti Ecclesiæ sæculi. Hic obiter observare sufficiat, hunc *Eliam* Hierosolymorum Episcopum nunquam favisse Eutychianæ Hæresi, sed potius propter Synodi Chalcedonensis defensionem sustinuisse persecutionem, & Episcopalem dignitatem amisisse. Quia tamen *Elias* ad servandam pacem Ecclesiæ œconomia quadam, & moderatione usus est, communicando videlicet cum illis Episcopis, qui simul cum Synodo Chalcedonensi Henoticon Zenonis admittebant, ejus moderatio nec Catholicis ardentioribus, nec Hæreticis placuit. Unde vitare haud potuit, quin ab aliquibus Scriptoribus Catholicis incaute deceptis tanquam Hæreticus Eutychianus infamaretur, & versa vice ab Hæreticis Eutychianis Nestorianismi perperam insimularetur. Sed illius Orthodoxiam egregie vindicat doctissimus *Pagius* ad annum Christi ccccxci. & ad annum dxii.

D. Superest tandem ut texas seriem Episcoporum, qui in quinto Ecclesiæ seculo Sedem Constantinopolitanam tenuerunt.

M. In locum *Nectarii* Episcopi Constantinopolitani, qui, ut jam observavimus in præcedentibus Colloquiis, obiit anno cccxcvii. ordinatus est S. Chrysostomus, qui non minus pietate, quam singulari doctrina Ecclesiam Constantinopolitanam illustravit, usque ad annum cccciv. quo anno Sanctus Chrysostomus in Synodo Constantinopolitana depositus in exilium ab Imperatore Theodosio juniore missus est, & ad Deum migravit *Comanis* die xiv. Septemb. anni ccccvii. teste Theodoreto lib. 5. Hist. Eccles. cap. 34. ubi narrato S.Chrysostomi exilio in Oppidum *Cucusum* hæc habet: *mox inde eductum* (Chrysostomum) *Pytiuntem transportarunt, Oppidum est situm in extremis finibus Ponti & Imperii Romani, quod accolunt crudelissimi Barbari. Verum Clemens Dominus invictum Athletam ad hanc usque insulam non permisit abduci, nam cum venisset comanas ad vitam senii & doloris expertem transtulit*. De causa & origine dissidii S. Chrysostomi cum Theophilo Episcopo Alexandrino, & S. Epiphanio Salaminæ Antistite, de illius in Synodo ad Quercum, injusta depositione, necnon de variis calamitatibus, quas in exilio passus est Sanctus ille Doctor commodius agemus in sequenti Colloquio.

Deposito S. Chrysostomo & in exilium ablegato anno cccciv. *Arsacius* die xxv. mensis Junii ejusdem anni consecratus est Episcopus Constantinopolitanus. Sedit annum unum, menses quatuor, dies septemdecim, & obiit die xi. mensis Novembris anni ccccv. Ei successit *Atticus*, qui sedit annos viginti, & mortuus est anno ccccxxv. zelo immoderato *Atticus* adversatus est Sancto Chrysostomo, eoque adhuc vivente Sedem Constantinopolitanam occupavit. Et istud crimen pœnitentia deinde, & recte factis expiavit. Nomen si quidem S. Chrysostomi in Diptycha Ecclesiæ retulit anno ccccxii. & in repurgandis Hæresibus, atque in Orthodoxa fide propugnanda summam adhibuit vigilantiam. *Celestium* Pelagii discipulum Constantinopoli ejecit anno ccccxvii. & contra ipsum ad Episcopos Asiæ, Thessalonicæ, & Carthaginis scripsit Epistolam. Messalianos itidem Hæreticos acriter insectatus est, scripsitque Episcopis in Pamphilia existentibus, ut undique Hæreticos exturbarent. Denique, Atticus Constantinopolitanus Episcopus in Menæis Græcorum colitur die xiii. Januarii, ejusque vita ex variis Auctoribus a Bollando in Actis Sanctorum ad eum diem collecta est.

Attico in Sede Constantinopolitana successit *Sisinnius*, qui juxta Chronicon Nicephori, & Tabulas Theophanis sedit duobus annis incompletis, & mortalitatem exuit anno ccccxxvii. Is, statim ac ad Thronum Constantinopolitanum evectus est, coegit Constantinopoli Synodum adversus Hæreticos Messalianos, quam *Petavius*, vir alioqui doctissimus, male confudit cum altera Synodo *Lyde* in Pamphilia contra eosdem Hæreticos ab Amphilochio Iconii Episcopo celebrata.

Mortuo *Sisinnio*, inter agendum de successore varias in factiones divisus est Clerus Constantinopolitanus, quas ut comprimeret Imperator Theodosius, accersivit ex Antiochena Ecclesia *Nestorium*, qui Kalendis Aprilis anni ccccxxviii. ordinatus est Episcopus Constantinopolitanus. Et cum *Nestorius* suam spargeret Hæresim jam a nobis in præcedenti Colloquio expositam, Sede sua fuit depositus in Concilio Generali Ephesino anno ccccxxxi. convocato, & in suum Monasterium Sancti Euprepii ante portas Urbis Antiochiæ situm amandatus, ubi per quadriennii spatium postquam moratus esset, jussu ejusdem Imperatoris anno ccccxxxvi. deportatus fuit in *Oasim*, quæ Marmaricæ Urbs est in confinibus Ægypti sita. A sua blasphemia nunquam destitit impius ille Hæresiarcha, ipsoque vitæ suæ exitu alter *Arius* declaratus est, inquit *Evagrius* lib. 1. Hist. Eccl. cap. 7.

Nestorio Sede Constantinopolitana in Generali Synodo Ephesina anno ccccxxxi. abdicato, *Maximianus* die xxv. mensis Octobris ejusdem anni ordinatus est Episcopus Constantinopolitanus, & obiit die xii. mensis Aprilis anni ccccxxxiv. qua die colitur a Græcis, ut videre est apud Bollandum in Actis Sanctorum. Maximiano successit *Proclus*, qui postquam Ecclesiam Constantinopolitanam per annos tredecim & aliquot menses sancte rexisset, ad Dominum migravit die 27. Octobris anni ccccxlvii. ad quem diem colitur apud Græcos, ut constat ex eorum Menologio. In locum Procli demortui subrogatus est *Flavianus*, qui, ut jam in superiori Colloquio observavimus, postquam exortam Eutychetis Hæresim damnasset, a Dioscoro Episcopo Alexandrino, & Præside Pseudo-Concilii, seu Latrocinii Ephesini anno ccccxlix. Sede Constantinopolitana dejectus est, & eodem anno Martyr obiit *Epipæ*, quæ civitas est Lydiæ, ad quam missus fuerat in exilium. Variæ sunt, de illius Sancti Martyris morte, Scriptorum sententiæ. Aliqui tradunt, eum in ipso Pseudo-Concilii, seu Latrocinii Ephesini loco a *Barsuma* & suis Monachis fuisse interfectum.

Alii

Alii scribunt, Flavianum ex acceptis in prædatoria Synodo Ephesina ab Hæreticis Eutychianis plagis, post triduum interiisse. Sedit *Flavianus* annum unum, & menses decem. Ejus Elogium Historicum exhibet *Henschenius* ad diem XVIII. mensis Februarii.

Flaviano trucidato nefario Eutychianorum scelere substitutus est in Sedem Constantinopolitanam *Anatolius*, & ab Episcopis ejusdem cum *Dioscoro* factionis ordinatus. Qua de causa *S. Leo* Papa putans Anatolium ab Episcopis Eutychianis ordinatum in eodem erroris luto cum ipsis hærere, diu dandis ad eum Epistolis pacis sese abstinuit. Verum, postquam accepisset *S. Leo*, Anatolium fidei Formulæ subscripsisse, eumque ab Eutychiana Hæresi abhorrere, scripsit ad ipsum Epistolam, quæ est sexagesima inter Epistolas S. Leonis, qua ei impense gratulatur, quod Fidem Catholicam profiteretur, & ab Eutychetis erroribus esset omnino alienus. Famam & Orthodoxiam Anatolii plenissime vindicavit *Andreas Chevillerius* in Dissertatione in Synodum Chalcedonensem *de Formulis Fidei subscribendis*. Mortuus est Anatolius Episcopus Constantinopolitanus anno CCCCLVIII. habuitque successorem *Gennadium*, qui Ecclesiæ Constantinopolitanæ præfuit tredecim annis, & migravit ex hac vita anno CCCCLXXI. Gennadio successit *Acacius*, qui multas tragœdias in Ecclesia Orientali excitavit. Petrum siquidem Monæum, & Petrum Fullonem, quos prius velut Hæreticos merito fuerat insectatus, in communionem suam recepit, & in Sedes Alexandrinam, & Antiochenam a Zenone Imperatore restitui curavit. Auctor quoque fuit eidem Zenoni Imperatori ut conderet & promulgaret decretum suum, dictum *Henoticon*, quod diu afflixit Ecclesiam. *Simplicii*, & *Felicis* Romanorum Pontificum monita ludibrio habuit, & Legatos Sedis Apostolicæ hostili more detrusit in carcerem, & multis injuriis affecit, quodque gravius est, Romani Pontificis nomen e sacris Dypthichis expunxit, & Schisma conflavit, quod non tam cito extinctum est. Ob tot graves excessus justis de causis *Acacius* a Romanis Pontificibus damnatus est, ejusque nomen post mortem e tabulis Ecclesiæ deletum. Quam sententiam Summorum Pontificum adversus Acacium latam Ecclesia Orientalis æquissimam esse agnovit, quippe quæ Acacium etiam damnavit post mortem, & illius nomen e Diptychis erasit. Quin etiam tempore *Hormisdæ Papæ*, sub quo inita est pax Orientalem inter, & Occidentalem Ecclesiam, non prius Orientales Episcopi in Sedis Apostolicæ communionem suscepti sunt, quam subscriberent libello non prava tantum dogmata, sed etiam personam & nomen Acacii damnanti. Mortuus est *Acacius* anno CCCCLXXXVIII. & in ejus locum ordinatus est *Flavianus*, quem alii *Flavitam*, alii *Fravitam*, alii *Phraitam* nominant, qui tantum tres menses & aliquot dies Sedem Constantinopolitanam tenuit. Hunc in Episcopatu Constantinopolitano excepit *Euphemius*, qui anno 496. ab Anastasio Imper. in exilium missus est, & in ejus locum subrogatus *Macedonius*, qui Ecclesiam Constantinopolitanam rexit usque ad annum DXV. quo mortuus est. Sunt nonnulli, qui *Euphemium*, & *Macedonium* mox laudatos Episcopos Constantinopolitanos inter Schismaticos & Hæreticos recensent; sed doctissimi Historiæ Ecclesiasticæ Scriptores *Natalis Alexander* Dissertatione vicesima in Hist. quinti sæculi, & *Antonius Pagius* in sua Critica ad annos CCCCXCV. & DXV. horumce duorum Episcoporum Orthodoxiam multis momentis asserunt, ac vindicant. Immo *Henschenius* ad diem XXV. mensis Aprilis pluribus contra Baronium evincit, sacrum cultum a Græcis exhiberi *Macedonio* Episcopo Constantinopolitano. Sed hæc de serie Episcoporum, qui in quinto Ecclesiæ sæculo præcipuas Sedes tenuerunt, juxta accuratiorem Chronologiam, dixisse sufficiat.

COLLOQUIUM IV.

De Conciliis, quæ in quinto Ecclesiæ sæculo fuerunt celebrata, & de variis Factionibus, in quas distracti sunt Episcopi Catholici.

D. Cum ad profligandas Hæreses, & ad sanciendam Ecclesiæ Disciplinam Concilia celebrari soleant, scire in primis vellem, in quibusnam Conciliis tam Generalibus, quam Nationalibus damnatæ fuerint Hæreses Pelagianorum, Semipelagianorum, Nestorianorum, & Eutychianorum, quæ in quinto Ecclesiæ sæculo grassatæ sunt, & deinde, quænam sint illa Concilia, quæ ad Disciplinam Ecclesiæ sartam tectam conservandam eodem sæculo fuerunt convocata, quotve Canones ediderint?

M. In Colloquio, quod jam instituimus de Hæresibus, quæ in quinto Ecclesiæ sæculo emerserunt, multa memini, me laudasse Concilia, in quibus Hæreses id ætatis enatæ, proscriptæ sunt. Nihilo secius, ut pleniorem assequaris notitiam Conciliorum, quæ in eo sæculo habita sunt, quatuor hic breviter, quoad ejus fieri poterit, præstabo. Primo, recensebo juxta seriem Chronologicam omnia Concilia, quæ contra Pelagianos celebrata sunt. Secundo, texam Historiam Concilii Œcumenici Ephesini, in quo damnatus est *Nestorius*. Tertio summatim delibabo ea, quæ gesta sunt in Concilio Generali Chalcedonensi, in quo confixus est Eutychetis error, & iniqua scelera a Dioscoro Alexandrino, & ab aliis Episcopis Eutychianis in latrocinio Ephesino commissa. Quarto, referam Concilia, quæ Canones ediderunt, in quorum serie per plurium sæculorum cursum ad nos usque deducta vivam veteris Disciplinæ Ecclesiasticæ imaginem possumus contemplari.

D. Recense primo Concilia, in quibus Pelagiani fuerunt damnati.

M. Primum Concilium, quod adversus Pelagianos convocatum est, fuit Concilium Carthaginense habito anno CCCCXII. in quo *Cælestius* Pelagii discipulus, qui peccatum Originale, ejusque ad posteros propagationem inficiabatur, damnatus, & anathemate perculsus est. Alterum Concilium, seu *Hierosolymitanum*, in causa Pelagii -

Joan-

Joannes Jerosolymorum Episcopus una cum suis Presbyteris celebravit anno ccccxv. eique interfuit *Orosius* accusator Pelagii. At *Joannes* hujus Concilii Præses damnare noluit Pelagium, cujus fraudibus fuerat deceptus, sed solum statuit, ut hac de re litteræ ad Innocentim I. Summum Pontificem mitterentur, ejusque super hac controversia decretorium expectaretur judicium. Eodem anno, sen ccccxv. apud Diospolim Palæstinæ Urbem, *Lyddam* olim dictam, a quatuordecim Episcopis in causa itidem Pelagii habita est Synodus Diospolitana, in qua *Orosius* libellum obtulit, qui nefaria Pelagii dogmata continebat. Verum vaferrimus Pelagius, qui præsens erat, errores sibi ab Orosio objectos perfricta fronte negando, vel Fidem Catholicam mentiendo, fucum fecit Patribus, & damnationis sententiam declinavit. Anno tamen sequenti, seu ccccxvi. *Pelagius*, & *Cæleslius*, licet a Patribus Diospolitanis, quibuscum fraudulenter egerant, fuissent absoluti, in altero Concilio Carthaginensi, & in Synodo Milevitana II. ob Hæresim damnati sunt. Circa hanc Synodum Milevitanam secundam contra Pelagianos coactam obiter velim observes, in Collectione Conciliorum referri Acta Synodi Milevitanæ secundæ cum præfatione, quæ incipit his verbis: *Gloriosissimis Imperatoribus Arcadio, & Honorio Augg. Viris clarissimis, Coss. VI. Kalend. Septembris &c.* Sed observant periti Critici, hanc Præfationem non esse Synodi Milevitanæ secundæ, sed primæ, quæ anno ccccii. sub illo Consulatu habita est. Sequuntur postea Canones xxvii. quorum plures adversus Pelagianos editi sunt, octo scilicet Priores. Sed Eminentissimus Cardinalis *Norisius* lib. 1. Hist. Pelagianæ cap. 10. pluribus ostendit, octo illos Canones contra Pelagianos adscribi nequaquam posse Synodo Milevitanæ secundæ. Quam Norisii sententiam omnes eruditiores viri ultro amplectuntur. Observat etiam merito Baronius, farraginem illam xxvii. Canonum uni Synodo Milevitanæ secundæ inscriptorum, ad diversa Concilia Africana pertinere.

Sed ab hac brevi digressione redeamus ad Concilia, in quibus confossus est Pelagianorum error. Putavit Baronius, *Aurelium* Carthaginensem Episcopum, & totius Africæ Primatem unam tantum Synodum ex omnibus Africæ Provinciis in Causa Pelagianorum Carthagine anno ccccxviii. coegisse. At convenit modo inter omnes viros eruditos, duas Africanas Synodos anno ccccxvii. ab Aurelio Carthaginensi Episcopo fuisse convocatas, quarum prima, ut docet Cl. Pagius, inchoata est medio mense Januario anni ccccxviii. & finita circa medium Februarium, huicque interfuerunt ccxiv. Episcopi. Altera Synodus ab eodem Aurelio indicta est Kalendis Mensis Maji ejusdem anni, & continuavit usque ad primum circiter diem mensis Julii ejusdem anni, ad eamque convenere ccxvii. Episcopi Africani. In priori Synodo Africana, quæ medio mense Januario anni ccccxviii. sub Aurelio habita est, Episcopi matura deliberatione inquisierunt, quidnam facto opus esset, ut Pelagianorum artibus obviam iretur. Quocirca, cum Pelagius, & Cælestius ementita fidei professione Zosimum Papam decepissent, Patres illius Synodi per *Marcellinum* Subdiaconum transmiserunt ad Zosimum plurimas instructiones, gesta præcedentium Synodorum, & Decreta, seu octo, vel, ut alii volunt, novem Canones de Gratia, Scripturarum, & Sanctorum Patrum testimoniis probatos, quibus Pelagianam Hæresim plane jugulatum iri arbitrabantur. Dederunt etiam illius Synodi Africanæ Patres Epistolam Synodicam ad Zosimum, quæ temporum injuria periit, in qua graviter expostulabant, quod Romanus ille Pontifex, posthabito Africanæ Ecclesiæ, & Romanæ per Innocentium Summum Pontificem judicio, quo finita Cælestii causa fuerat, ad novum examen eam revocasset, & obtestatorium libellum interposuerunt, quo suum sibi jus servari flagitabant, & ut nihil de sententia in Pelagium, & Cælestium tam ab Africana Ecclesia, quam Romana per Innocentium Pontificem jam prolata, immutaretur, sed in eodem cuncta relinquerentur statu, saltem donec unum e suis Romam mitterent cum idoneis causæ instrumentis, quibus Hæreticorum artes, & versutiæ aperirentur, palamque ostenderetur, quam legitime, & canonice damnati essent. *Zosimus*, acceptis Patrum Africanorum litteris, & instructionibus, in Cælestium, & Pelagium, quos antehac eorum fraudibus delusus innocentes crediderat, decretoriam tulit sententiam; Canonibus de gratia a Patribus Africanis contra Pelagianos constitutis, & in eorum relatione ad ipsum missa contentis Apostolicæ Sedis addidit authoritatem, scripsitque universis Orbis Episcopis prolixam illam Epistolam, quam *Tractoriam* Marius Mercator appellat, & cujus aliqua tantum fragmenta nunc supersunt. Hæc Epistola Tractoria Zosimi Papæ, qua Pelagianorum proscribebatur Hæresis, lecta fuit in secundo Concilio Africano, quod, ut mox dixi, ab Aurelio Carthaginensi Episcopo inductum ex Kalendis mensis Maji anni ccccxviir. & summa omnium gratulatione excepta. Unde Patres istius Concilii Africani Epistolam ad Zosimum scripserunt, qua ipsi de Pelagianorum Hæresis damnatione impense sunt gratulati. Sunt quidam Viri eruditi, qui censent, præter istud Concilium totius Africæ plenarium, Kalendis mensis Maji ccccxviii. habitum, aliud, seu tertium Concilium Africanum contra Pelagianos habitum fuisse mense Augusto ejusdem anni, in quo lecta, & recepta fuerit *Tractoria* Epistola Zosimi. Verum, in hoc hallucinari viros illos eruditos luculenter ostendit Cl. *Pagius* ad annum Christi ccccxviii. ubi solide probat in secundo Concilio Africano contra Pelagianos coacto Kalendis Maji anni ccccxviii. lectam, probatam, & publicatam fuisse Epistolam *Tractoriam* Zosimi, & post illud Concilium secundum Africanum, nullum aliud Concilium in causa Pelagii hoc anno ccccxviii. fuisse convocatum. His Conciliis Africanis, & a Summis Pontificibus *Innocentio I.*, & *Zosimo* damnati Pelagiani, atque ad exiguum numerum redacti, ut suam prostratam Sectam utcumque erigere, ac fulcire possent, Societatem inie-

inierunt cum Hæreticis Nestorianis, cum quibus tam in Synodo Romana sub Cœlestino Papa anno ccccxxx. celebrata, quam in Concilio Generali Ephesino anno sequenti habito fuerunt eadem sententia perculsi. Hæc sunt Concilia, quæ Pelagianorum errores in quinto Ecclesiæ sæculo damnarunt.

D. Fueruntne in quinto Ecclesiæ sæculo aliqua convocata Concilia ad damnandam Hæresim Semipelagianorum, qui initium fidei, & bonorum operum ex solis arbitrii viribus prosilire autumabant?

M. Semipelagiani toto quinto Ecclesiæ sæculo, immo usque ad Synodum Arausicanam secundam, quæ anno DXXIX. sub *Felice IV.* Papa indicta, & a Bonifacio II. confirmata est, habiti non sunt ut Hæretici, nec ullum in quinto sæculo coactum fuit Concilium, quod eorum sententiæ notam Hæreseos inusserit. Quapropter, sicut Sanctus Cyprianus, & alii Africani Antistites a tempore Agrippini Carthaginensis Episcopi usque ad damnatum ab Ecclesia rebaptizantium errorem suam opinionem de rebaptizandis Hæreticis licite & inculpate tenuerunt, sic Semipelagianorum sententia per annos centum libere, & citra fidei crimen a Presbyteris Massiliensibus, immo, & a multis Galliarum Episcopis propugnata fuit, ut late probat Cardinalis *Norisius* in Differt. 3. *De Anonymi scrupulis circa veteres Semipelagianorum Sectatores evulsis, ac eradicatis*. Unde licet *Cassianus* Semipelagianus fuerit, quia tamen hæc opinio necdum hoc tempore ab Ecclesia erat damnata, cum opinione sanctitatis Massiliæ obiit, ubi etiamnum colitur ad diem XXIII. Julii, & ante ejus sepulchrum diu noctuque lucerna ardet. Similiter Ecclesia Rejensis, seu Regiensis, de *Fausto* etsi Semipelagiano, qui illius Ecclesiæ Episcopus fuit, proprium de eo Officium celebrat, eumque ut Sanctum veneratur, quia e vivis excessit ante Concilium secundum Arausicanum, in quo ceu hæretica proscripta est Semipelagianorum sententia. In Synodo tamen a Gelasio Summo Pontifice anno CCCCXCIV. celebrata inter damnatos libros, Cassiani ac Fausti Rejensis Episcopi numerata sunt Opera, quia ab eo tempore alterutrius opiniones tueri tutum non fuit. Cum igitur Semipelagianorum Doctrina in Conciliis Arausicano secundo, & Valentino in sexto sæculo celebratis fuerit damnata, ideo de illis Conciliis disserendi opportunior sese dabit occasio in Colloquiis nostris Ecclesiasticis, in Historiam sexti Ecclesiæ sæculi.

D. Veniamus nunc ad Historiam Concilii Ephesini, quod contra Nestorium convocatum est, cujus tempus, Patrum numerum, & Præsides, rogo te, ut mihi indicare non graveris.

M. Concilium Ephesinum quod ordine tertium Œcumenicum est, anno CCCCXXXI. indictum est ad diem Pentecostes, seu ad diem VII. mensis Junii, in quam hoc anno Pentecostes incidit. Istud tamen Concilium non nisi die vicesima secunda ejusdem mensis in magna Ephesi Ecclesia, S. Mariæ Deiparæ nuncupata, inchoatum est. De numero Patrum, qui huic Concilio interfuerunt, veteres Scriptores non consentiunt. Eorum tamen opinio, teste doctissimo *Baluzio* in notis ad Marium Mercatorem, videtur verior, quæ ducentos circiter Episcopos huic Synodo adfuisse docet. Hæresiarcha *Nestorius* ad Concilium veniens adduxit secum decem Episcopos de suis, & duos Comites, *Candidianum* scilicet ab Imperatore Theodosio missum, ut ordinem in Synodo servandum curaret, & *Irenæum* privatum amicum suum. *Cyrillus* vero Patriarcha Alexandrinus longe plures secum adduxit Episcopos, Ephesumque pervenit quatuor, aut quinque diebus ante Pentecosten, seu ante diem septimum Junii. *Juvenalis* Episcopus Hierosolymitanus Ephesum adventavit cum Episcopis Palæstinis. At *Joannes* Patriarcha Antiochenus, qui Nestorio impensius favebat, de industria per viam trahens moram cum Antistitibus Orientalibus, scripsit Cyrillo per Episcopos duos, cum abesset tantum itinere quinque aut sex dierum, cumque sic data opera adventum suum procrastinaret, appulerunt Ephesum decimo sexto post Pentecosten die *Alexander* Apameensis secundæ Syriæ, & *Alexander* Hieropolitanus Episcopus Provinciæ Euphratesiæ Metropolitæ, qui Synodo de nimia Joannis Antiocheni eorum Patriarchæ mora querenti, dixerunt: *mandavit nobis*, Joannes Antiochenus, *ut pietati vestræ indicemus, ne Synodum prorogetis, si ipsum amplius tardare contigerit, sed potius, quod opus est facto, id fiat*, sicut legitur in parte 2. Concilii Ephesini, Actione V. quibus auditis, abjecta omni cunctatione Patres Synodum inchoarunt, primamque Sessionem habuerunt die XXII. Mensis Junii. *Cœlestinus* Summus Pontifex ad Ephesinum Concilium Legatos misit *Arcadium*, & *Projectum* Episcopos, & *Philippum* Presbyterum, qui nomine suo ei præessent. *Cyrillus* etiam Patriarcha Alexandrinus, cui ante hac Cœlestinus Papa auctoritatem Sedis Apostolicæ delegaverat ad executionem sententiæ contra Nestorium in Synodo Romana latæ anno CCCCXXX. præfuit Concilio Ephesino tanquam Vicarius Cœlestini Papæ. Quo titulo in Actis illius Concilii ubique exornatur etiam post adventum Legatorum Sedis Romanæ, ut patet ex Actione IV. ubi Legati *Arcadius*, *Projectus*, & *Philippus* statim post Cyrillum ante reliquos Episcopos nominantur. Immo Cyrillum Concilio Ephesino ante trium Legatorum Sedis Apostolicæ adventum, non solum ex prærogativa Sedis suæ Alexandrinæ, sed etiam vice Cœlestini Papæ præfuisse, aperte colligitur ex Actione I. illius Concilii, ubi expresse legitur, Cyrillum Sanctissimi, Sacratissimique Romanæ Ecclesiæ Archiepiscopi locum obtinuisse. Procul igitur abludunt a vero, qui negant, Cyrillum tanquam Vicarium Cœlestini Papæ præfuisse Concilio Ephesino.

D. Fuitne aliquid statutum in Concilio Ephesino ante adventum Joannis Antiocheni, & aliorum Episcoporum Orientalium?

M. Comes *Candidianus*, ac plures Episcopi rogarunt Cyrillum, aliosque Patres Ephesinos, ut expectarent Joannem Antiochenum, ipsosque contestati sunt, ne ante ejus adventum aliquid prorsus agerent. At Cyrillus, aliique Episcopi, qui per quindecim dies ob absentiam Joannis Antiocheni Con-

Concilium distulerant, diuturniorem moram intempestivam fore rati, Actionem, seu Sessionem primam die XXII. Junii actutum celebrarunt, in qua lecta est Imperatoris Theodosii de congreganda Synodo Epistola, dein, Symbolum Nicænum, & Cyrilli ad Nestorium literæ, earumque cum fide Nicæna consensio ab omnibus Episcopis approbata. Recitata est etiam Nestorii ad Cyrillum Epistola, quæ unanimi Patrum calculo explosa est. Lectæ itidem Cœlestini Papæ, Synodique Alexandrinæ ad Nestorium litteræ, & postremo examinata Nestorii Scripta, ex quibus omnibus compertum, atque exploratum fuit, Nestorium negasse, Beatam Virginem Mariam esse *Deiparam*, duasque in Christo admisisse Personas, divinam scilicet, & humanam. Quapropter Nestorius ad causam in Synodo dicendam ter vocatus, sed sistere sese omnino recusans, omnium patrum sententia damnatus, ac depositus est. Hæc Concilii sententia postridie significata est Nestorio, & missæ ad Cœlestinum Papam, ad Imperatorem, & ad Clerum Constantinopolitanum relationes, quibus denunciabatur Nestorii e Sede Constantinopolitana depositio (*a*).

„ (*a*) Non abs re adjecisse hic juvat in nova editione Conciliorum a me per hos annos curata exhiberi ex Codice Vaticano 1342. anathematismos S. Cyrilli cum subjectis ad singula blasphemiis Nestorii sub hoc titulo: Incipiunt Nestorii blasphemiarum capitula, quibus Epistolis ad se missis a SS. Cœlestino Romanæ Urbis, & Cyrillo Alexandrino contradixit & disputatione brevissima resolvendo duodecim capitula fidei, quæ ad se missa fuerant, refellit. Nunc Episcopi Cyrilli priora posuimus, quæ Romana Ecclesia approbavit, & posteriora Nestorii ex græco in latinum versa. Hæc quidem sunt in actis Concilii excusis, ac sejuncta ut uno in loco sint blasphemiæ Nestorii, in alio Cyrilli anathematismi. Forte tamen conjunctio ista lecta in Concilio non est, sed ab interprete, seu a Græco aliquo majoris perspicuitatis gratia confecta. Utcunque res sese habuerit, visum est eam dari, ut in Codice repræsentatur.

„ Insuper in eadem nova editione datur nova collatio celebris Codicis Casinensis, ex quo unico petitum est *Synodicon adversus tragœdiam Hirenei*, qui tamen titulus non est in Codice, sed a Baluzio de suo inditum. Demum ex simili Codice Vaticano quarundam Epistolarum ejus Synodici variantes adjectæ sunt, ac præsertim exhibitæ Epistolæ S. Isidori Pelusiotæ in eodem Casinensi Codice ex vetustissima nondum edita interpretatione, quas a P. Lupo ejusdem Synodici Editore omissas Baluzius vehementer conquestus est.

D. Hac igitur unica Actione, seu Sessione Concilii Ephesini res tota confecta fuit, & Nestorii penitus jugulata Hæresis?

M. Minime gentium. *Candidianus* quippe Comes retulit ad Theodosium Imperatorem ea, quæ gesta erant in Concilio Ephesino, retulit etiam & *Nestorius*, sed ambo ita subdole & mendaciter, ut animum Theodosii Imperatoris jam in Nestorium nimis pronum, & Cyrillo aversum, in totam Synodum commoverint. Ad hæc, quinta die, a lata in Nestorium sententia, Ephesum venit *Joannes* Antiochenus, qui ægre ferens, quod ejus præsentiam Patres diutius non expectassent, Conciliabulum cum suis Orientalibus Episcopis egit, in quo in *Cyrillum* Patriarcham Alexandrinum, & in *Memnonem* Episcopum Ephesinum, tanquam omnium malorum architectos, damnationis & depositionis sententia lata est. Cæteri etiam Patres Ephesini, ni resipiscerent, & XII. Sancti Cyrilli contra Nestorium anathematismos quam primum rejicerent, anathemati subjecti fuerunt. Relationem gestorum in hoc Conciliabulo ad Imperatorem misit *Joannes* Antiochenus, eumque de omnibus certiorem fecit.

D. Post acceptas illas relationes, quo pacto se gessit Theodosius Imperator?

M. Relatione Comitis *Candidiani* Constantinopoli lecta, Theodosius continuo rescripsit per *Palladium* Magistrianum, jussitque omnia in Actione, seu Sessione prima Concilii Ephesini gesta, penitus rescindi, tanquam vitio facta; & communi sententia examinari Dogmata, ut cuncta conspirantibus omnium suffragiis definirentur. Ut autem Episcopi rei maturandæ necessitatem imponeret Imperator, districte vetuit, ne quis Episcopus exiret Epheso, sive in Patriam, sive in Comitatum, priusquam omnia rite absoluta essent. Interim, hinc, & inde tam a Concilio Ephesino, quam a Conciliabulo Joannis Antiocheni Epistolæ, & Legati ad Imperatoris Aulam mittebantur.

D. Necdum exposuisti, cum tua bona venia, quid his excitatis turbis consilii ceperint, quamve in partem inclinarint Legati missi a Cœlestino Summo Pontifice?

M. *Arcadius*, & *Projectus* Episcopi, & *Philippus* Presbyter Legati, a Cœlestino Summo Pontifice missi non interfuerunt Actioni, seu Sessioni primæ Concilii Ephesini, quia Ephesum dumtaxat advenerunt die decima mensis Julii, qua die habita est Actio, seu Sessio secunda, & postridie Actio, seu Sessio tertia, in qua lecta sunt, quæ antea gesta fuerant in damnatione, & depositione Nestorii, & dicta singillatim a tribus Sedis Apostolicæ Legatis in Nestorium sententia, ac postea relatum a Synodo ad Imperatorem de Legatorum adventu, atque postulata discedendi facultas, cum omnia in negotio Nestorii jam essent omnino peracta. Finita itaque Causa Nestorii, *Cyrillus* Alexandrinus, & *Memnon* Ephesinus Episcopi obtulerunt in actione, seu Sessione quarta, quæ habita est die XVI. mensis Julii, libellum, quo apud Sanctam Synodum expostularunt de injuria sibi ab Orientalibus Episcopis facta, petieruntque, ut citaretur *Joannes* Antiochenus, qui comparere cum nollet, pronunciarunt Patres, irrita esse omnia, quæ Joannis Antiocheni Pseudo-Synodus adversus Cyrillum, & Memnonem fecisset, simul, que decrevernnt, ut hac de re scriberetur Imperatori, ac tertio citaretur Joannes Antiochenus, antequam jure in ipsum ageretur. Die itaque XVII. mensis Julii peracta est actio, seu Sessio quinta, & Joan-

& Joannes Antiochenus tertio vocatus est, qui se sistere, cum renuisset, Sacra Synodus tulit in ipsum, & in alios Orientales Episcopos ei adhærentes excommunicationis sententiam, & denuo statuit irrita plane esse, quæ adversus Cyrillum, Memnonem, aliosque Episcopos in suo Conciliabulo egerat Joannes Antiochenus. Celebrata est die XXII. Mensis Julii sexta Synodi Ephesinæ Actio, seu Sessio, in qua lecta & approbata est Nicænæ fidei Formula, editumque Synodale Decretum, quo cavebatur, ne quis alteram fidei Formulam, præter Nicænam, conscriberet, vel componeret. Demum, ultima die mensis Julii habita est septima Concilii Ephesini Actio, seu Sessio, in qua Patres sanxerunt, jus Ordinationum Episcoporum Insulæ Cypri non pertinere ad Episcopum Antiochenum, sed Cypriis Episcopis juxta Canones, & veterem consuetudinem servari debere. In eadem Sessione septima, & ultima fuit approbata Hæreticorum *Messalianorum* damnatio facta a *Sisinnio* Episcopo Constantinopolitano, compositæ quoque sunt quædam Episcoporum lites, & sex conditi Canones contra Pelagianos, necnon adversus Nestorium, illiusque fautores.

D. Rata ne habuit Imperator Theodosius omnia, quæ gesta sunt in Concilio Ephesino?

M. Patres Concilii Ephesini selectos ad Imperatorem miserunt Episcopos, qui rerum gestarum ordinem, & rationem ei exponerent, sed *Irenæus* Comes, Nestorii amicus, quem Joannes Antiochenus ad Imperatorem miserat, Constantinopolim veniens, malis artibus effecit, ut Concilii Ephesini Legati nihil promovere potuerint. Cum igitur in Aula Imperatoris hæc causa fuisset agitata, nec una esset omnium sententia, placuit tandem Imperatori consilium a nonnullis ei suggestum de mittendo Ephesum *Joanne* sacrarum largitionum Comite, qui nomine Imperatoris tres esse depositos juberet, videlicet *Cyrillum*, *Memnonem*, & *Nestorium*, omnesque in unam Synodum cogeret, & res pacifice agendas curaret. *Joannes* itaque sacrarum largitionum Comes Ephesum adveniens partium concordiam tentavit, sed frustra: unde in his rerum angustiis jussit Imperator, Nestorium recedere a Concilio, & ex utraque parte Legatos ad Urbem Regiam venire. Suos Legatos elegit Sacra Synodus, suos itidem Orientalis factio misit. Imperator Orientalium Legatos, qui a partibus Joannis Antiocheni stabant, in Villa Rufiniana quinquies audivit, eosque tam benevole in speciem excepit, ut certissimam sibi victoriam pollicerentur. At præter ipsorum expectationem, paucos post dies jussit Imperator Legatis Concilii Ephesini sese Constantinopolim comitari, ut Episcopum in locum depositi Nestorii ordinarent, Orientalibus Legatis interim Chalcedone relictis, quibus ad suas redeundi Ecclesias facultas concessa est. Episcoporum Orientalium fraudes cum perspectas habuisset Imperator ex litteris, quas ad ipsum scripserunt Patres Ephesini, & quæ, ne intercíperentur, arundine inclusæ ad *Dalmatium* Sanctissimum Archimandritam a quodam mendico delatæ sunt, confestim Nestorium in Monasterium Sancti Euprepii Antiochiæ in exilium misit, in cujus locum *Maximianus* consecratus est Episcopus Constantinopolitanus; Sanctum Cyrillum Alexandrinum, & Memnonem Ephesinum Episcopos, quos per *Joannem* sacrarum largitionum Comitem deponi jusserat, suis Sedibus restituit, & omnia, quæ Synodus Ephesina contra Nestorium, Joannem Antiochenum, & alios Episcopos Orientales sanxerat, rata haberi voluit. Quin, & soluto Concilio Ephesino, *Theodosius* junior paci Ecclesiæ totus intentus litteras scripsit ad Joannem Antiochenum, ut simultates cum Cyrillo deponeret, & Nestorium damnaret. Obtemperavit *Joannes*, & assensus est damnationi Nestorii, & Ordinationi *Maximiani*, utque cum Cyrillo pacem iniret, duos e suis Diaconis una cum *Aristolao* Tribuno, & *Paulo* Emisseno Episcopo ad ipsum misit, eique significavit, se Doctrinæ Nestorii Anathema dicere, illius depositionem ratam habere, & *Maximiani* in locum Nestorii Ordinationem approbare. Subscripsit etiam Joannes Antiochenus professioni fidei, in qua ultro agnovit unicam in Christo Personam, & Beatam Virginem Mariam esse vere Deiparam, damnavitque prava Nestorii Dogmata, & peregrinas explosit voces, quas ille Hæresiarcha invexerat. Hanc Fidei professionem a Joanne Antiocheno, aliisque Episcopis Orientalibus subscriptam, Sanctus Cyrillus tanquam omnino Catholicam inseruit in suis litteris, quas dedit ad Joannem Antiochenum, quarum initium: *Lætentur Cœli*, & *Terra*. Sic pax inter Cyrillum Alexandrinum, & Joannem Antiochenum, aliosque Orientales Antistites summo omnium Fidelium plausu, & gaudio composita est sub finem anni CCCCXXXIII. Verum, vix pax nunciata fuerat, cum in variis Orientis partibus tumultuatum est. *Andreas* quippe Samosatenus Episcopus, *Meletius* Episcopus Mopsuestenus, *Alexander* Hierapolitanus, *Helladius* Tarsensis, *Eutherius* Thyanensis Metropolitę, *Theodoretus* Cyrensis Episcopus, aliique non pauci Orientales Episcopi ab inita pace abhorruerunt, nolentes damnare Nestorium, nec communionem habere cum Cyrillo Alexandrino, & Joanne Antiocheno. Ad hanc Episcoporum discordiam sedandam, ex qua gravissima mala in Ecclesiam redundabant, Imperator omnem suam operam contulit, & ad Joannis Antiocheni postulationem Sacram dedit, qua jussit, ut omnes Orientales Episcopi cum Joanne Antiocheno communicarent, aut a suis Ecclesiis ejicerentur. Hac Sacra Imperatoris haud parum conturbati Theodoretus Cyrensis Episcopus, & alii Isauriæ & Ciliciæ Antistites, qui hactenus ad nullas pacis conditiones accedere voluerant, tandem aliquando initæ paci consenserunt. Multi tamen Episcopi obstinati, & in suscepto proposito perseverantes Sedibus suis fuerunt pulsi, quos inter numerantur *Meletius* Episcopus Mopsuestenus, & *Alexander* Hierapolitanus. Complures etiam fuerunt Episcopi, quorum Catalogum texit *Irenæus* Tyriorum Episcopus capite CXC. Synodici, qui aut fugere, & Ecclesias sua deserere maluerunt, quam Nestorii depositioni consentire vel cum Cyrillo Alexandrino, & Joanne Antiocheno communicare. Denique, anno CCCCXXXV.

Nesto-

Nestorius funestæ illius tragœdiæ auctor e Monasterio Sancti Euprepii, in quo quadriennium jam exul permanserat, in Oasim Edicto Theodosii Imperatoris altero exilio amandatus est, & libri ab ipso conscripti ultricibus flammis fuerunt addicti.

D. Hæc Imperialis Lex reddidit ne Ecclesiæ pacem?

M. Episcopi Ægypti cum Orientalibus perpetua aluerunt discordiæ semina. Alii siquidem Anatematismos XII. Sancti Cyrilli contra Nestorium tanquam Hæreseos Apollinarii labe infectos penitus repudiabant. Alii, versa vice, illos ut Orthodoxos propugnabant. Alii communicabant quidem cum Joanne Antiocheno, sed Nestorium anathematizare nolebant. Alii Nestorio Anathema dicebant, sed non ejus doctrinæ. Alii denique, Nestorii libris Lege Imperiali prohibitis, cœperunt *Diodori* Tarsensis, & *Theodori* Mopsuesteni circumferre volumina, dictitantes, Nestorium nova non sapuisse, sed antiquorum Patrum protulisse doctrinam, eademque volumina in Syrorum Linguam, & Armenorum, atque Persarum transtulerunt. Quod statim ac agnoverunt *Acacius* Melitinensis, & *Rabulas* Edessenus Episcopi, scripserunt Armeniæ Episcopis, ne Theodori Mopsuesteni, utpote Hæretici, & Auctoris Nestoriani Dogmatis, libros susciperent. Contra vero Episcopi Ciliciæ accusarunt *Rabulam*, & *Acacium*, quod hoc non ex charitate, sed ex æmulatione, atque contentione fecissent. Episcopi Armeni in unum congregati miserunt duos Presbyteros *Leontium*, & *Aberium* ad Proclum Constantinopolitanum Episcopum, ut scirent ab eo, cui doctrinæ standum esset. *Proclus* itaque annuens eorum votis *tomum* scripsit, in quo doctrinam Theodori Mopsuesteni Episcopi tanquam Hæreticam reprobavit, eumque misit ad Joannem Antiochenum, qui coacto Concilio subscripsit prædicto *Procli* tomo, una cum Episcopis cum ipso congregatis. Porro, quamvis Joannes Antiochenus subscripserit tomo Procli, de Theodoro tamen Mopsuesteno, cujus magnum erat per totum Orientem nomen, consulto tacuit, ut facilius excitati tumultus in optatam diu tranquillitatem verti possent, quam Joannis Antiocheni dispensationem, utpote ad revocandam, vel conservandam Ecclesiæ pacem prorsus necessariam probavit ipsemet Cyrillus in Epistola, quam scripsit ad Proclum his verbis: *Dispensatio vero in his est res optima ac sapiens. Si enim adhuc in vivis esset* (Theodorus Mopsuestenus) *& Nestorii blasphemiarum fautor esse, aut suffragari vellet iis, quæ scripsit ipse, Anathema etiam propria persona subiisset; quoniam vero ad Deum abiit, sufficit, ut ego puto, ea quæ absurde ab eo scripta sunt, reiici ab iis, qui recte sentiunt &c.*

D. Fueruntne tandem per hanc Oeconomiam compressi omnes tumultus?

M. Nequaquam. Quidam enim Episcopi Orientales Nestorianæ Hæreseos fautores, hanc Oeconomiam suscipere renuerunt, & Theodori Mopsuesteni blasphemias tanquam consonas doctrinæ SS. Patrum præfracte defendere ausi sunt. Quamobrem Cyrillus Alexandrinus coactus est libros conscribere adversus Theodorum Mopsuestenum, eumque etiam post mortem tanquam Hæreticum, & impium anathematizare. Inde tamen finita non est Theodori Mopsuesteni causa, ex qua originem postea duxerunt gravissimi tumultus, qui usque ad Synodum Chalcedonensem, immo usque ad quintam Synodum Generalem sub Vigilio Papa, & Justiniano Imperatore in sexto Ecclesiæ Sæculo celebratam perdurarunt, ut expendemus in nostris Colloquiis in sextum Ecclesiæ sæculum.

Dum sic in Oriente occulte adhuc serperet Nestoriana lues, contigit ut *Eutyches* Presbyter, & Archimandrita cujusdam Monasterii Constantinopolitani, qui in Concilio Ephesino contra Nestorium strenue decertaverat, in contrarium plane errorem delapsus fuerit, asserens duas in Christo naturas ante unionem fuisse, sed post unionem, sive post Incarnationem, unicam tantummodo naturam, seu divinam, permansisse, ac subinde Carnem Christi nobis non esse consubstantialem. Hæc male sana Eutychetis dogmata, quæ, ut jam diximus in Colloquio de Hæresibus, quinto Ecclesiæ seculo emerserunt, a *Flaviano* Constantinopolitano Episcopo in Concilio, quod Constantinopoli celebravit, fuerunt proscripta, nihilosecius in Conciliabulo Ephesino, vulgo *latrocinali* dicto, a Theodosio juniore Imperatore anno ccccxlix. indicto approbata sunt, Eutyches absolutus, Legati Sancti Leonis Summi Pontificis injuriis affecti, Flavianus Episcopus Constantinopolitanus, qui Eutychem damnaverat, & *Eusebius Dorilæus* Antistes damnati, ac depositi sunt, atque Anatolius in locum *Flaviani*, Episcopus Constantinopolitanus consecratus est, omnia denique a Dioscoro Episcopo Alexandrino hujus Conciliabuli Præside, militari Satellitio stipato, per vim & fraudem ad stabiliendam Eutychianam Hæresim peracta sunt. Vivente Theodosio juniore Imperatore, nullum remedium tot gliscentibus malis adhibere potuit S. Leo Papa, nec ab ipso impetrare unquam potuit, ut Generale convocaretur Concilium, in quo latrocinii Ephesini Acta rescinderentur. At mortuo Theodosio in partes Eutychetis inclinato, Summus Pontifex facile a *Marciano* Theodosii successore, cui *Pulcheria* Augusta suum conjugium una cum Sceptro detulerat, obtinuit convocationem Concilii Chalcedonensis, in quo omnia latrocinii Ephesini Acta fuerunt rescissa, & Eutychiana Hæresis, quæ jam multorum pervaserat animos, fuit omnino profligata.

D. Quando nam celebratum est Concilium Chalcedonense, & quid in eo gestum est?

M. Concilium Generale Chalcedonense inchoatum est in Ecclesia Sanctæ Euphemiæ Martyris VIII. Idus Octobris anni ccccli. & Kalendis mensis Novembris ejusdem anni absolutum est. Huic Concilio interfuerunt sexcenti, & triginta Episcopi, quamvis minori numero subscripti reperiantur. Præfuerunt Legati Summi Pontificis Leonis, *Paschasius* Lilibæi in Sicilia Episcopus, *Lucensius* Asculanus Episcopus, *Bonifacius*, & *Basilius* Presbyteri, quibus *Julianus* Coensis Episcopus adjunctus est. Aderant etiam amplissimus Senatus, & Palatii Proceres, Judices, & Moderatores ab Imperatore Marciano constituti Septemdecim Actiones, seu Sessiones in hoc Concilio habi-

habitas fuisse, asserit Baronius, sed secundum illius Concilii Acta, quæ nunc habemus, fuerunt tantum sexdecim. In prima Actione, lectis Actis latrocinii Ephesini, *Dioscorus* Alexandrinus, *Juvenalis* Hierosolymitanus, *Thalassius* Cæsareæ Cappadociæ, *Eusebius* Ancyranus, *Eustathius* Berytensis, & *Basilius* Seleuciensis Episcopi, & Conciliabuli Ephesini Principes, suis Sedibus fuerunt dejecti. In secunda Actione lecta fuit celeberrima S. Leonis Papæ ad Flavianum de Incarnatione Verbi Divini contra Hæresim Euychetis Epistola, & unanimi Patrum consensu approbara est. In tertia Actione ventilata est Causa Dioscori Alexandrini, qui ad Synodum ter vocatus, & comparere detrectans, depositus est, omnisque ei adempta spes, suam Sedem recuperandi. In quarta Actione, *Juvenalis* Hierosolymitanus, *Thalassius* Cæsariensis, *Eusebius* Ancyranus, *Eustathius* Berytensis, & *Basilius* Seleuciensis, qui a Synodo depositi fuerant, dolentes, quod judicio contra Flavianum subscripsissent, & damnantes Eutychem & Dioscorum, ad suas Sedes admissi sunt. In eadem Actione agitata est Causa, *Photium* Tyriorum Episcopum inter, & *Eustathium* Beryti Antistitem, qui jus Metropoliticum sibi arrogabat; contra quem statuit Sancta Synodus, jus Metropoliticum Episcopo Tyriorum servandum esse etiamsi Imperator Civitatem Beryti in Metropolim nuper erexisset. In quinta Actione conscripta & recepta fuit fidei definitio, qua declaratur, unum, eumdemque Christum, Filium, Dominum, Unigenitum, in duabus naturis inconfuse, immutabiliter, indivise & inseparabiliter esse agnoscendum. In sexta Actione, (cui *Marcianus* Imperator interfuit, sed non *Pulcheria* Augusta, sicut quidam perperam asserunt (*a*)) relecta est definitio Fidei, & omnium Episcoporum consensione comprobata. In septima Actione, lis, quæ *Maximum* Antiochiæ inter, & *Juvenalem* Hierosolymorum Antistites circa suarum Diœceseon limites oborta fuerat, mutuo consensu dirempta; nempe ut Antiochenus Episcopus duas Phœnicias, & Arabiam, Hierosolymitanus vero Antistes tres Palæstinas sua sub potestate, & jurisdictione haberet, quod & totius Synodi judicio firmatum est. In octava actione, *Theodoretus* Cyrensis Episcopus, postquam jussu Concilii Nestorio & omnibus idem cum eo sentientibus Anathema dixisset, Synodali judicio mox in Ecclesiam, ex qua latrocinii Ephesini decreto fuerat expulsus, restitutus est, & Catholicus judicatus. In nona, & decima Actionibus discussa est causa *Ibæ* Edesseni Episcopi, qui, dicto pariter in Nestorium, & Eutychem Anathemate, a Synodo Chalcedonensi receptus, ac suæ Sedi restitutus est. In Actionibus undecima & duodecima plenissima tractata est Causa *Bassiani*, & *Stephani*, qui post mortem Basilii de Episcopatu Ephesino certatim contendebant. Decrevit autem Sancta Synodus, ut neuter sederet, sed tertius ordinaretur Episcopus Ephesinus, ita tamen ut Bassianus, & Stephanus alerentur sumptibus ex ærario Ecclesiæ Ephesinæ, solidis videlicet ducentis aureis quovis anno persolvendis. Ex quo profluxit origo Pensionum Ecclesiasticarum, de quibus antehac in monumentis Ecclesiasticis nulla prorsus habetur mentio. In Actione decima tertia composita est contentio orta inter *Eunomium* Nicomediensem, & *Anastasium* Nicænum Episcopos. Conquestus erat *Eunomius* Episcopus Nicomediensis, jura sua Metropolitica ab Anastasio Antistite Nicæno fuisse invasa. Hanc controversiam diremit Sancta Synodus juxta Canonem sextum Concilii Nicæni, nempe, Nicænum Episcopum, servato ei Metropolitani honorario titulo, Nicomediensi Episcopo, tanquam Metropolitano subjici debere. In Actione decima quarta statutum est, *Sabinianum* recte ordinatum fuisse Perrhenorum Episcopum, & amovendum esse *Athanasium*, quem Perrhenorum Antistitem Dioscorus ordinaverat. In Actione decima quinta Patres Concilii Chalcedonensis plures Canones, absentibus Legatis Summi Pontificis, condiderunt. Græci Codices habent XXX. Canones, Latini, tantum viginti octo. Ex quibus ultimus, seu vigesimus octavus confirmat Patriarchica Privilegia, quæ Concilium primum Generale Constantinopolitanum anno CCCLXXXI. celebratum concesserat Episcopo Constantinopolitano, ut scilicet post Episcopum Romanum Primatus honore frueretur, jusque ac potestatem haberet in Thraciæ, Ponti, & Asiæ Diœceses, earumque Metropolitas, & insuper Episcopos Barbarorum ordinaret.

„ (*a*) Non ita facile sollicitari potest illorum „ opinio, qui tenent Pulcheriam Augustam una „ cum Marciano viro suo Concilii sessionibus in„ terfuisse; qua de re audiendi sunt differentes „ Ballerini fratres in Epistolam Anatolii Con„ stantinopolitani ad S. Leonem ab ipsis primum „ erutam e Vaticano Codice, quamque in sua edi„ tione num. 101. signant. Est autem adnotatio „ ad hæc Anatolii verba: *cum subscripsissemus una„ nimi consensu libello* (definitionis a Concilio „ editæ) *qui conveneramus in consessu universa„ lis nostræ Synodi &c. cumque piissimi & Christi „ amantissimi Imperatoris nostri Marciani, & piis„ simæ perque omnia fidelissimæ Imperatricis Au„ gustæ filiæ nostræ Pulcheriæ oratione & gaudio „ atque hilaritate scriptam ad confirmandam eam, „ quæ Patrum nostrorum fuit, fidei definitionem „ &c.* Ad quæ verba notant Ballerini Pulcheriam „ Augustam revera interfuisse una cum viro suo „ actionibus Conciliaribus; nomenque ipsum Pul„ cheriæ legi admonent in collectionum latinarum „ paucis nonnullis capitulis interpretationis omni„ no diversæ ab ea, qua versa sunt cetera capita „ ejusdem Synodi. Ex hoc interpretationum discri„ mine viri illi doctissimi evincunt paucorum il„ lorum capitum interpretationem utpote rudio„ rem, & minus accuratam remotioris esse an„ tiquitatis, quam sit generatim omnium acto„ rum versio; & facile inducuntur, ut credant, „ lucubratam illam fuisse ipso superstite S. Leo„ ne. In illo ergo antiquissimo textu græco, un„ de desumpta est hæc vetustissima interpretatio, „ Pulcheriæ nomen legebatur quamquam hodie „ non legitur in græco textu excuso. Idem pa„ riter occurrit nomen in MS. Collectionis Ques„ nellianæ; idem in Vaticano Codice 1322. Idem „ tan-

„ tandem legitur in auctore Breviculi historiæ „ Eutychianistarum, cujus hæc sunt verba: *in* „ *qua & ipse* (Imperator) *& Pulcheria re-* „ *sedit*.

D. Consenseruntne Legati summi Pontificis huic Canoni vicesimo octavo, quo post Romanum Pontificem primatus honoris, & jura Patriarchica adjudicantur Episcopo Constantinopolitano?

M. Immo potius reclamarunt Legati Summi Pontificis in Actione decima sexta, & ultima illius Concilii, quæ Calendis Novembris habita est. In ea quippe postularunt Legati, ut relegeretur Canon ille de Sede Constantinopolitana, seipsis absentibus, conditus. Relectus itaque est hic Canon cum omnium ferme Patrum subscriptionibus, cui palam intercesserunt Legati; Patres tamen eumdem Canonem, non obstante Legatorum reclamatione, sua auctoritate firmarunt, acclamantes: *Hæc justa sententia. Hæc omnes dicimus*. Verum, hic Canon vigesimus octavus Concilii Chalcedonensis a S. Leone Papa fuit reprobatus, & ab ipsismet Græcis expunctus e numero Canonum. Cæteros autem ejusdem Concilii Canones approbavit tacito saltem consensu Sanctissimus ille Pontifex, eosque universa recepit Ecclesia.

D. Hæc sunt igitur Concilia, quæ in quinto Ecclesiæ sæculo ad proscribendas Hæreses fuerunt celebrata?

M. Præter hæc Concilia, quæ hactenus recensuimus, aliæ Synodi contra errores Origenistarum anno CCCCI. fuerunt celebratæ, videlicet *Cypria* a Sancto Epiphanio Salaminæ Episcopo, & *Alexandrina*, in qua Theophilus Patriarcha Alexandrinus *Dioscorum*, *Ammonium*, & *Euthymium* Ægypti Monachos, qui *Fratres longi* cognominabantur, damnavit, quod nollent subscribere damnationi Origenis. At isti Anachoretæ gravissimis a Theophilo calamitatibus vexati, & e suis Monasteriis extorres vivere coacti, Constantinopolim anno CCCCII. venerunt, & ad pedes Sancti Joannis Chrysostomi hujus Civitatis Episcopi sese abjecerunt, ejus præsidium implorantes: *Joannes* pietate motus, hos Monachos vitæ austeritate confectos, ætate provectos, canicie venerabiles, benigne exceptos fovit hospitio, illos tamen, inconsulto Theophilo, ad communionem Ecclesiasticam admittere noluit. *Arcadius* Imperator de justis querelis horumce Monachorum, & de eorum accusationibus adversus Theophilum per libellum supplicem certior factus, jussit Theophilum, etiam invitum, Constantinopolim adduci. Ea res Theophilum vehementer commovit in Joannem Chrysostomum, eumque perdendi inivit Consilium, quamvis Joannes ipsi per litteras contestatus fuisset, se omni conatu his Anachoretarum accusationibus penitus abstinuisse. Theophilo in hac causa Joannem Chrysostomum criminanti sese adjunxerunt *S. Epiphanius* Salaminæ in Cypro Episcopus, & *S. Hieronymus*, qui ægre ferebant, quod *Joannes* hic Anachoretis faveret, quos Theophilus tanquam Origenistas damnaverat. Quin, & ipse Epiphanius non dubitavit Constantinopolim accedere, & licet a Joanne perhonorifice fuisset exceptus, & omni officio ad pacem invitatus, omnem tamen cum illo communionem abrupit, voluitque in Monachos dictos *Fratres longes*, eisque adhærentes velut Origenis fautores palam in Ecclesia excommunicationis ferre sententiam, sed, ne id attentaret, a *Serapione* Diacono tempestive admonitus, proprioque ipsemet deterritus conatu abstitit a cœptis, taciteque Constantinopoli abscessit in suam reversurus Ecclesiam. Sunt nonnulli, qui scribunt, *Joannem* Epiphanio Constantinopoli proficiscenti prædixisse mortem antequam Cyprum attingeret; & vicissim *Epiphanium* Joanni Chrysostomo imminens exilium fuisse vaticinatum. Sed istas prædictiones Epiphanii, & Chrysostomi, ut fabulosas, & plane commentitias jure optimo irridet Baronius, quippe quæ non solum Sanctis hominibus indignæ prorsus videntur, sed etiam a Socrate in sua Historia Ecclesiastica non referuntur pro veris, ac certis.

Postquam S. Epiphanius Constantinopoli abiisset, S. Joannes Chrysostomus Orationem habuit ad Populum, quæ omnium generaliter mulierum vitia carpebat, & *Eudoxiæ* Augustæ animum in S. Chrysostomum exasperavit. Putans siquidem Eudoxia illatam sibi hac Chrysostomi Oratione contumeliam, curavit, ut Theophilus Patriarcha Alexandrinus, qui Constantinopolim cum multis Episcopis Ægypti venerat, Synodum in Suburbio Chalcedonis *ad Quercum* anno CCCCIII. convocaret, cui etiam interfuere quidam Asiæ Episcopi a Chrysostomo juste depositi, & hac de causa ei maxime infensi. Ad istud Conciliabulum citatur Joannes, qui tamen comparere noluit coram Episcopis, qui spretis æquitatis, & disciplinæ Ecclesiasticæ legibus in ejus exitium tori incumbebant. Nihilosecius hæc Pseudo-Synodus Chrysostomum damnavit, eumque *Arcadius* Imperator suo decreto exulare jussit. Paruit Chrysostomus, & ineunte nocte solvit e portu navis, quæ Sanctissimum illum Antistitem in exilium deferebat, populo in littore vehementer indolente. Verum ingenti terræ motu facto, quo concussa est tota Civitas, ac plebe ad seditionem urgente, coactus est *Arcadius* ab exilio quamprimum revocare Chrysostomum, qui tam festivis totius populi acclamationibus exceptus est, ut non ab exilio, sed potius ex victoria redire videretur; sed ecce paulo post, novus intonuit turbo, qui conceptam populi lætitiam in acerbum luctum convertit. At enim, cum celebrarentur ludi ad Ecclesiam, ob argenteam Eudoxiæ Augustæ statuam, quæ supra columnam purpuream erat erecta, Chrysostomus ejusmodi ludos magno animi æstu exagitans, celebrem illam habuit orationem, quæ adhuc inter ejus Opera legitur, & cujus initium est: *Rursus Herodias furit &c.* qua oratione, quasi in se dicta, sibi amplius temperare haud potuit Eudoxia, sed muliebri more ira supra modum excandescens dedit operam, ut altera e vestigio Constantinopoli haberetur Synodus, ad quam vocatus Theophilus Alexandrinus consulto adesse noluit, veritus ne facta populi commotione vitam suam in discrimen adduceret. Misit tamen Legatos, qui cum aliis Episcopis in Jn-

annem Chrysostomum male affectis depositionis sententiam, in ipsum a Theophilo Alexandrino in Synodo ad Quercum jam latam, confirmarunt. Sic Chrysostomus a suis adversariis injuste iterum oppressus, in exilium jussu Arcadii Imperatoris abductus est, quod illi fuit gravissimum, non solum ob periculum itineris ab Isauris latronibus infestati, & ob febres, & dolores stomachi, quibus frequenter torquebatur, sed etiam ob rerum omnium penuriam, quam per triennium, & quatuor circiter menses, usque ad mortem in suo exilio constanter, & infracto pectore passus est. Innocentius I. Summus Pontifex, ad quem Chrysostomus injuste damnatus appellaverat, Romæ Synodum coegit, in qua Chrysostomum innocentem declaratum, suam in communionem recepit, misitque Legatos ad *Honorium*, Occidentis Imperatorem, ut scriberet ad fratrem suum *Arcadium* Orientis Imperatorem, ejusque auxilio Synodus celebraretur Thessalonicæ, ibique Chrysostomi causa, quæ Orientem, & Occidentem suspensum, distractumque tenebat, in rem Ecclesiæ dijudicaretur. Sed Legati, acceptis Innocentii Papæ, & Honorii Imperatoris litteris Constantinopolim profecti, re infecta, redire coacti sunt. Theophilus siquidem Alexandrinus impedivit, ne hæc Synodus, in qua detectis ejus fraudibus, innocentia Chrysostomi patuisset, celebraretur. Immo, mortuo etiam Chrysostomo sese adeo infensum exhibuit Theophilus, ut omni conatu semper obstiterit, ne ejus nomen in Diptychis inscriberetur. Mortuo Theophilo, Cyrillus ejus nepos, & in eadem Sede Alexandrina successor, rogatus ab Attico Episcopo Constantinopolitano, ut Chrysostomi nomen in Ecclesiæ Alexandrinæ tabulis conscriberetur, statim consentire noluit, sed postmodum, re melius perspecta, *Arsacium*, qui, vivente adhuc Chrysostomo, Episcopus Constantinopolitanus fuerat ordinatus, e Diptychis Alexandrinis deleri, ejusque loco Chrysostomi nomen subrogari consensit. Tunc per universum Orientem Festus dies Sancto Joanni Chrysostomo sacer, publico cultu cœpit celebrari, quæ festivitas majori cultu aucta est, quando sub *Proclo* Episcopo Constantinopolitano, anno videlicet CCCCXXXVIII. Reliquiæ Sancti Joannis Chrysostomi magnificentissima pompa Constantinopolim advectæ sunt, & ad eas Theodosius junior Imperator Arcadii filius genibus provolutus, veniam supplex pro suis parentibus oravit, & Sanctissimo Pontifici se, suumque commendavit Imperium. Sed satis hactenus dictum sit de origine & progressu celebris illius controversiæ, quam non solum Theophilus Alexandrinus, sed etiam Sancti Epiphanius, & Hieronymus habuerunt cum Sancto Chrysostomo in causa Origenistarum. Culpandi tamen non sunt Sancti illi Patres, quia, ut optime observat Baronius ad annum CCCC. n. LXII. *Sæpe contingit, Sapientissimos quosque falli, eosdem tamen a Sapientia, & insita probitate non excidere, cum nimirum ad ea, quæ agunt, recto sinceroque mentis feruntur intuitu. Cum igitur de Sanctissimorum Virorum Epiphanii, Hieronymi (ut de Theophilo dicere prætermittamus) atque Joannis Chrysostomi optima mente dubitare religio sit, quæcumque ab eis acta sunt, in meliorem partem accipias, necesse est.* Hanc sapientissimam in factis hominum metiendis Baronii regulam semper præ oculis habere debes, ut ea, quæ a SS. Patribus, vel a Catholicis Scriptoribus sincere acta, vel tradita sunt, nunquam in sinistrum sensum interpreteris.

D. De Conciliis, quæ in quinto Ecclesiæ sæculo contra Pelagianos, Nestorianos, Eutychianos, & Origenistas habita sunt, satis hactenus disseruisti. Superest nunc ut paucis referas Concilia, quæ eodem Ecclesiæ sæculo ad fanciendam Ecclesiæ Disciplinam fuerunt celebrata.

M. Multa in quinto Ecclesiæ sæculo Concilia Nationalia & Provincialia fuerunt coacta ad sanciendam Ecclesiæ Disciplinam, & ad dirimendas Controversias, quæ identidem occasione Ecclesiasticæ jurisdictionis oriebantur. In primis, in Concilio *Taurinensi*, quod, juxta Cl. *Pagium* indictum est anno CCCCI. non vero anno CCCXCVII. ut autumat Baronius, agitata est controversia de Primatu inter Episcopos Arelatensem, & Viennensem, decretumque est Canone secundo, ut qui ex duobus illis Episcopis probare posset, suam Civitatem esse Metropolim, is totius Provinciæ honorem Primatus obtineret, & juxta Canonum præceptum, Ordinationum haberet potestatem. Hinc, ut obiter dicam, falsi convincitur quorumdam hujus temporis Criticorum opinio, qui origines omnium Ecclesiarum Gallicanarum, præter Lugdunensem, & alias paucas, ad medium tertii sæculi detrudunt, affixa ex Gregorio Turonensi *Grati* Consulatui gesto anno ducentesimo quinquagesimo missione Sancti Trophimi in Gallias. Enim vero Episcopus Arelatensis a Concilio Taurinensi juris Metropolitici Ecclesiastici honorem sibi conservari non alio nixus fundamento postulabat, nisi quia ad Urbem Arelatensem primo Ecclesiæ sæculo *S. Trophimus* Episcopus missus fuerat. Quæ traditio, si tum temporis certa apud omnes non fuisset, præsertim apud Patres Concilii Taurinensis hujus Controversiæ judices, omni procul dubio Episcopus Arelatensis non solum repulsam tulisset, sed etiam falsam obtrudendo traditionem sese omnibus illis Episcopis antiquitatis Ecclesiasticæ haud ignaris deridendum propinasset. Id autem non contigit, quia persuasum habebant Patres Concilii Taurinensis, S. Trophimum longe ante Deciana tempora, annumque Christi CCL. Ecclesiam Arelatensem fundasse, ex qua postea, velut ex fonte, ut ait *Zosimus* Papa, universæ Galliæ fidei rivulos acceperunt (*a*).

„ (*a*) Nemo est hodie qui dubitet tempore
„ Concilii Taurinensis receptam fuisse apud La-
„ tres illos opinionem de missione S. Trophimi
„ sub ipsis Apostolicis temporibus; sed contendunt
„ Eruditi hanc illis persuasionem inductam fuisse
„ a Zosimo Papa, cui Patroclus Arelatensis id non
„ sine mendacio persuaserat, eo quod rebus suis
„ conduceret tantam antiquitatem Ecclesiæ suæ
„ asserere. Verum licet persuasio ista tantam antiquitatem præfert, adhuc tamen
„ nequaquam extundit auctoritatem S. Gregorii
„ Turo-

„ Turonensis, qui S. Trophimi missionem ad an. „ 250. retrahit. Ita De Marca Dissert. de pri- „ mis Galliar. Episcop. Tillemont in vita S. „ Dionysii Paris. Tom. 4. not. 1., ac novissime „ Ballerini in observat. ad Dissert. Quesnelli in „ part. 2. dissert. 5. pag. 999.

Complures Carthagine in quinto Ecclesiæ sæculo celebratæ sunt Synodi, in quibus ad instaurandam Ecclesiæ Africanæ disciplinam saluberrimi conditi sunt Canones, Sedis Apostolicæ consensu & auctoritate adeo probati, ut partem deinde fecerint veteris Collectionis Canonum, quæ incipit a tertio Carthaginensi Concilio, & alia ex ordine complectitur Concilia, quæ habita sunt sub Aurelio Carthaginensi Episcopo usque ad septimum Carthaginense Concilium, & præterea Synodum Milevitanam sub eodem Aurelio habitam. Legendus est super hac re Illustrissimus *Petrus de Marca* Parisiensis Archiepiscopus cap. 4. Dissertationis *de veteribus Collectionibus Canonum*, ubi plura perdocte notat de ordine Conciliorum Africæ in veteri Collectione.

„ (*b*) Omnium tamen accuratissime ordi- „ nem Conciliorum Africæ digerunt Ballerini „ Fratres in Dissertat. prævia ad Tom. 3. ope- „ rum S. Leonis part. 1. pag. LXXIV. & seqq. qui „ singulis Conciliis suos Canones diligenter assi- „ gnant erutos ex Ferrando, Codice universali „ Ecclesiæ Africanæ, & Concilio Carthaginensi „ an. 525. ut prætеream veteres Codices summa „ cura a se consultos.

Hic tamen intactam prætermittere haud possum difficultatem circa Appellationes Episcoporum ad Sedem Apostolicam, de quibus actum est in sexta Synodo Carthaginensi, & quas a Patribus illius Synodi omnino prohibitas fuisse, affirmant nonnulli hujus temporis Scriptores. At si perscrutemur originem illius Controversiæ de Appellationibus ad Sedem Apostolicam, aperte liquebit, hanc Synodum non prohibuisse absolute Appellationem Episcoporum, sed solum simplicium Presbyterorum, & aliorum inferiorum Clericorum ad Sedem Apostolicam. Huic quippe enatæ Controversiæ de Appellationibus ad Romanam Sedem occasionem in sexto Concilio Carthaginensi dedit *Apiarius* Siccensis Ecclesiæ Presbyter, quem *Urbanus* ejusdem Ecclesiæ Episcopus quorumdam criminum convictum Synodali sententia curaverat amoveri. Ille vero, contra Disciplinam Ecclesiæ Africanæ a judicio sui Episcopi ad Zosimum Romanum Pontificem appellaverat, & Zosimus Legatos in Africam destinarat, ut Apiarii causam retractarent. Quapropter Antistites Africani avitæ suæ Disciplinæ tenacissimi, ne deinceps alii Presbyteri, vel Clerici inferiores Apiarii exemplum sequerentur, prohibuerunt, ne Presbyteri, Diaconi, & cæteri inferiores Clerici a judiciis Episcoporum suorum ad Romanam Sedem provocarent. Quam prohibitionem Appellationum Presbyterorum, & aliorum inferiorum Clericorum ad Sedem Apostolicam paulo ante promulgaverat Synodus Milevitana, cujus Canon vicesimus secundus ita decernit: *Item placuit, ut Presbyteri, Diaconi, vel cæteri inferiores Clerici, in Causis, quas habuerint, si de judiciis Episcoporum suorum questi fuerint, vicini Episcopi eos audiant, & inter eos quidquid est finiant, adhibiti ab eis ex consensu Episcoporum suorum. Quod si ab eis provocandum putaverint, non provocent, nisi ad Africana Concilia, vel ad Primates Provinciarum suarum. Ad Transmarina autem qui putaverit appellandum, a nullo intra Africam in communionem suscipiatur.* Viden, Africanæ Ecclesiæ Antistites non prohibere Episcopis, sed tantum Presbyteris, & aliis Clericis inferioribus transmarinas Appellationes. Fatendum tamen est, juxta Africanæ Ecclesiæ Disciplinam licitum non fuisse Episcopis immediate, hoc est, ante examen & judicium Concilii Nationalis, vel plenarii Africani appellare ad Sedem Apostolicam. Verum appellationes Episcoporum ad Sedem Apostolicam factæ post examen & judicium Concilii Nationalis, vel plenarii Africani nunquam in Ecclesia Africana vetitæ fuerunt. Denique, si quis obstinate velit, Africanos Antistites in sexta Synodo Carthaginensi omnino & absolute prohibuisse appellationes Episcoporum ad Sedem Apostolicam sive ante, sive post examen & judicium Concilii Nationalis, vel plenarii Africani, huic respondendum est, Antistites Africanos id fecisse errore facti deceptos. At enim cum Zosimus Papa jus appellationum Episcoporum, tanquam a Patribus Concilii Nicæni definitum, suæ Sedi vindicaret, nec tamen de eo jure quidquam Patres Africani stabilitum reperirent sive in Canonibus Nicænis Latinis, quos penes se habebant, nec in Græcis exemplaribus, quæ rogati *Atticus* Constantinopolitanus, & *Cyrillus* Alexandrinus ad illos transmiserant; rogarunt Africani Antistites Zosimum, nisi pleniori facta perquisitione constaret, hoc ipsum a Nicænis Patribus fuisse decretum, ne Africanas Ecclesias vellet ad hanc observantiam adigere. At statim ac Patres Africani intellexerunt, id juris appellationum Episcoporum ad Sedem Apostolicam decretum fuisse, non quidem in Concilio Nicæno, uti affirmabat Zosimus Papa, sed in Concilio Sardicensi Canone septimo, non amplius reluctati sunt, sed ultro admiserunt appellationes Episcoporum ad Sedem Apostolicam, ut liquido constat ex causa *Antonii* Fussalensis Episcopi, qui, teste Sancto Augustino Epist. 161. a Synodo Africana exauctoratus ad Cælestinum I. Pontificem, non reclamantibus Episcopis Africanis, appellavit. Causa autem cur Zosimus pro Sardicensi Canone Nicænum allegaverit Concilium, hæc est: quia tametsi duo ista Concilia fuerint generalia, parisque auctoritatis, Nicænum tamen notius erat, illiusque quasi Appendix dicebatur Concilium Sardicense. Deinde, quia in Collectione Canonum, quibus Romana utebatur Ecclesia, promiscue permixti erant Canones Nicæni, & Sardicenses sub eadem Nicæni Concilii inscriptione, sicut manifesto apparet in Justellianis, & Quesnellianis Nicænorum Canonum editionibus. Sed hæc breviter dicta sufficiant de transmarinarum appellationum controversia, cui in Concilio sexto Carthaginensi occasionem dedit *Apiarius* Presbyter Siccensis, cujus causa in eodem Concilio sic finita fuit, ut ipse in communionem susci-

fuſciperetur, ſervaretque ſui gradus honorem, ea tamen lege, ut ex Civitate Siccenſi, cui ſcandalo fuerat, ſecedere cogeretur.

D. Summa profecto laude ac commendatione digni ſunt Africanæ Eccleſiæ Antiſtites, qui ad ſanciendam Eccleſiæ Diſciplinam tot Concilia convocarunt; ſed numquid alii Orbis Chriſtiani Eccleſiarum Epiſcopi ad inſtaurandam Diſciplinam Eccleſiaſticam pari zelo, & vigilantia paſtorali adlaborarunt?

M. Epiſcopi Eccleſiæ Gallicanæ in conſervando Diſciplinæ Eccleſiaſticæ vigore, & in Sanctiſſimis pro externo Eccleſiæ regimine condendis legibus, Epiſcopis Africanis in quinto Eccleſiæ ſæculo haud inferiores fuerunt. Poſtquam enim Eccleſia Africana oppreſſa incurſione Vandalorum, qui Ariani erant, & anno CCCCXXVIII. in Africa dominari cœperunt, Concilia convocare non potuit; ſingulari Divinæ Providentiæ beneficio factum eſt, ut Eccleſia Gallicana in quinto ſæculo multa celebrarit Concilia, quorum ſalubertimis decretis, ſeu Canonibus, Diſciplinæ Eccleſiaſticæ optime fuit conſultum. Hæc Gallicana Concilia breviter indicaſſe ſufficiet, quorum pleniorem notitiam ſi aſſequi deſideres, adire poteris *Sirmondum*, qui omnia Gallicana Concilia collegit, & perdoctis Annotationibus illuſtravit.

In primis, anno CCCCXXIX. die XV. menſis Auguſti habitum eſt in Galliis a duodecim Epiſcopis Concilium *Regenſe*, ſeu *Rejenſe*, gallice *Riez*, quæ eſt Urbs Epiſcopalis in Provincia ſub Archiepiſcopo Aquenſi, in quo abrogata, & nulla declarata fuit *Armentarii* Ebredunenſis Epiſcopi ordinatio facta a duobus tantum Epiſcopis, citra aliorum Provinciæ Epiſcoporum conſenſum, ac ſolum Chorepiſcopi titulus *Armentario* conceſſus eſt. Octo etiam Canones in rem Eccleſiaſticæ Diſciplinæ conditi ſunt.

Anno CCCCXLI. in Gallia Narbonenſi coactum eſt a XVII. Epiſcopis Concilium *Arauſicanum*, Gallice *Orange*, quæ eſt Urbs in Provincia ſub Archiepiſcopo Arelatenſi, in quo ſtatuti ſunt Canones XXX. ad Diſciplinam Eccleſiæ ſpectantes, & a *Sirmondo*, & ab Illuſtriſſimo *Albaſpinæo* Aurelianenſi Epiſcopo eruditis Notis illuſtrati.

Anno CCCCXLII. in Comitatu Venaſcino habitum eſt Concilium *Vaſenſe*, ſeu *Vaſionenſe*, Gallice *Vaiſon*, cujus de Diſciplina Eccleſiaſtica extant Canones X. quos Sirmondus, Binius, & Albaſpinæus Notis ſuis illuſtrarunt.

Denique, alia Concilia in Galliis ad reſarciendam collapſam Eccleſiæ Diſciplinam fuerunt celebrata, *Arelatenſe* videlicet anno CCCCLII. cujus extant Canones LVI. *Andegavenſe*, anno CCCCLIII. cujus extant Canones XII. *Arelatenſe* alterum an. CCCCLV. *Turonicum* anno CCCCLXI. in quo editi ſunt Canones XIII. *Veneticum* Gallice *Vannes* in Aremorica, ſive Britannia minori anno CCCCLXV. in quo confecti ſunt XVI. Canones. Sed de his Conciliis Gallicanis, ſicut & de Canonibus, qui in illis conditi ſunt, plura legeſis apud doctiſſimum Sirmondum; nos autem, quibus placet brevitas, huic Colloquio finem imponemus.

COLLOQUIUM V.

De Viris illuſtribus, qui eruditione & pietate Eccleſiæ in quinto ſæculo multum ſplendoris contulerunt.

D. Etſi bene multos in quinto Eccleſiæ ſæculo floruiſſe viros doctrina, & pietate conſpicuos facile admodum colligere poſſim ex Hiſtoria iſtius ſæculi, quam hactenus accurate deſcripſiſti; optarem tamen ut in hocce Colloquio merita & opera recenſeres, ſi non ſingulorum, ſaltem eorum præcipue, qui in quinto ſæculo mira eruditione Eccleſiam præ cæteris illuſtrarunt, eamque ab Hæreticorum inſultibus egregie vindicarunt.

M. Ineunte quinto ſæculo multum ſplendoris Eccleſiæ contulerunt innumeri propemodum viri undecumque doctiſſimi, quibus optimo jure Theologia acceptum referre debet quidquid verum, quidquid habet ſublime & auguſtum. Hi ſunt quippe, qui de omnibus Chriſtianæ Religionis myſteriis, admota veritatis luce, diſſeruerunt, qui vocum, ad ea planius explananda, propriam & nativam ſignificationem præfixerunt; qui eorum principia ſolide firmarunt; omnes conſecutiones, quæ ex illis elici poſſunt, ſtudioſe inveſtigarunt, & oppoſitos errores immenſis non minus mole, quam eruditione voluminibus confutarunt. Hi ſunt, qui Moralis Chriſtianæ integritatem ea ingenii ubertate, dicendi copia, totque acutiſſimis ſententiis propugnarunt, aſſeruerunt, vindicarunt, ut eloquentiſſimorum Oratorum facundiam longo intervallo ſuperaſſe videantur. Verbo dicam, hi ſunt, ex quorum eruditiſſimis lucubrationibus Eccleſiaſtici Scriptores in ſuccedenti ſæculorum ſerie ſuam doctrinam, velut ex puriſſimo fonte, hauſerunt, & ab eorum veſtigiis ne latum quidem unguem deſciſcere maximo ſibi ſemper honoris loco duxerunt.

D. Quinam ſunt celebriores Scriptores, qui ineunte quinto Eccleſiæ ſæculo floruerunt?

M. Inter Græcos unus inſtar omnium eſt S. Chryſoſtomus. Inter Latinos vero Principem locum jure ac merito obtinent S. Hieronymus, & S. Auguſtinus.

D. Vitam horumce illuſtrium Scriptorum, qui in omnium gentium commendatione verſantur, rogo te ut breviter deſcribas, & Opera ab ipſis edita ab Apocryphis accurate ſecernas.

M. Ea, quæ Sanctus Joannes Chryſoſtomus in Epiſcopatu geſſit, memini me jam in ſuperiori Colloquio attigiſſe. Quapropter, ne tibi iteratis repetitionibus faſtidium ingeram, his in præſentia referendis ſuperſedebo, eaque dumtaxat perſtringam, quæ privatam illius vitam ſpectant, & Opera, quibus univerſam locupletavit Eccleſiam. *Joannes* itaque, ob aureum eloquentiæ flumen, & admirabilem in dicendo facundiam græce vulgari cognomine *Chryſoſtomus* dictus; anno trecenteſimo quadrageſimo ſeptimo natus eſt Antiochiæ ex Patre dicto *Secundo*, & ex matre

An-

Anthusa. Mortuo Patre, Joannem adhuc juvenem *Anthusa* ipsius mater incredibili sollicitudine educavit, & ad perfectam virtutem provexit. Adolescens *Joannes* Rhetoricæ sub *Libanio*, & Philosophiæ sub *Andragathio* viris id ætatis in his artibus longe celeberrimis operam navavit. Aliquot annos in Foro versatus est, sed mox ad severioris vitæ genus, & ad Christianam pietatem conversus, totum sese obsequio Ecclesiæ mancipavit, & Sacrarum Scripturarum studio addixit. Dein, a Meletio Episcopo Antiocheno baptizatus, & Lector ordinatus *Joannes*, timens ne Episcopus consecraretur, secessit anno CCCLXXIV. in montes Antiochiæ vicinos, ubi per quadriennium, hoc est, usque ad annum CCCLXXVIII. solitariam vitam duxit, & postea, teste Palladio in ejus vita, per biennium in loco secretiori vitam egit Anachoreticam; at cogentibus ejus infirmitatibus, anno CCCLXXX. ex Eremo ad natale solum reversus, ab Meletio Diaconus fuit ordinatus, post mortem Meletii a Flaviano ejus in Sede Antiochena successore ad gradum presbyteri provectus, in quo gradu per annos duodecim ad populum Antiochenum tanta omnium acclamatione sermones habuit, ut, mortuo *Nectario* Patriarcha Constantinopolitano, conspirantibus totius Cleri, & fidelium votis in ejus locum suffectus fuerit, quamvis ipse pertinacissima reniteretur modestia, quæ tantum adhibita vi, & Imperiali interposita authoritate superari potuit. Episcopus Constantinopolitanus inauguratus Joannes Chrysostomus multa gessit, & gravissima passus est incommoda conspiratione *Eudoxiæ* Augustæ, *Theophili* Alexandrini, & aliorum Episcoporum, quæ jam a nobis in superioribus Colloquiis relata, hic repetere omnino supervacaneum esset. Reliquit Joannes Chrysostomus moriens præclara ingenii sui Monumenta, in primis *Homilias* in omnes ferme libros cum Veteris, tum Novi Testamenti; varios *Sermones* de variis argumentis Moralibus, Doctrinalibus, de Mysteriis, & de Laudibus Sanctorum. Scripsit etiam S. Joannes Chrysostomus librum adversus Judæos; alterum adversus Gentiles; contra vitæ Monasticæ osores & vituperatores libros tres; præterea edidit libros sex de Sacerdotio; libros duos de Compunctione Cordis; de Providentia Dei libros tres; de Virginitate librum, & aliqua alia Opera Moralia, pluresque Epistolas. *Liturgiam*, quæ extat inter Opera S. Joannis Chrysostomi, germanum esse S. illius Doctoris fœtum affirmant peritiores Catholici Critici. Sed paulo major est difficultas de Epistola ad *Cæsarium* Monachum, quæ S. Joannis Chrysostomi nomine insignita est. Hanc siquidem Epistolam sub nomine S. Chrysostomi laudant *S. Joannes Damascenus* in calce dissertationis contra Jacobitas, *Nicephorus* Constantinopolitanus in Antirrethicis contra Iconomachos, aliique, qui de duabus Christi Domini naturis disputarunt: immo, antiquam ejusdem Epistolæ versionem latinam *Emericus Bigotius* ex Codice Florentino a se descriptam, Palladii Dialogo *de vita S. Chrisostomo* subnexuit, & statim Hæretici Angliæ, & Bataviæ eamdem Epistolam tanquam a S. Chrysostomo exaratam multiplici prælo excuderunt, eamque adversus Transubstantiationis dogma, Catholicis objecerunt. Non defuerunt quidem pereruditi Orthodoxi Theologi, qui hanc Epistolam ad *Cæsarium* Monachum sagacissimis observationibus illustrarunt, quibus Heterodoxorum ora obstruerent, & S. Chrysostomum, quem authorem istius Epistolæ esse autumabant, Transubstantiationis dogmati minime adversari demonstrarent; at felicius præ cæteris nodum illum dissolvit doctissimus noster Pater *Michael Lequien*, qui postremam & castigatissimam Operum S. Joannis Damasceni Editionem nuper adornavit. Is quippe dissertatione tertia Damascenica multis momentis evincit, hanc Epistolam ad *Cæsarium* Monachum non esse exaratam a S. Joanne Chrysostomo, sed a quodam recentiore Scriptore, qui Nestorianæ Hæreseos patronus erat, & post Synodum Chalcedonensem scripsit. Certe constat, neminem Damasceno antiquiorem hanc Epistolam ad *Cæsarium* Monachum laudasse, cum tamen expressissima habeat adversus Eutychianos, aliosque unius naturæ in Christo, necnon unius voluntatis & operationis assertores. Hanc, inquam, Epistolam non laudarunt Concilium Oecumenicum Chalcedonense, sexta Synodus generalis contra Monothelitas celebrata, non Lateranensis sub Martino I. non *Theodoretus*, non *Leontius* Bizantinus, non *Anastasius* Sinaita, non *Maximus* Confessor, non Nestorii vindices, non cæteri denique, qui alia S. Chrysostomi non sic diserta protulerunt testimonia. Perperam igitur hæc Epistola ad *Cæsarium* Monachum tribuitur S. Chrysostomo, ac proinde injuste conqueruntur Hæretici, quod cum aliis ejusdem Sancti Doctoris genuinis Epistolis edita non sit.

Ad eamdem supposititiorum S. Joannis Chrysostomi Operum classem ablegari quoque debent quatuordecim Homiliæ in Evangelium Marci, & sex ex Homiliis in Genesim, videlicet Homiliæ prima, secunda, & tertia in Caput secundum Genesis, & tres aliæ Homiliæ in Caput tertium ejusdem libri Genesis. Denique, Opus in Matthæum, quod vulgo *imperfectum* dicitur, quia non ad finem usque Evangelii Matthæi, sed ad Caput dumtaxat vicesimum quintum productum est, S. Chrysostomum non habet parentem; tum quia nec ejus stylum, nec doctrinam sapit; tum quia etiam plurima continet hæretica dogmata contra Consubstantialitatem Filii Dei cum Patre Æterno, contra Divinitatem Spiritus Sancti, & adversus validitatem Baptismi ab Hæreticis collati. Sunt tamen quidam eruditi viri, quos inter recensentur *Sixtus* Senensis, & *Savilius*, qui existimant, hæc hæretica dogmata, quibus respersum est Opus istud *imperfectum* in Matthæum, fuisse ab Hæreticis interpolatoribus in illud intrusa, idque probant, primo, quia manuscripta quædam vetustissima nihil hujusmodi errorum contineant, sed alia manu prædicti illi errores ad marginem descripti sint. Secundo, quia iis resecatis, & expunctis erroribus, nihil in textu hiulcum, & mutilum appareat, sed plenius fluat

oratio; quod quidem argumento est, hæc hæretica dogmata isti Operi esse assuta. Verum, missis illis conjecturis, standum est communi sententiæ Theologorum, & disciplinæ Critices peritorum asserentium, hoc Opus imperfectum in Matthæum non esse S. Joannis Chrysostomi foetum. Plura de Operibus Sancti illius Doctoris legi possunt apud *Labbeum* in dissertatione *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, apud Natalem Alexandrum in quarto Ecclesiæ sæculo (*a*).

„ (*a*) Recensendam hic arbitror esse editionem operum omnium S. Joannis Chrysostomi elaboratam a viro clarissimo D. Bernardo de Montfaucon, quæ Parisiis integra prodiit anno 1738. In ea vero præter cetera, quæ sunt in prioribus editionibus meliori ordine disposita, comparent primum Homiliæ XI, quas ipse sub Homiliarum Constantinopolitarum nomine exhibet, & multa ex illis eruit ad vitam S. Chrysostomi, quam adornavit, opportuna. Adjecit alias tredecim Homilias a Cl. Gualtero Taylor Anglo ad se transmissas, quamquam earum nonnullas ipse spurias arguit. Demum mentem suam prodit de epistola ad Cæsarium Monachum, quam Chrysostomo abjudicat, ex eo potissimum, quod nihil sit magis a stylo Chrysostomi alienius. Ceterum eandem epistolam ad Codicem Florentinum iterum exactam Vir Cl. Scipio Maffejus transmisit ad Jacobum Basnagium, novum editorem veterum lectionum Canisii adjecta epistola, in qua nonnulla illustrat, ac demonstrat latinum interpretem non satis accurate græcum expressisse; sed & ex eodem latino interprete nihil inferri adversus transubstantiationis veritatem demonstrat. Quin & græcum fragmentum affert, facile ejusdem epistolæ, ut ex verbis utrinque respondentibus apparet, in quo duarum naturarum in Christo unio aliunde deductis similitudinibus probatur; nihil vero tangitur de unione panis & Christi in Eucharistia, unde in latino textu petitur similitudo, & ansa Protestantibus data est Chrysostomum sibi vindicandi. Demum mendacii arguit sparsum inter eruditos rumorem folium illud latini Codicis Florentini epistolam illam latinam continens jussu Principis dilaceratum esse, nec amplius extare. His Maffeii Notis in nonnullis usus est Basnagius; alia dissimulavit. Qua mala fide stimulatus Maffejus iterum (nam typis excusam Epistolam cum notis miserat) vulgavit in opere *Historia diplomatica* excuso, ut præfertur, Mantuæ anno 1727.

D. Qua dote S. Chrysostomus inter cæteros alios sui sæculi Scriptores præsertim emicuit?

M. Omnes sui sæculi Scriptores S. Chrysostomus eloquentia & perspicuitate superavit. Habet siquidem dictionem nativam, nitidam, puram, splendidam insuper, ac fluentem, cum admirabili docendi facultate conjunctam, qualis nulli unquam, vel Græcorum eloquentissimo, contigit. In explicandis Christianæ Religionis dogmatibus sese auribus populi accommodat, & pio quodam juvandi studio, ad illius captum dimittit orationis habitum. Præcipuas Christianæ Moralis quæstiones magna vi, mira eruditione, & appositis exemplis uberrime tractat. Nihil ejus instructionibus facilius, descriptionibus, & narrationibus, quas passim interserit, nihil jucundius, atque ad persuadendum nihil efficacius ejus argumentis, quorum claritate, dulcedine, & amœnitate, Lectorum animos quocumque vult, flectit, movet, rapit, & delectat. In exponendis sacris Scriptoribus sistit potissimum in sensu litterali, & consulto abstinet a sensibus Mysticis, & Allegoricis, quibus plus æquo indulserant interpretes, & Verbi Divini præcones, qui ipsum præcesserant. In Homiliis, quas habebat ad populum, post genuinam textus Scripturæ sacræ interpretationem, solebat in rem suorum auditorum aliquod morale proponere argumentum; illudque late explanare. Quam methodum saluti animarum utilissimam in omnibus suis Homiliis observat Sanctus ille Doctor.

D. Satis de S. Joanne Chrysostomo. Paululum nunc differamus de Patribus latinis, & in primis vitam S. Hieronymi, quem omnigena eruditione præditum fuisse, sæpius audivi, paucis describe, ac varia ejus recense Opera.

M. Hieronymus anno CCCXXXI. sub Consulatu *Bassi*, & *Ablavii*, teste Prospero in Chronico, natus est *Stridone*, sito in Dalmatiæ & Pannoniæ finibus Oppido. Patrem habuit *Eusebium*, a quo primis & teneræ adhuc ætati congruis literis, sanctissimisque moribus imbutus, Romam missus est, ubi sub *Donato* literas Græcas & Latinas, omnesque sæculares didicit disciplinas, ibidemque per sacrum Baptisma Christo in fide renatus est. inde incredibili discendi studio incensus Galliarum Oras, in quibus florebant viri fama celeberrimi, lustravit; Romamque reversus, insignem, variisque voluminibus locupletem Bibliothecam sibi paravit, ut per totum vitæ suæ cursum lectioni & orationi incumbere posset. Quocirca suam secum Bibliothecam deferens, velut alter *Bias* sua secum omnia portans in Orientem secessit, & postquam non nihil temporis Antiochiæ mansisset, in vastam Syriæ solitudinem sese contulit, in qua permansit quadriennio, ibique Hebraicam didicit linguam, sicut ipsemet testatur in Epistola IV. ad *Rusticum*. Dein e sua solitudine, ob gravem ab Arianis in Catholicos excitatam persecutionem, exire coactus Antiochiam redit, ubi tricesimum jam percurrens ætatis suæ annum a *Paulino* Antiocheno Episcopo Presbyter fuit ordinatus. Post brevem Antiochiæ moram, suum in Bethleemitico solo domicilium fixit. Exinde tamen, post auditum aliquandiu Gregorium Nazianzenum Constantinopoli degentem, quem suum præceptorem appellat, Romam ad *Damasum* Papam accessit, a quo perbenigne exceptus est, dignusque ab eo judicatus, quem ad emergentia fidei, Religionisque dubia discutienda adjutorem sibi retineret. Hac sibi a Sancto Pontifice demandata Provincia Hieronymus summa cum laude & Ecclesiæ utilitate perfunctus est. Sed mortuo Damaso, rediit Hieronymus in Orientem, & transiens per Ægyptum & Antiochiam,

chiam, ad selecta tandem sibique charissima Bethleemitica loca feliciter appulit. Ad eadem sanctissima loca celebres fœminæ *Paula*, *Eustochium*, & *Melania*, quas Hieronymus Romæ degens ad sanctioris vitæ propositum duxerat, e vestigio pietatis ergo convolarunt, totque sive viros, sive mulieres ad idem austeræ vitæ genus suis exemplis pertraxerunt, ut *Paula* tria pro mulieribus Monasteria, & unum pro viris ibidem extrui curaverit. Tum Hieronymus votorum suorum compos vitam in Monasterio egit, corpus suum vigiliis, & abstinentiis macerando, & indefessis studiis, componendisve in sacram Scripturam Commentariis unice intentus. Sic totus libris affixus tantam sibi rerum divinarum eruditionem comparavit Hieronymus, ut in obscuris sanctorum voluminum difficultatibus S. Augustinus, Paulinus, Chromatius, Heliodorus, multique alii passim per Italiam, Galliam, Hispaniam, Africam, Palæstinam & Græciam eruditissimi Episcopi ipsum per literas consulerent. Demum meritis plenus obiit Hieronymus nonagenarius laboribus & senio confectus anno Christi ccccxx. Si plura de vita S. Hieronymi scire desideres, legesis vitam Sancti illius Doctoris, quam gallice descripsit doctissimus Pater *Joannes Martianæus* Monachus Benedictinus Congregationis S. Mauri.

D. Cui potissimum studio sese addixit Hieronymus suo in Bethleemitico solo solitarius hærens?

M. Hieronymus in sua solitudine degens non solum multa edidit Opera Exegetica, quibus Scripturam sacram mire illustravit, verum etiam Opera scripsit Polemica, quibus Hæreticorum sui temporis errores prostravit, & Catholicam Fidem asseruit ac vindicavit. In primis, composuit librum contra *Helvidium*, qui impie docebat, Beatam Mariam, Christum peperisse, Virginem, sed postea cum Josepho marito suo congressam alios peperisse filios, suæque virginitatis post partum jacturam fecisse. Præterea, calamum suum acuit Hieronymus in *Jovinianum* Romanæ Urbis Monachum, qui inter alia asserebat, primo, virginitatem non præstare matrimonio. Secundo, eos, qui semel erant baptizati, in peccatum relabi, & acceptam in baptismate justitiam amittere non posse. Tertio, abstinentiam a quibusdam cibis inutilem prorsus esse prædicabat. Postremo, æqualem in omnibus Sanctis fore Visionem Beatificam affirmabat. Hos Joviniani errores summa ingenii vi, & eruditione profunda duobus libris confutavit, ac jugulavit Hieronymus. Scripsit quoque S. ille Doctor librum adversus *Vigilantium* natione Gallum, qui Cleri Cœlibatum improbabat, Martyrum Reliquias colendas esse negabat, ad eorum sepulchra vigilare superstitiosum, & inutile esse ajebat, cereos in Ecclesiis accendi, lucente Sole, ridebat, Monachorum in solitudine vitam vituperabat, & alios id genus spargebat errores, quos S. Hieronymus fuse, & acriter in hoc libro refellit. Montanistarum errores postea insectatus est in Epistola LIV. ad *Marcellam*. Ad confutandos Luciferianos unum Dialogum composuit. Adversus Pelagianos tres Dialogorum libros edidit. Aliquas literarias concertationes habuit cum S. Augustino, sed vehementius, majorique animi æstu cum *Joanne* Episcopo Hierosolymitano, & cum *Rufino*, occasione librorum Origenis, decertavit.

D. Potuitne Hieronymus in his Polemicis conscribendis Operibus occupatus, alios lucubrare libros?

M. Præter hæc Opera Polemica, quæ mox laudavi, edidit S. Hieronymus multa scripta Critica in libros Scripturæ sacræ, Commentarios in Prophetas, in Evangelium Matthæi, in aliquas Epistolas S. Pauli. Duas insuper sacrorum Bibliorum versiones latinas concinnavit, unam ad normam textus LXX. Interp. & alteram exactam ad Hebraici textus veritatem, qua versione tanquam authentica & vulgata a Concilio Tridentino approbata, etiamnum utitur Ecclesia latina. Antiquam versionem latinam, vulgo *Italicam* appellatam, S. Hieronymus correxit, purgavit, castigavit, græcæque fidei reddidit. Quamplures Epistolas Exegeticas, sive sacrarum Scripturarum expositiones, vel quæstionum, dubiorumque resolutorias, & alias de variis argumentis exaravit. Chronicon Eusebii, plures Homilias Origenis, libros *Didymi* de Spiritu Sancto in latinum sermonem convertit. Vitas, seu Historias Sanctorum Monachorum *Hilarionis*, & *Malchi* descripsit, & Catalogum de Viris illustribus contexuit, multaque alia egregia edidit Opera, quæ quinque tomis comprehensa, jam citatus *P. Martianæus* nova & accurata Editione publicavit, doctis Præfationibus & Annotationibus illustravit, atque genuina Opera ab Apocryphis accurato Criterio secrevit. Hanc itaque novam Operum S. Hieronymi consule Editionem, sed præcipue tomum V. ad cujus calcem *P. Martianæus* attexit Appendicem omnibus Scripturæ sacræ & librorum S. Hieronymi studiosis curiosissimam. (*a*)

„ (*a*) Diligentius præ Martianæo editionem suam
„ operum S. Hieronymi curavit Vallarsius, qui
„ præter ea omnia a Parisiensi editore data, nova
„ etiam quædam adjecit, ut epistolas nonnullas a
„ S. Hieronymo sive datas, sive ex græco versas.
„ Novam etiam præfationem instruxit, in qua
„ multa accurate investigat; ac præsertim ea,
„ quæ hic traduntur de versione, ac emendatione
„ librorum S. Scripturæ, quænam ex illis ex versione S. Hieronymi ab Ecclesia adoptata, quænam vero ex sola ejus emendatione Latinæ Italicæ accepta. Eo igitur docente liber Baruch,
„ Sapientia, Ecclesiasticus, & duo libri Machabæorum ex Italica accepti sunt. Psalmorum
„ liber ex postrema emendatione (bis enim emendavit) S. Hieronymi retinetur. Reliqui omnes
„ veteris testamenti libri interpretationi Hieronymi debentur. Novum testamentum ex veteri
„ Italica provenit.

D. Ex tot Operibus, quæ edidit S. Hieronymus, facile conjicio eum fuisse Virum eruditissimum, & omni doctrinarum genere absolutissimum.

M. Sic est, S. Hieronymus, omnium, qui olim sacras literas interpretati sunt, fuit longe doctissimus. Linguarum exoticarum tantam habuit peritiam,

ut Græcam, Hebræam, Syram, Chaldæam & Latinam, perinde, ac Dalmaticam vernaculam suam linguam calleret. Politioribus literis erat optime exculus. In Historia sacra, Ecclesiastica, & Prophana apprime versatus. Nullum Scriptorum genus, quod non delibarit, nulli Historici, nulli Poetæ, nulli Oratores, nulli Philosophi, tam Græci, quam Latini, quos ipse herculeo & indefatigabili studio nocturna non versarit manu, versaritque diurna. Ejus inter scribendum stylus purus ac tersus est, &, teste Erasmo lib. 5. Epist. 19. cum ipso Cicerone certare videtur. Inter disputandum Hieronymus fuit vehementis ac præfervidi Ingenii, suosque Adversarios, præsertim Hæreticos, acriter exagitavit, & Plautino sale defricuit. Denique, Hieronymo in Moralibus austerus, & in Criticis pertractandis quæstionibus accuratissimus fuit.

D. Quis est ille *Rufinus*, qui cum S. Hieronymo, ut modo dicebas, tanto animi æstu disputavit?

M. *Rufinus*, cognomine *Toranius* dictus, Aquilejensis Ecclesiæ Presbyter fuit, qui vitam Monasticam professus Roma cum *Melania* in Orientem profectus est anno CCCLXI. & per viginti quinque annos in ædibus Melaniæ Hierosolymis permansit variis Operibus in publicum edendis intentus. Sed quod Origenis admirator esset, eorumque scriptis plus æquo tribueret, hoc primum cum Hieronymo ipsum collisit. Hæc lis, quæ ante Rufini ex Oriente discessionem utcumque composita fuerat, acrius recruduit, postquam *Rufinus*, & *Melania* Romam, relicto Oriente, pervenerunt anno CCCXCVII. at enim Rufinus Romæ degens cœpit Origenis Apologiam adornare, suamque versionem libri *Periarchon* Origenis, seu *de Principiis*, Romæ publicavit, cui Præfationem præfixit, in qua Hieronymus oblique, immo, aperte petebatur. Hanc Rufini Præfationem cum legisset Hieronymus, actutum Epistolam ad *Pammachium*, & *Oceanum* ordine LXV. scripsit, in qua factam a Rufino Interpretationem libri Periarchon Origenis, uti perniciosissimam detestatur. Brevem etiam Epistolam ordine LXVI. eadem de re ad Rufinum misit. Statim ac Hieronymi literæ Pammachio traditæ sunt, earum exemplar *Aproniano*, qui Rufino addictissimus erat, tradidit Pammachius Hieronymi, & Rufini communis amicus, easque Apronianus transmisit ad Rufinum, qui totus in furorem actus, duos e vestigio *Invectivarum* libros, qui inter Opera S. Hieronymi leguntur, scripsit, hisque non modo datam ad Pammachium Epistolam Hieronymi confutavit, sed etiam illius in Scripturam sacram Commentaria aculeatis censuris perstrinxit. Roma discedens Rufinus Aquilejam petiturus *Siricio* Papæ illusit, & a candido illo Pontifice extorsit Epistolas *formatas*, seu Communicatorias vulgo dictas, quæ erant publicæ velut tesseræ, quibus in longinqua peregrinatione Orthodoxæ fidei professores ostendebantur. Sed post obitum Siricii *Anastasius* illius successor damnavit Interpretationem Rufini, qui tamen in gradu Presbyteri in Ecclesia Aquilejensi perstitit usque ad annum CCCCIX. quo anno Italiam vastante *Alarico*, in Siciliam cum Melania, ejusque familia venit, ibique mortuus est anno CCCCX.

D. Præter illos duos *Invectivarum* libros, editne Rufinus alia Opera?

M. Vertit e Græco sermone in latinum Rufinus Opera Josephi Judæi, Historiam Ecclesiasticam Eusebii, recognitiones, quæ S. Clementi Papæ tribuuntur, sententias Sixti Pythagoræi, sententias Evagrii Ponti, librum *Periarchon* Origenis, librum primum Apologiæ Pamphili, Orationes S. Gregorii Nazianzeni, Regulas Asceticas S. Basilii, & aliquot alia Opera græca. His versionibus a se adornatis Rufinus addidit Opera, quæ proprio marte lucubravit, videlicet duos libros, quibus Historiam Ecclesiasticam Eusebii Cæsariensis continuavit, duos *Invectivarum* contra S. Hieronymum libros, quos jam memoravimus, insuper suæ doctrinæ Apologiam ad Anastasium Papam, Explicationem Symboli, Expositionem Benedictionum Patriarchæ Jacob; Commentarios in Prophetas Oseam, Joelem, & Amosum. Circumfertur etiam sub Rufini nomine Commentarius in septuaginta quinque priores Davidis Psalmos, sed hunc Commentarium, in quo integræ periodi ex Commentariis S. Augustini in Psalmos, ex libris Moralibus S. Gregorii Magni excerpræ leguntur, Rufino, jure optimo, abjudicant eruditi Critici (*a*).

„ (*a*) De Rufini operibus nihil addendum succurrit, nisi quod omnium ejus operum collectio nova prodiit Veronæ an. 1745. eodem curante Vallarsio, a quo nova editio operum S. Hieronymi procurata est. Duplici volumine, ut arbitror, absolvenda erat, verum ejus tantummodo primum vidi, nec audivi unquam secundum aspexisse lucem. Prior ille opera a Rufino suo ingenio composita comprehendit, additur & appendix operum ejus nomine falso inscriptorum.

D. Fuitne Hæreticus Rufinus, qui tam acriter S. Hieronymum exagitavit, & Origenem tanto animi ardore defendit?

M. Quamvis ultro fatear, Rufinum justa de causa a S. Hieronymo vapulasse, quod nimio erga Origenem, ejusque scripta amore, Censuras Romanæ Ecclesiæ meruerit, Pelagianæ Sectæ fundamenta jecerit, & gravissimorum dissidiorum causa fuerit; eum tamen Hæreticum fuisse, non ausim asserere; tum quia Rufinus etsi Origenem defenderit, errores tamen illi adscriptos semper repudiavit; tum quia etiam, ut optime observat Card. *Norisius* cap. 3. lib. 1. Hist. Pelagianæ, si Rufinus fuisset Hæreticus, neque S. Paulinus religiosam cum illo coluisset amicitiam, nec *Pinianus*, & utraque *Melania* illum in Siciliam adduxissent, nec ipse Rufinus in suburbano *Pineti* Monasterio juxta urbem degere potuisset. Quapropter verisimile putat Cardinalis Norisius, Rufinum errorum suspicionem, qua apud Anastasium Papam laboraverat, postea coram Innocentio I.

Sum-

Summo Pontifice, a se procul amolitum fuisse. Quin, doctissimus idem Cardinalis profert libellum, quo errores partim a se assertos, partim sibi, ut quessus est, imputatos Rufinus condemnavit. Gelasius quidem Papa Rufinum damnavit post mortem, quod de libertate Arbitrii contraria Hieronymo sensisset, sed, sicut advertit Clarissimus *Pagius* ad annum Christi ccccx. hoc Gelasii Papæ decretum non pertinet ad personam, sed ad libros Rufini. Qua ratione damnati sæpe sunt, nullo sanctitatis præjudicio, viri moribus probatissimi. Ut ut est, non audeo Hæreseos dicam scribere Rufino, cui, ut nemo diffiteri potest, multum debet Ecclesia Latina, quod præcipuorum Authorum Græcorum notitiam, præsertim Historiæ Ecclesiasticæ ei gratificatus sit.

D. Veniamus modo ad S. Augustinum, qui tanquam Doctorum Aquila, & omnium Ecclesiæ Latinæ Patrum maximus vulgo audire solet.

M. *Aurelius Augustinus* Tagaste, Numidiæ urbe in Africa natus est, Idibus Novembris anno cccliv. non vero ann. cccly. ut putat Baronius. Patrem habuit *Patricium*, & matrem *S. Monicam*, quorum cura, & diligentia liberalibus disciplinis ita imbutus est Augustinus, ut adolescens factus, Grammaticam prius Tagaste, & Rhetoricam postea Carthagine, summa cum laude docuerit. Manichæorum, Carthagine degens, seductus erroribus, ac voluptatum inescatus illecebris, Romam venit, clam Matre, ut Rhetoricam doceret. Inde a Symmacho urbis Præfecto Mediolanum ad eamdem artem edocendam missus est, ubi pia mater *Monica* de illius salute multum sollicita, cum eum fuisset assecuta, nihil non egit, ut eum Cælo pareret, & a Manichæorum retraheret erroribus. S. Ambrosius Mediolanensis Episcopus conversionem Augustini inchoavit, eamque multum promovit *Simplicianus* Presbyter eruditus, qui postea in locum S. Ambrosii in Sede Mediolanensi suffectus est. Ab hoc Simpliciano Presbytero didicit Augustinus *Victorini* magni cujusdam Oratoris conversionem, item duorum Aulicorum, quorum exemplis incitatus Augustinus, & cælesti voce monitus, ut legeret Epistolas S. Pauli, sic repente his perlectis immutatus est, ut mundo nuncium remittens totum sese Deo dederit. Magnum sane victricis gratiæ, quæ tarda molimina nescit, & quam ipse contra Pelagianos pro aris, ac focis defendere debebat, monimentum! Anno trecentesimo octogesimo septimo Augustinus, cum annum ætatis suæ tricesimum tertium necdum complevisset, juxta communem eruditorum sententiam, baptizatus est die vicesima quarta Aprilis, Sabbato Sancto. Post obitum Matris suæ Monicæ ad Ostia Tiberina, melioris vitæ desiderio accensus Augustinus, ad proprios lares rediit, & sub finem anni ccclxxxviii. Africam appulit. Meditationi Legis Dei, jejuniis, & orationibus cum per triennium Tagaste, una cum suis amicis vacasset Augustinus, Hipponem se transtulit, ubi urgente Ecclesiæ necessitate, & flagitante populo, a *Valerio* tunc Hipponensium Episcopo, Presbyter est ordinatus anno cccxci. & paucis ab hinc annis, hoc est, anno cccxcv. Augustinus, ne ab aliis raperetur Ecclesiis, vivente adhuc Valerio, consecratus est Episcopus Hipponensis a *Megalio* Calamensi, Primate Numidiæ cum aliquot Episcopis Catholicis, assentiente Primate totius Africæ Episcopo Carthaginensi. Quamvis autem hæc Augustini Ordinatio esset contra Canones Concilii Nicæni, nihilosecius omnium calculo probata est, quoniam hæc dederat Ecclesiæ Augustinum. Hac nova dignitate auctus, sive populum docendo, sive Hæreticos Manichæos, Donatistas, Arianos, Priscillianistas, Pelagianos, & Semipelagianos confutando, & sanctissimæ vitæ suæ exemplis, ubique gentium claruit Augustinus, & postquam per quadraginta annos Episcopatum Hipponensem gessisset, tertio mense, quo Urbs Hipponensis a Vandalis obsidebatur, gravi febre correptus, anno ætatis suæ septuagesimo sexto intra paucos dies finem vivendi fecit anno ccccxxx. ut scribit *Possidius* in ejus vita. Omnia Sancti Augustini Opera sedulo studio Patrum Benedictinorum Congregationis Sancti Mauri ad MSS. Codices, & antiquiores Editiones castigata, varie illustrata, & in præclarum ordinem digesta, ac disposita fuerunt. (*a*)

„ Quamvis pauca sunt, quæ adjici hic a me possunt de S. Augustino, adhuc tamen quædam „ occurrunt, nam postquam scripserat P. Graveson, in Monasterio Gottwicensi repertæ sunt „ geminæ epistolæ S. Augustini, quarum una est „ ad Petrum & ad Abrahamum, altera ad Optatum, productæque sunt in lucem Viennæ in „ Austria an. 1732. ambæque enunciatæ fuerunt „ a Possidio & a S. Fulgentio commemoratæ, „ quin & alterius longum fragmentum recitat „ Eugyppus in Thesauro, e S. Augustini operibus cap. 345. Ambæ demum istæ epistolæ Parisiis excusæ sunt edentibus PP. Benedictinis. „ In eadem epistola ad Optatum ambigere se demonstrat S. Augustinus, *utrum anima in ista vita ex propagine, an sine propagine venerit.*

D. Pergratum mihi faceres, si omnia S. Augustini Opera juxta seriem seu ordinem, quo in postrema Patrum Benedictinorum Congregationis S. Mauri Editione disposita sunt, velles impræsentiarum recensere, & ab Apocryphis secernere.

M. Recens editio Operum S. Augustini a doctissimis Monachis Benedictinis adornata, decem complectitur Tomos, quorum seriem, & librorum qui in ipsis continentur, ordinem tuis oculis, majoris claritatis ergo, subjiciam.

TOMUS PRIMUS

Ea continet Opera, quæ S. Augustinus juvenis, & nondum Presbyter ordinatus contexuit, præmissis *Retractationum*, & *Confessionum* S. Augustini libris, qui præviæ cujusdam Præfationis secum tenere possunt. Isto autem ordine Opera S. Augustini in primo Tomo disposita sunt.

Retractationum libri duo.
Confessionum libri tredecim.
Contra Academicos libri tres.
De beata Vita liber unus.

De

De Ordine, seu de Providentia libri duo.
Soliloquiorum libri duo.
De Immortalitate Animæ liber unus.
De quantitate animæ liber unus.
De Musica libri sex.
De Magistro ad formam Dialogi inter se, & filium suum Adeodatum liber unus.
De libero Arbitrio libri tres.
De moribus Ecclesiæ Catholicæ, & de moribus Manichæorum libri duo.
De vera Religione liber unus.
Regula ad Servos Dei.

Supposititia Opera S. Augustini ad Appendicem Tomi primi rejecta, sunt ista:

De Grammatica liber.
Principia Dialecticæ.
Categoriæ decem.
Principia Rhetoricæ.
Regulæ Clericis datæ fragmentum.
Regula secunda.
De Vita Eremitica ad sororem.

TOMUS SECUNDUS

Complectitur Epistolas S. Augustini numero cclxx. quæ ordine Chronologico juxta temporis, quo scriptæ sunt, rationem, disponuntur. Ex his Sancti Augustini Epistolis hauriri possunt certissimæ regulæ circa Dogmata Fidei, Disciplinam Ecclesiæ, & Ethicam Christianam, necnon saluberrima præcepta ad bene, beateque vivendum.

Supposititia Opera S. Augustini ad Appendicem Tomi secundi rejecta, sunt ista:

Ad Bonifacium, & e contra Epistolæ breviores XVI.
Epistola ad Demetriadem, quæ Pelagio adjudicatur.
Ad Cyrillum, & e contra de laudibus Hieronymi.
Altercatio cum Pascentio.

TOMUS TERTIUS

In duas partes divisus est, & omnes libros, quos S. Augustinus in sacram Scripturam lucubravit, quique antehac in variis Tomis erant dispersi, atque dissipati, in unum collectos exhibet.

PRIMA PARS TOMI TERTII.

In hac prima parte tomi tertii Operum S. Augustini extant *libri quatuor de Doctrina Christiana.*
De Genesi ad literam liber imperfectus.
De Genesi ad literam libri duodecim.
Locutionum libri octo.
Quæstionum in Heptateuchum libri septem.
Annotationum in Job liber unus.
Speculum.

Supposititia S. Augustini Opera ad Appendicem hujus primæ partis rejecta, sunt ista:

De mirabilibus Scripturæ sacræ libri tres.
De Benedictionibus Patriarchæ Jacob.
Quæstiones Veteris & Novi Testamenti.
In Apocalypsin Joannis expositio.

PARS SECUNDA TOMI TERTII.

In hac secunda parte continentur *libri quatuor de consensu Evangelistarum.*
De sermone in monte Domini libri duo.
Quæstionum Evangelicarum libri duo.
Quæstionum XVII. *in Matthæum liber unus.*
Tractatus in Joannem CXXIV.
In Epistolam Joannis Tractatus decem.
Expositio quarumdam propositionum ex Epistola ad Romanos.
Ex Epistola ad Romanos inchoata expositio.
Expositionis Epistolæ ad Galatas liber unus.

TOMUS QUARTUS

Comprehendit narrationes in Psalmos, in quibus S. Augustinus de variis disserit argumentis, & varios sensus Mysticos & Morales Psalmorum explanat.

TOMUS QUINTUS

Exhibet Sermones cccxiv. Sancti Augustini ad populum, & ad ejusdem Tomi Appendicem rejiciuntur Sermones cccxvii. qui falso tribuuntur S. Augustino.

TOMUS SEXTUS

Continet Opera Moralia S. Augustini isto ordine disposita.

Ex diversis quæstionibus LXXXIII, liber unus.
Ex diversis quæstionibus ad Simplicianum libri duo.
De octo Dulcitii quæstionibus liber unus.
De Fide & Symbolo liber unus.
De Fide & Operibus liber unus.
Enchiridion ad Laurentium, seu *de Fide, Spe & Charitate liber unus.*
De Agone Christiano liber unus.
De Catechizandis rudibus liber unus.
De Continentia liber unus.
De bono Conjugali liber unus.
De sancta Virginitate liber unus.
De bono Viduitatis ad Julianum.
De Conjugiis Adulterinis ad Pollentium libri duo.
De Mendacio liber unus.
Contra Mendacium ad Consentium liber unus.
De Opere Monachorum liber unus.
De Divinatione Dæmonum liber unus.
De cura gerenda pro mortuis ad Paulinum liber unus.

De

De Patientia liber unus.
De Symbolo ad Catechumenos.
De Symbolo alii tres libri, qui tamen doctissimis Patribus Benedictinis Augustini ingenium, eruditionem, & stylum præferre non videntur.
Sermo de Disciplina Christiana.
De Cantico novo ad Catechumenos.
Sermones de quarta Feria.
Sermones de Catlacysmo, & de tempore Barbarico, qui tamen iisdem eruditis editoribus dubii, vel potius spurii videntur.
Sermo de utilitate jejunii.
Sermo de Urbis Excidio.

In Appendice hujus Tomi sexti doctissimi Patres Benedictini reposuerunt Opera Moralia suppostitia, quæ S. Augustinum Parentem non agnoscunt.

TOMUS SEPTIMUS

Continet excellentissimum Opus Sancti Augustini in viginti duos libros divisum *de Civitate Dei*. Decem primos istius insignis Operis libros conscripsit S. Augustinus adversus falsorum Deorum Cultores, qui dictitabant, ideo Romam fuisse captam, & ferro flammaque a Gothis vastatam, quod abolitus fuisset suorum Numinum Cultus, & invecta esset Christiana Religio. In aliis duodecim ejusdem Operis libris texit S. Augustinus Historiam ortus, progressus, & finis duarum Civitatum, scilicet *Dei* & *Mundi*. Hoc S. Augustini Opus jucundum, ac perspicuum est, tamque rerum tum divinarum, cum Prophanarum affluentia redundans, tantaque ingenii eruditione elaboratum, ut omnium lectorum sibi admirationem conciliet.

TOMUS OCTAVUS

Exhibet libros Polemicos, seu quos S. Augustinus scripsit contra Hæreticos, exceptis tamen illis Operibus, quæ Sanctus ille Doctor edidit contra Donatistas, & Pelagianos. Hæc autem Opera S. Augustini Polemica isto ordine disponuntur.

Liber de Heresibus ad Quod vult Deum, cum Appendice de Heresi Nestoriana, Eutychiana, & Timotheana.
Tractatus contra Judæos.
Tractatus de utilitate credendi.
Liber unus de duabus Animabus.
Acta, seu disputatio, quam habuit S. Augustinus contra Fortunatum Manichæum.
Liber unus contra Adimantum Manichæum.
Contra Epistolam Fundamenti liber unus.
Contra Faustum Manichæum disputationes, seu *libri XXXIII.*
De Actis, seu *de Disputatione, quam habuit S. Augustinus cum Felice Manichæo libri duo.*
De natura boni adversus Manichæos liber unus.
Contra Epistolam Secundini Manichæi liber unus.
Contra Adversarium Legis, & Prophetarum libri duo.
Contra Priscillianistas, & Origenistas liber unus.
Contra Sermonem Arianorum liber unus.
Collatio cum Maximino Arianorum Episcopo.
Contra eumdem Maximinum libri tres.
De Trinitate libri XV.

In Appendice hujus Tomi octavi inseruerunt Patres Benedictini multa suppostitia Opera Polemica, quæ perperam tribuuntur S. Augustino.

TOMUS NONUS

Complectitur Opera, quæ S. Augustinus lucubravit contra Hæreticos Donatistas, istoque ordine disponuntur.

Psalmus contra Donatistas.
Contra Epistolam Parmeniani libri tres.
De Baptismo contra Donatistas libri septem.
Contra litteras Petiliani libri tres.
Ad Catholicos Epistola contra Donatistas, vulgo *de unitate Ecclesiæ liber unus.*
Contra Cresconium Grammaticum partis Donati libri quatuor.
De unico Baptismo contra Petilianum ad Constantium liber unus.
Breviculus Collationum contra Donatistas libri tres.
Ad Donatistas post Collationem Carthaginensem liber unus.
Sermo ad Cæsareensis Ecclesiæ plebem, Emerito præsente habitus.
Sermo super gestis cum Emerito Donatista liber unus.
Contra Gaudentium Donatistam libri duo.

In Appendice hujus Tomi noni extant quædam Opera contra Donatistas, quæ sunt suppostitia, & S.Augustinum Parentem non agnoscunt.

TOMUS DECIMUS

Comprehendit omnes libros, quos S. Augustinus edidit contra Pelagianos, & Semipelagianos, in quibus Peccati Originalis ad omnes omnino Adami posteros propagationem, & gratiæ victricis, seu seipsa efficacis ad omnes, & singulos pietatis actus, necessitatem invictis argumentis demonstrat. Hoc autem ordine disponuntur.

De meritis, & remissione peccatorum, & de parvulorum Baptismo ad Marcellinum libri tres.
De spiritu, & littera ad Marcellinum liber unus.
De Natura, & Gratia ad Timasium, & Jacobum contra Pelagium liber unus.
Ad Episcopos Utropium, & Paulum Epistola, seu *liber de Perfectione justitiæ hominis.*
De Gestis Pelagii ad Aurelium Episcopum liber unus.
De Gratia Christi, & de peccato Originali libri duo.

Epi-

Epistola ad Valerium Comitem.
De Nuptiis, & Concupiscentia ad Valerium Comitem libri duo.
De Anima, & ejus origine libri quatuor.
Epistola ad Claudium Episcopum.
Contra duas Epistolas Pelagianorum ad Bonifacium Papam libri quatuor.
Contra Julianum libri sex.
De Gratia & libero Arbitrio ad Valentinum, & Monachos Adrumetinos liber unus.
De Correptione & Gratia ad eosdem liber unus.
De Prædestinatione Sanctorum ad Prosperum, & Hilarium liber unus.
De Dono Perseverantiæ ad eosdem liber unus.
Alterius Operis, quod est imperfectum, contra Julianum libri sex.

Hæc sunt Opera, decem Tomis comprehensa, quæ edidit S. Augustinus, & quæ doctissimi Patres Monachi Benedictini a spuriis, & supposititiis judicio Critico, magna cura, & diligentia a supposititiis secreverunt solidis firmisque adductis rationibus, quas ex MSS. Codicum, & antiquarum Editionum authoritate, ex S. Augustini stylo, ex illius doctrina, dicendi formulis S. Augustino propriis, ex personarum, temporum, locorumque circumstantiis depromspserunt. In rem etiam & utilitatem eorum, qui Operum Sancti Augustini sunt studiosi, iidem Patres Benedictini unicuique libro, vel Tractatui Sancti Augustini præmiserunt argumentum, admonitionem, vel censuram, qua illius libri, vel Tractatus rationem candide reddunt, & vel genuinum, vel spurium esse ostendunt, subjectis ad imam cujusvis paginæ partem Notis, quibus breviter vel variantes lectiones adnotant, vel loca difficiliora illustrant. Quapropter, convenit apud omnes viros eruditos, hanc postremam Operum Sancti Augustini Editionem a PP. Monachis Benedictinis Reipublicæ Ecclesiasticæ bono natis adornatam, omnium, quæ hactenus prodierunt, optimam atque castigatissimam esse.

D. Quam authoritatem & æstimationem in Ecclesia Latina habuerunt doctrina & Opera Sancti Augustini?

M. Maximam authoritatem, & summam omnium fidelium venerationem semper in Ecclesia Latina obtinuit doctrina S. Augustini. Eam siquidem egregiis encomiis commendarunt multi Pontifices Romani, Concilia in suis condendis Canonibus, ac decretis ipsissima S. Augustini verba adhibuerunt. Patres Latini ex libris Sancti illius Doctoris non solum hauserunt principia, quibus passim usi sunt, sed etiam frequenter S. Augustinum fere transcripserunt. *Petrus Lombardus* Parisiensis Episcopus, qui sæculo duodecimo Theologiam universam in Epitomem cogere voluit, nihil fere egit, quam S. Augustini locos & sententias excerpere. *S. Thomas* omnium Theologorum facile princeps a doctrina S. Augustini, quam in purum putumque, ut dici solet, succum converterat, ne latum quidem unguem in suis Operibus descivit, unde jure ac merito *Augustinus contractus* appellatur. Denique, præcipuæ totius Orbis Academiæ, & Scholæ nobilissimæ Sancto Augustino assurgere, ejusque doctrinæ fasces submittere gloriantur. Fuerunt quidem nonnulli tenebriones, & ignobiles Scriptores, qui Sanctum Augustinum aliquot errorum insimulare, ejusque doctrinam pro viribus arrodere tentarunt, sed eorum calumnias retuderunt non solum Sancti Hilarius, Prosper, Fulgentius & Remigius, sed etiam peritissimi hujus temporis Theologi, Cardinalis *Norisius* in suis *Vindiciis Augustinianis*, & doctissimus noster *Hyacinthus Serry* Doctor Sorbonicus in libro, cui titulus: *Augustinus vindicatus*. Quid plura? Clemens XI. Pontifex Maximus die 28. Januarii anni MDCCIV. publicavit decretum, quo proscripsit, & natalitiis tenebris damnavit quemdam male consarcinatum libellum, qui sub nomine *Joannis Launoii* Doctoris Sorbonici circumferebatur, in quo doctrina S. Augustini *de Gratia & Prædestinatione*, quam semper Ecclesia adoptavit, atrocibus calumniis impetebatur.

D. Sanctorum Patrum Chrysostomi, Hieronymi & Augustini vitam & Opera satis hactenus expendimus, superest nunc, ut pauca dicas de aliis Scriptoribus Ecclesiasticis, qui in quinto Ecclesiæ sæculo floruerunt.

M. In exordio quinti Ecclesiæ sæculi floruit *Evagrius* Ponticus, qui multa Opera scripsit, quorum tum fragmenta, tum citationes habentur, in Codice Regularum, in Patrum Vitis, & Apophtegmatibus, in Catenis, in Thesauro Ascetico, in Scholiis ad Climacum, necnon apud Palladium, Socratem, Dorotheum, itemque in Damasceno Billii, & in Palladio Bigotiano. Scripsit Evagrius librum unum *de octo vitiositatibus* editum ab *Emerico* Bigotio ad calcem Vitæ S. Chrysostomi a Palladio compositæ. Item, Sermonem dogmaticum *de sancta Trinitate* ad eos, qui Monasticam vitam degunt in patria, quem *Josephus Maria Suares* Episcopus Vasionensis cum *Niliacis* publici juris fecit. Præterea, Clarissimus *Cotelerius* tomo 3. Monumentorum Ecclesiæ Græcæ, in lucem emisit Epistolam Evagrii ad Anatolium, insuper, librum *Practicum*, & aliud Opusculum, cui titulus: *Evagrii Monachi rerum Monachalium rationes, earumque juxta quietem appositio*. Quibus in libris multa utilissima, ad mores probe informandos, habentur documenta.

Sub initum ejusdem quinti Ecclesiæ sæculi, illustres fuerunt *Aurelius Prudentius* famosus Poeta, *Antiochus* Episcopus Ptolomaidis in Phœnicia, *Severianus* Episcopus Gabalæ in Syria, *Asterius* Amaseæ in Ponto Episcopus, qui eloquentissimos ad populum Sermones habuerunt. *Cotelerius* in tomo 3. Monumentorum Ecclesiæ Græcæ publicavit, & latino idiomate donavit aliqua Opuscula Asterii Amaseni Episcopi. Supersunt adhuc aliqui Sermones *Gaudentii* Brixiensis Episcopi, & aliquot Epistolæ Paschales, & Canonicæ *Theophili* Patriarchæ Alexandrini, seu Tractatus, quem edidit ille Alexandrinus Patriarcha contra Antropomorphitas, omnino periit. *Chromatii* Episcopi Aquilejensis toto in Occidente celeberrimi Opera excepto unico Sermone, nobis fata inviderunt. *Theodorus* Mopsuestenus Episcopus plures in Scri-

Scripturam sacram Commentarios, & multa Opera Polemica contra Hæreticos scripsit, sed postea ingenio plus justo indulgens, & antiquiores semitas fastidiens in absurdissimos errores lapsus, Magister Hæreseon evasit, Pelagianorum, ac Nestorianorum erroribus prælusit. Unde ejus Opera in quinta Synodo generali, ob errores, quibus scatebant, proscripta penitus interciderunt. Multum Ecclesiæ nocuit Theodorus Mopsuestenus, sed plus ei obfuit mortuus, quam vivens. Quamdiu enim superstes fuit, unus tantum, insertis suis libris erroribus, Ecclesiæ non modicam perniciem intulit, at mortuus mille doctissimorum Scriptorum dexteras, pro ipsius nomine defendendo armavit, & Synodos Synodis objecit, ut fuse ostendit Cardinalis Norisius in Dissertatione *de quinta Synodo Generali*. Palladius Origenista, Rufini amicus, & Episcopus Heliopolitanus, anno quadringentesimo vigesimo, Historiam suam dictam *Lausiacam* de Vita, Miraculis, & Gestis Monachorum Orientis, scripsit. Existimarunt nonnulli, Vitam S. Chrysostomi ab isto Palladio Episcopo Heliopolitano non fuisse descriptam, sed ab altero Palladio Scotorum Episcopo. Verum perdoctus *Pagius* ad annum Christi CCCCXXIX. recte post *Usserium* quidpiam literarum monumentis a Palladio Scotorum Episcopo traditum fuisse, nihil esse quod fidem faciat. Auctorem itaque Vitæ S. Chrysostomi, in formam Dialogi, esse Palladium Episcopum Heliopolitanum, in dubium revocari non potest. *Sulpitius Severus* Presbyter, S. Martini Turonensis Episcopi discipulus, Gallias, unde oriundus erat, plurimum illustravit. Fallitur porro Baronius, dum ad annum CCCXCIV. num. XCVI. ait, Sulpicium fuisse Romanum Civem, eumque in Gallis degisse. Constat enim ex ipsomet Sulpicio Dialogo I. cap. 20. & ex Gennadio in lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis, eum fuisse domo *Aquitanum*, & quidem e *Nitiobrigibus*, cum lib. 2. suæ Historiæ *Phebadium* Ageani Episcopum, suum Episcopum vocet Sulpicius. Agennum autem in Nitiobrigibus situm esse, in confesso est apud omnes. Cum Paulino Episcopo Nolano summa fuit Sulpicius necessitudine conjunctus, ut liquet ex Paulini ad illum Epistolis, quæ inter ejus Opera leguntur. Præter hunc Sulpicium Severum Agennensem Presbyterum, fuerunt alii duo *Sulpicii Severi* Biturigum Episcopi, cum quibus proinde confundi minime debet iste Sulpicius, qui, ut mox diximus, fuit dumtaxat Presbyter Agennensis, & cujus nomen, quod Martyrologio Romano erat inscriptum, postea ab his, qui illud Martyrologium sub Urbano VIII. recognoverunt ac correxerunt, expunctum est. Opera Sulpicii Severi sunt ista: *Duo libri de Historia sacra*, quam a mundi cunis exorsus, perduxit usque ad *Stiliconis*, & *Aureliani* Consulatum, hoc est, ad Christi annum quadringentesimum, *Liber unus de vita S. Martini Turonensis Episcopi*. *Epistolæ tres*. Una, videlicet ad *Eusebium* Presbyterum *contra æmulos virtutum B. Martini*; Altera, ad *Aurelium* Diaconum, *de obitu & apparitione B. Martini*; Tertia, ad *Bassulam*, socrum suam, *Quomodo B. Martinus ex hac vita ad immortalem transierit*. Denique, Sulpicius Severus scripsit tres Dialogos, in quibus Millenariorum errorem necdum ab Ecclesia damnatum sequitur (*a*). Ejus Opera stylo eleganti, terso, polito, facili & claro elaborata *Carolus Sigonius*, & *Joannes Vorstius* Notis illustrarunt *Orosius* Tarracone in Hispania ortus, vir fuit in divinis Scipturis eruditus, in sæcularibus literis peritissimus, & rerum Christianarum Historicus nobilissimus. Consilio & suasu S. Augustini septem Historiarum libros composuit, quibus manifesto ostendit, ab orbe Condito ad suam usque ætatem maximas semper atque atrocissimas calamitates contigisse, ac subinde falsas esse calumnias Paganorum asserentium, urbis Romæ direptionem ab *Alarico* Rege factam, & alias clades Romano Imperio illatas, ex neglectu Deorum cultu, & ex Religionis Christianæ propagatione originem habuisse. Ad S. Hieronymum anno CCCCXV. missus est *Orosius* a S. Augustino, ut eum de Animarum origine consuleret. Scripsit etiam *Orosius* Apologiam contra Pelagium de libertate Arbitrii.

„ (*a*) Ab errore Chiliastarum immunem Severum Sulpicium pronunciat & demonstrat Cl. P. Hieronymus a Prato Veronensis Congregationis Oratorii Presbyter in nitida editione sua operum Sulpicii Severi evulgata Veronæ an. 1741.; nec equidem immerito; nam dialogi, quomodo hodie leguntur, nihil ejusmodi præferunt, ipso etiam Tillemontio & Bailleto fatentibus. Quales vero hodie extant, ab iis, quos legit S. Hieronymus, non discrepabant. Cur ergo, ais, S. Hieronymus Millenariis illum accenset? Adeas eundem a Prato, qui suspicatur Hieronymum, dum hæc scriberet de Severo, senem jam & in multa distractum irrequieto animo illum lectitasse, & cum vidisset Sulpicium ita de Antichristo scripsisse, quemadmodum Chiliastæ de Christo sentiebant, quæque tunc refutanda Hieronymus assumpserat, intulisse statim Severum Chiliastis conæsisse.

In Ecclesia Græca sub initium quinti Ecclesiæ sæculi floruit *Synesius* patria Cyrenensis, Philosophus Platonicus insignis, qui, ubi primum se a Ptolomaidensibus ad Episcopale munus electum intellexit, rei novitate perculsus, prolixam *Evoptio* fratri suo scripsit Epistolam, causasque aperuit, ob quas oblatum Episcopale munus nequaquam sibi recipiendum putaret; quæ Epistola est LV. inter ejus Epistolas. Primam causam deducit ab uxore sua, quam nullo pacto deserere volebat. Altera causa erat, quod Platonicæ Philosophiæ præceptis inbutus, a præcipuis fidei Christianæ capitibus dissentiret. Scilicet Animam præexistere, nec corpori jam formato immitti se sentire ajebat. Præterea, de æternitate mundi, quem aliquando interiturum crederet, neutiquam adduci poterat. Denique, Mortuorum resurrectionem inficiabatur. Multi post Baronium censent, has causas, seu rationes a *Synesio* non vere, sed ficte & simulate fuisse adductas, ut portentosis illis contestationibus Baptismum, & Episcopale munus sibi oblatum deprecaretur, adeoque mirum

rum non esse, si *Theophilus* Patriarcha Alexandrinus fictas illas rationes flocci faciens Synesium non solum per Baptismi lavacrum ad fidelium numerum, sed etiam per manuum impositionem ad Ecclesiæ regimen admiserit. Alii tamen doctissimi viri post *Holstenium* in Dissertatione *de Synesio & fuga Episcopatus*, quam eruditus *Valesius* ad calcem Notarum suarum in Evagrium integram attexuit, affirmant, Synesium in his afferendis & inculcandis causis seu rationibus, serio & ex animo fuisse locutum. Excusant nihilominus Theophilum Alexandrinum quod Synesium adhuc Semipaganum ad baptismum & ad Ecclesiæ regimen admiserit, quia, inquiunt, Theophilus Alexandrinus probe perspectum habebat animum Synesii ad Christianam Religionem propensissimum; experimento etiam didicerat, quam facile veritati cederet, & quam nullo negotio semel baptizatus & Episcopus inauguratus ad exactam Christianæ veritatis cognitionem traduceretur. Nec spes fefellit Theophilum; nam Synesius semel Christianus factus, pristinos errores e vestigio abdicavit, cumque esset perdoctus Philosophus, & facundissimus Orator, egregiis suis Operibus, & Epistolis summa rei Ecclesiasticæ eruditione refertis plurimum Ecclesiæ profuit, eique maximum contulit splendorem.

Inter Monachos quinti Ecclesiæ sæculi, quatuor præcipue recensentur, qui illustres Scriptores fuerunt. Nimirum, *S. Isidorus Pelusiota*, *S. Nilus*, *Cassianus*, & *Vincentius Lerinensis*, de quorum Operibus pauca hic subnectere non abs re erit. *S. Isidorus* vulgo dictus *Pelusiota*, eo quod Monasterii *Pelusii*, quæ urbs est Ægypti inferioris post Alexandriam primaria, Presbyter & Abbas fuerit, Angelicam in carne vitam degit, & multa scripsit variæ & multiplicis eruditionis plena. Duo millia Epistolarum ad ædificationem Ecclesiæ ab eo scripta fuisse, testatur *Facundus* lib. 2. defensionis *trium Capitulorum*; sed *Suidas* ter mille Epistolas ab eo exaratas tradit. Nunc tamen extant tantum bis mille centum ac tredecim Isidori Epistolæ, quæ succinctæ sunt, & oppido elegantes, in quibus plurima, eaque difficilia Scripturæ sacræ loca enodantur, præcipua Christianæ Religionis mysteria in optimo lumine collocantur, utiles ac curiosæ in Disciplinam Ecclesiasticam observationes inferuntur, & ad instituendam vitam Asceticam Sanctissima præcepta & moralia documenta traduntur (*a*). *S. Nilus* discipulus S. Chrysostomi, ex Præfecto Constantinopolitano Monachus factus doctrina & pietate claruit. Ejus Epistolas *Leo Allatius* Romæ edidit anno 1668. eisque editis subjecit accuratam & eruditam *Diatribam de Nilis, & eorum scriptis*. Composuit etiam *S. Nilus* multa Opuscula Ascetica, quę *Josephus Maria Suares* Episcopus Vasionensis publica luce donavit. Monasticæ vitæ cultor pariter fuit *Joannes Cassianus*, quem natione nec Romanum, nec Scytham, sed Gallo Provincialem fuisse multis argumentis evincit Card. *Norisius* lib. 2. Hist. Pelag. cap. 1. a Clero Constantinopolitano anno CCCCIII. missus est Cassianus una cum Germano Presbytero ad Innocentium I. Summum Pontificem, ut eum certiorem faceret de injustis persecutionibus, quibus tum temporis exagitabatur S. Chrysostomus, & de tyrannide, quam patiebatur Constantinopolitana Ecclesia. Hac perfunctus legatione Cassianus, in Occidente hæsit, & Massiliæ suas Sedes fixit, ibique duo fundavit Monasteria, unum pro viris, alterum pro mulieribus, quibus ut normam bene vivendi præscriberet, XII. libros *de Institutis Cœnobiorum* edidit, quos *Castori* Episcopo Aptensi nuncupavit. Septem etiam libros *de Incarnatione Verbi Divini* adversus Nestorium scripsit, & *Collationes* viginti quatuor, quarum decima tertia tota referta est erroribus Semipelagianorum, & ob id a S. Prospero egregie confutatus. Cassiano adjungi merito debet *Vincentius Lerinensis*, quippe qui in *Commonitorio*, quod edidit adversus prophanas omnium Hæreticorum novitates, Semipelagianorum factioni impense patrocinatur, & S. Augustini doctrinam, ceu novam, recte & per cuniculos oppugnat. Hinc Card. *Norisius* lib. 2. Hist. Pelag. cap. 11. multis momentis demonstat, Vincentium Lerinensem auctorem Commonitorii, non esse diversum ab illo *Vincentio* Semipelagiano, quem S. Prosper refellit ad Capitula objectionum *Vincentianarum*, quæ maxima ex parte cum Gallorum objectionibus, altero libro a S. Prospero dilutis, coincidunt.

(*a*) „ Cum Eruditis omnibus notissimus sit
„ celebris Casinensis codex, unde v. Cl. Christianus Lupus eas omnes epistolas derivavit,
„ quibus dein Baluzius titulum hunc de suo adscripsit: *Synodicon contra tragœdiam Irenæi*;
„ cum insuper constet, in eodem codice epistolarum collectionem S. Isidori Pelusiotæ inter-
„ seri ex vetustissima interpretatione, non abs re
„ futurum arbitror, indiculum earumdem epistolarum hic inserere, qualem mihi communi-
„ cavit pro sua humanitate Em. D. Fortunatus
„ Tamburini S. R. E. Card. meritissimus, qui
„ ad eumdem codicem Casinensem confecit, &
„ cum editis S. Isidori contulit.

„ Prima epistola codicis est ad Cyrillum, &
„ ego eamdem dedi in tomo V. Concil.

„ 2. Timoclito Lectori. Est in editis. lib. 1.
„ ep. 102. ad Timothæum Lectorem.

„ 3. Ad Imp. Theodosium, est ante Synodum
„ Ephesinam lib. 1. epist. 311.

„ 4. Ad Cyrillum Episc. & inter editas Cy-
„ rilli lib. 1. ep. 323.

„ 5. Ad eumd. Cyrillum lib. 1. ep. 324.

„ 6. Ad eumd. Beatis. Cyrillum lib. 1. ep. 370.

„ 7. Theodosio Diacono l. 1. ep. 404.

„ 8. Ad eumdem lib. 1. epist. 405.

„ 9. Ad Hermogem (sic) Episc. l. 1. ep. 419.

„ 10. Ad Jeracem presbyt. l. III. ep. 123.

„ 11. Ad Dionysium correctorem eadem cum
„ epistola 315. lib. III. inscripta Ausonio corre-
„ ctori. Porro Ausonio Dionysio correctori in-
„ scribitur epistola 9. lib. III.

„ 12. Ad Macarium presbyterum l. III. ep. 329.

13.

„ 13. Ad Hermium Comitem. Ex Epistolis „ ad eumdem virum nulla convenit cum ea, „ quæ est in eod.

„ 14. Ad Theonem. lib. III. ep. 317.

„ 15. Ad Isidorum Diaconum lib. III. ep. 318. „ In editis eadem Epistola repetita lib. III. ep. „ 408. inscribitur Zenoni Monacho.

„ 16. Epistola sine inscriptione ita incipiens: „ *Bene mihi videtur Job celeberrimus definiisse* „ *sapientiam disciplinamque, dum diceret: ecce* „ *pius Dei cultor*, (forte cultus) *sapientia est*, „ *abstinere a malis disciplina est*.

„ 17. Ad Archibium Presbyterum. lib. IV. „ Epist. 166.

„ 18. Ad Leontium Episc. lib. V. Epist. 21.

„ 19. Ad Leontium Episcopum. lib. V. Epi- „ stola 37.

„ 20. Ad Isidorum Episcopum. lib. IV. Ep. „ 100. sed inscribitur Isidoro Diacono.

„ 21. Ad Philacrium. lib. V. ep. 126. sed in- „ scribitur Philecrio.

„ 22. Ad Paulum Presbyterum & Anachore- „ tam. lib. V. ep. 131.

„ 23. Ad Theonem. lib. V. epist. 160.

„ 24. Ad eumdem. lib. V. ep. 161.

„ 25. Ad Alphium. Non reperitur in editis. „ Incipit: *Nimia librorum cupido animabus homi-* „ *num præsenti se intulit tempori*; *dico autem li-* „ *brorum non talium*.

„ 26. Ad Arpocratem Sophistam. lib. V. ep. „ 223. sed est in edit. Arpocræ rhetori.

„ 27. Ad Petrum Scholasticum. lib. IV. epi- „ stola 56.

„ 28. Ad Nilum Scholasticum. lib. V. ep. 240.

„ 29. Altera ad Nilum Scholasticum; non „ reperitur in editis. Incipit: *Quoniam per hoc* „ *ablata viribus validior & artificiosior demonstra-* „ *tur, quando adversariorum consuitur nodis*, *&* „ *semetipsum exuerit*, *& ipsos solus prostraverit*.

„ 30. Ad Paulum. Non reperitur in editis. Inci- „ pit: *Nihil, optime, vita præsens distat ab scæ-* „ *na. Nihil firmum, nec permanens, nec stabile*, „ *nec fixum servans* &c.

„ 31. Adamantio. lib. IV. ep. III.

„ 32. Lampetio Diacono. lib. V. ep. 255.

„ 33. Cyrillo Episcopo. lib. V. ep. 268.

„ 34. Ad Quintam. lib. V. Ep. 272. sed in- „ scribitur Nilo.

„ 35. Ad Herminum Comitem, Lib. V. „ Epist. 276.

„ 36. Ad eumdem. Non reperitur in editis.

„ 37. Ad eumdem. Non reperitur in editis.

„ 38. Ad Zenonem. lib. V. Ep. 448.

„ 39. Ad Isidorum Episcopum. lib. IV. Epi- „ stola 126.

„ 40. Ad Eutonium Diaconum. Non reperi in „ editis. Incipit: *Terribile quid & valde terribi-* „ *le est unum in Sacerdotium degere, alterum nam-* „ *que e duobus evenire cuilibet* &c.

„ 41. Zosimo Presbytero. lib. V. Ep. 491.

„ 42. Petro. lib. IV. Ep. 217.

„ 43. Ad Leontium Episcopum. Lib. IV. „ Epist. 133.

„ Ad Alphium. Non repetitur in editis. In-

„ cipit: *Scito, o optime, quia nullus indormitabi-* „ *lem latebit oculum, cui sunt cuncta perspicua*, „ *nec celare ei potest, quod quis perpetrat in quo-* „ *libet abscondito* &c.

„ Hic desinit Codex.

D. Quis est ille Prosper, qui Cassianum, & Vincentium Lirinensem confutavit.

M. S. Prosper, qui Cassianum, Vincentium Lirinensem, & alios Semipelagianos impugnavit, fuit simplex Laicus ex Aquitania oriundus, acerrimus doctrinæ Sancti Augustini propugnator, in scribendo accuratus sive soluta, sive ligata oratione scriberet, & cum eximia vitæ sanctimonia divinarum & humanarum rerum eruditione pollens. Genuina Opera, quæ S. Prosper contra Semipelagianos scripsit, sunt ista: *Epistola de Gratia & libero Arbitrio ad Rufinum*, in qua capitale Pelagianorum dogma refellit, quo asserebant, *Gratiam Dei secundum hominis merita dari*. Liber *de Gratia Dei* contra *Collatorem*, seu Cassianum Collationum auctorem. Liber unus *Epigrammatum* ex sententiis S. Augustini, *Carmen de Ingratis* adversus Pelagianos. *Expositio* in Psalmum centesimum, & in quinquaginta alios sequentes. *Epistola ad Augustinum*, in qua Sancti illius Doctoris contra Semipelagianos implorat auxilium. *Chronicon* quod tempore Baronii desinebat anno Christi ccccxlv. sed *Andreas Duchesnius* tom. I. Historicorum Franciæ, addidit huic Prosperi Chronico alios decem annos, qui in quibusdam MSS. legebantur, ita, ut S. Prosper Chronicon suum perduxerit usque ad annum ccccLv. seu usque ad captam a *Genserico* Vandalorum Rege Urbem Romanam.

„ Hisce omnibus operibus Prosperi adjungendus „ est *Commentarius in Psalmos* incipiens a Psalm. „ C. usque ad totum Psalmum CL. Quamquam & „ ad omnes Psalmos Commentarium hunc olim pro- „ tensum indicat Notkerus Balbulus de Interpret. „ Script. cap. 2. & Prosper ipsemet in Psalm. „ CVIII: allegat Commentarium suum in Psal. „ LVI. & LIX.

Opera dubia S. Prosperi sunt hæc: *Epistola ad Demetriadem*. *Capitula de Gratia & libero voluntatis arbitrio*. *Duo libri de Vocatione Gentium*, quæ Opera *Quesnellus* attribuit S. Leoni Papæ. Probabilius tamen doctissimus *Antelmius* hæc Opera Sancto Prospero Aquitano vindicat in dissertatione de Operibus Sanctorum Leoni M. & Prosperi. Opera spuria S. Prosperi sunt ista: *Libri tres de prædictionibus, & promissionibus Dei*. *Libri tres de Vita Contemplativa*, quos a *Juliano Pomerio* editos fuisse, censent periti Critici. *Poema de Providentia Dei*, quod quemdam Pelagianum agnoscit authorem.

D. Præter Joannem Cassianum, & Vincentium Lirinensem, fueruntne alii in quinto Ecclesiæ sæculo viri eruditi, qui Semipelagianorum partibus adhæserint?

M. Fuerunt alii tres fama celebres, qui in quinto Ecclesiæ sæculo a Semipelagianorum partibus steterunt, videlicet *Faustus* Rejensis Episcopus, *Gennadius* Presbyter Massiliensis, & *Hilarius* Arelatensis Præsul. *Faustus* primum Mona-

fletii Lirinensis Abbas, dein Episcopus Rejensis factus, Epistolam ad quendam *Lucidum* Presbyterum scripsit, & duos libros de Gratia & libero Arbitrio, in quibus sub specioso obtentu refellendi quorumdam Prædestinatianorum errores, doctrinam S. Augustini de Gratia & Prædestinatione data Opera impugnat. Qua de causa anno DXX. *Hormisda* Papa a *Possessore*, uno ex his Episcopis Africanis a *Trasimundo* Rege in exilium missis, consultus quid de *Fausti* libris sentiendum esset? Respondit, libros *Fausti* non recipi in Ecclesia Catholica, sed legenda esse postrema volumina S. Augustini, e quibus velut e purissimis fontibus, doctrina Catholica de libero arbitrio & gratia Dei essent haurienda. Immerito igitur *Sirmondus* in sua *Historia Prædestinatiana* prolixam concinnavit Apologiam pro *Fausto*, cujus libri fuerunt etiam damnati a Gelasio Papa anno CCCCXCIV. *Gennadius*, non Episcopus, ut quidam putant, sed Presbyter tantum Massiliensis, rexuit Catalogum Illustrium Scriptorum, qui eum præcesserant. Edidit etiam librum *de Ecclesiasticis Dogmatibus*, qui olim falso tribuebatur S. Augustino. Subjunxit quoque *Gennadius* tanquam Appendices ad librum S. Augustini *de Hæresibus*, quatuor Hæreses, nempe *Prædestinatianam*, *Nestorianam*, *Eutychianam*, & *Timotheanam*, ut docet *Hincmarus* Remensis Episcopus in lib. *de Prædestinatione* cap. I. Denique, *S. Hilarius* Episcopus Arelatensis, qui, ut in superioribus Colloquiis jam observavimus, gravem cum S. Leone Papa contentionem habuit, Semipelagianorum doctrinæ adhæsit, quam tamen propediem moriturus penitus abdicavit, ut colligit *Quesnellus* ex ejus Vita in Notis ad Opera S. Leonis tom. II. pag. 913. S. Hilarium Arelatensem Episcopum, eum esse, qui ad S. Augustinum Epistolam contra Semipelagianos scripsit autumavit *Baronius*. At in hoc hallucinatum fuisse Eminentissimum illum Annalium Parentem fatentur omnes periti Critici, tum quia, ut mox dixi, S. Hilarius Arelatensis Episcopus Semipelagianorum doctrinæ adstipulatus est, ac subinde abhorret ab omni veri specie, quod ad S. Augustinum contra Semipelagianos scripserit; tum quia etiam *Hilarius* ille, qui adversus Semipelagianos dedit ad S. Augustinum Epistolam, se tantum ex ordine Laicorum fuisse in fine suæ Epistolæ quodam modo indicat, quando profitetur, se parem non esse auctoritati Adversariorum, idest, Semipelagianorum, a quibus multum & vitæ meritis, & summo Sacerdotii honore superetur. Appellat etiam S. Augustinum *Patrem*, a quo vicissim in lib. *de Prædestinatione Sanctorum* cap. I. *filius* nuncupatur. Hilarium autem non appellasset S. Augustinus *filium*, si Hilarius, qui ad ipsum contra Semipelagianos scripsit, fuisset revera Episcopus. Hic velim obiter observes, *S. Honoratum*, qui postea fuit Episcopus Arelatensis, fundasse in quinto Ecclesiæ sæculo Monasterium Lirinense, in quo ejus tempore, præter *Vincentium Lirinensem*, *Faustum*, & *Hilarium*, de quibus mox sermonem habuimus, floruerunt *Maximus*, *Lupus*, *Eucherius*, qui fuit Episcopus Lugdunensis, & Operum *de solitudine*, *& contemptu mundi* Scriptor egregius. Idem Cœnobium Lirinense illustrarunt alii celeberrimi Monachi, qui deinde ad Episcopales Infulas in diversis Galliarum Ecclesiis assumpti sunt. Extat etiamnum Lirinense Monasterium ædificatum in Lerina Insula, quæ Provinciæ adjacet adversus Antipolim.

D. Hi sunt igitur præcipui Scriptores, qui in quinto Ecclesiæ sæculo floruerunt?

M. Fuerunt alii insignes Scriptores, quos hic breviter indicasse sufficiet. *S. Leo* Papa I. re & cognomine Magnus, Ecclesiæ multum splendoris contulit eruditione, pietate, eloquentia, multisque editis lucubrationibus, quas *Quesnellus* cum variis MSS. contulit, ejus Epistolas ordine Chronologico digessit, varias, quæ nunquam lucem viderant, e tenebris, eruit, ac quotquot aliorum Epistolæ ad S. Leonem datæ sunt, ejusdem literis inseruit. Quædam tamen Opera, ut mox observavimus, *Quesnellus* attribuit S. Leoni, quæ alii periti Critici probabilius S. Prospero adjudicant (*a*). *S. Cyrillus* Alexandrinus Antistes, de quo plura in præcedentibus Colloquiis diximus, rebus pro Ecclesia gestis præsertim contra Nestorii Hæresim in quinto sæculo insurgentem, Scriptorumque multitudine & splendore clarissimus fuit. *Socrates*, & *Sozomenus* suos de Historia Ecclesiastica libros eodem tempore scripserunt, seu potius Historiam Ecclesiasticam Eusebii continuarunt usque ad annum CCCCXXXIX. *Theodoretus* Cyri in Palæstina Episcopus, præter Historiam Ecclesiasticam, quam adornavit, & anno CCCCXXIX. terminavit, edidit etiam Tractatus & eruditos Commentarios in Scripturam Sacram. *S. Chrysologus* Episcopus Ravennæ in Sermonibus, seu Homiliis ad populum habendis magnum sibi nomen peperit. Quo in genere etiam excelluerunt *Maximus* Taurinensis Episcopus, *Valerianus* Cimmeleensis Præsul, & *Basilius* Episcopus Seleuciensis. Contra Pelagianos, & Nestorianos *Marius Mercator* multa edidit Opera, quæ anno MDCLXXIII. *Joannes Garnerius* Soc. Jesu publici juris fecit, addiditque Annotationes & Dissertationes amplissimas, quæ Marii Mercatoris scriptis magnam lucem afferunt. Alteram, sed accuratiorem eorumdem Marii Mercatoris Operum Editionem ex Collatione Codicis Bellovacensis cum Vaticano, in quibus solis antiqui hujusce Scriptoris Opera habentur, concinnavit doctissimus *Baluzius*. Denique, in quinto Ecclesiæ sæculo floruerunt *Salvianus* Presbyter Massiliensis auctor elegantissimi Tractatus *de Providentia*, & quatuor librorum *de Eleemosyna*: Arnobius junior auctor Commentarii in Psalmos: *Claudius Mammertus*, *Sidonius Apollinaris* Episcopus Claromontanus insignis Poeta, *Gelasius Cyzicenus* Historiæ Concilii Nicæni compilator: *Victor* Vitensis Episcopus, qui tres libros *de Vandalica persecutione* scripsit. Sunt multi periti Critici, qui asserunt, libros *De Divinis Nominibus*, *de Cælesti*, *& de Ecclesiastica Hierarchia*, qui S. Dionysii Areopagitæ nomine insigniuntur, sub finem tantum quinti Ecclesiæ seculi ab incerto Scriptore editos fuisse, eosque dumtaxat anno DXXXIII. in Collatione Constantinopolitana ab

Acepha-

Acephalis, seu *Severianis* Hæreticis adversus Orthodoxos primum sub Sancti Dionysii Areopagitæ nomine fuisse citatos. Sed de celebrioribus quinti sæculi Scriptoribus, eorumque Operibus hæc pauca prælibasse, ac levi brachio attigisse sufficiat.

(*a*) „ S. Leonis Magni opera nemo melius, & „ diligentius illustravit supra Ballerinos fratres Ve„ ronenses, qui præter omnes Quesnelli accessio„ nes novas etiam Epistolas S. Leonis adjecerunt „ e MSS.Codicibus erutas. Collationem etiam o„ mnium eorumdem operum instituerunt novam „ ad Codices MSS. vetustissimos Vaticanos, Ve„ ronenses, & novis insuper adnotationibus ac per„ petuis, lectiones optimas vindicarunt. Nec de„ sunt additamenta alia, quæ P. Cacciarius in „ sua recenti editione eorundem operum S. Leo„ nis typis Romanis producta e Vaticanis Codi„ cibus indagaverat. Nec prætereundæ sunt il„ laudatæ animadversiones eorum & refutatio„ nes ad dissertationes Leonianas Quesnelli, quas „ tamen ibidem integras repræsentarunt. Sed lau„ dem omnem superat tertium editionis hujusce „ volumen, in quo exhibent *Codicem Canonum* „ *Ecclesiæ Romanæ*, sicut Quesnellio inscribere pla„ cuit, quamquam nullam publicam auctorita„ tem unquam obtinuisse, Ballerini demonstrant. „ Hanc igitur Collectionem ad Vaticanos Vero„ nenses, Barberinos, & alios bene multos recen„ sent, suæque integritati restituunt; fontes de„ tegunt, unde singula derivata sunt, eaque no„ tis illustrant. Præmittunt toti volumini disser„ tationem de antiquis Canonum collectionibus „ tum editis cum manuscriptis earumque autho„ ribus summo judicio & eruditione elaboratam, „ ut nemo huc usque plenius & accuratius hoc „ argumentum excusserit. Prodiit integrum opus „ tribus in folio tomis Venetiis typis Simonis „ Occhi an. 1757.

COLLOQUIUM VI.

De Doctrina, Disciplina, & Morali quinti Ecclesiæ sæculi.

D. Cum sub finem Historiæ cujuslibet Ecclesiæ sæculi aliquod specimen illius Doctrinæ, Disciplinæ & Moralis exhibere soleas, de his in præsentia edoceri cupio, ut nihil eorum, quæ ad notitiam Historiæ, Doctrinæ, Disciplinæ & Moralis quinti Ecclesiæ sæculi attinent, intactum prætermittamus. Expone primo igitur quænam fuerit Doctrina quinti Ecclesiæ sæculi?

M. Doctrina Ecclesiæ a Christo Domino, & ab Apostolis tradita cum omnino invariabilis sit, nec ulla, ut sæpe diximus, temporum vicissitudine violari, aut immutari possit; certum apud omnes esse debet, eamdem prorsus in quinto Ecclesiæ sæculo obtinuisse doctrinam, quæ in quarto, & in tribus aliis præcedentibus sæculis jugiter viguit. Quia tamen in quinto sæculo, ut in secundo Colloquio in Historiam hujusce sæculi dicebamus, multæ grassatæ sunt Hæreses, Pelagianorum videlicet, Semipelagianorum, Nestorianorum, Eutychianorum, Helvidii, Joviniani & Vigilantii, necesse fuit, ut doctrina fidei ab illis Hæreticis impetita, clarius & uberius a Conciliis, & a Sanctis Patribus explicaretur, novæque consecrarentur fidei formulæ, quibus serpentes errores facilius a fidelibus præcaveri possent.

In primis, statutum est contra Pelagium, Peccatum Originale ab Adamo in omnes illius posteros propagari, nec quemquam, nisi Christi gratia posse salvari. Secundo, Baptismum ad salutem consequendam parvulis esse omnino necessarium. Tertio, neminem esse bonum suis viribus, nisi participatione ejus, qui solus bonus est. Quarto, quod nisi gratia Dei continuo juvemur, insidias, seu tentationes Diaboli superare haud possumus. Quinto, quod per Christum Servatorem nostrum bene utamur libero arbitrio. Sexto, quod omnia Sanctorum merita sint dona Dei. Septimo, quod omnis sancta cogitatio, & motus piæ voluntatis ex Deo sit. Octavo, quod gratia Dei non solum peccata dimittat, sed etiam adjuvet ne committantur, & præstet, ut lex impleatur, non sicut ajebat Pelagius *facile*, quasi absque gratia Dei difficilius posset impleri. Denique, quod nemo potest mereri gratiam. His Ecclesiæ definitionibus jugulata est Pelagiana Hæresis.

Ventum est postea ad errorem Semipelagianorum, qui licet Peccatum Originale ab Adamo ad omnes illius posteros transfusum fuisse ultro faterentur, prævenientis tamen gratiæ interioris necessitatem ad initium fidei & bonorum operum non admittebant, & perseverantiam finalem in bono singulari Dei donum esse negabant. Contra illos igitur Sancti Patres unanimi consensu docuerunt gratiam prævenientem necessariam esse ad omnes & singulos pietatis actus, etiam ad initium fidei & bonorum operum, insuper & perseverantiam usque in finem esse speciale & magnum Dei donum. In hoc contra Pelagianos & Semipelagianos custodiendo gratiæ Christi deposito, Ecclesiæ imprimis charo, strenue præ cæteris Patribus per viginti & amplius annos adlaboravit S. Augustinus, & omnia, quæ ad medicinalem Christi gratiam spectant, tam dilucide explanavit, tam nervose stabilivit, ut Concilia, quæ post ipsius obitum celebrata fuerunt, sua de quæstionibus judicia, & potissimum de gratia Canones ex Sancti Doctoris sententiis ad verbum formanda senserint. Unde Cardinalis Bellarminus lib. 2. de Gratia cap. 11. veridice pronunciavit, S. Augustini de Gratia & Prædestinatione sententias, non esse privatas alicujus Doctoris opiniones, sed *fidem Catholicæ Ecclesiæ dici debere*. Mirum igitur esse non debet, si Theologi prædestinationis gratuitæ, & gratiæ se ipsa efficacis defensores S. Augustinum Theologiæ principem, Catholici orbis Magistrum, Hæreticorum malleum tantopere venerentur, ejusque inconcussæ, tutissimæque doctrinæ indivulse adhæreant. Extiterunt quidem proh

 dolor!

dolor! nonnulli æmuli, qui totis viribus, incredibili conatu, vehementerique studio laborarunt, ut doctrinam S. Augustini vellicarent, & invenirent, sicut vulgo dici solet, pilum in ovo, nodum in scirpo, scopulos in plano, atomos in Sole, maculas in Cælo, sed ut in superiori Colloquio dicebamus, Cardinalis *Norisius* grassantem hanc maledicentiæ luem, vindiciis pro Divo Augustino adornatis, velut cauterii ustione cohibuit, & tanti Magistri doctrinam eo clariorem effecit, quo obscuriorem illam reddere, eique erroris notam inurere ignorantia & malignitas satagebant.

Circa Verbi divini Incarnationis mysterium confirmata ac magis explicata fuit in quinto Ecclesiæ sæculo contra Nestorianos, & Eutychianos constans ac perpetua fidei Catholicæ doctrina, qua semper, ubique, & ab omnibus creditum est, unicam in Christo esse personam, seu divinam, & duabus constantem naturis divina & humana, quarum proprietates per communicationem idiomatum, ut loquuntur Theologi de Schola, personæ divinæ tribuuntur, ita ut non solum veræ sint istæ propositiones: *Jesus Christus est immortalis & impassibilis: Jesus Christus est natus, mortuus, & passus*: sed etiam vere & Catholice dici debeat: quod *Deus est natus*; quod *Maria Virgo est mater Dei*: *Deus passus*, & *Cruci suffixus est*. Proprietates tamen naturæ humanæ nullo pacto tribui possunt naturæ divinæ, nec versa vice proprietates divinæ naturæ adscribi queunt naturæ humanæ. Inde Hereticæ sunt istæ propositiones *Deitas est nata, passa &c.* vel e contra: *Humanitas Christi est immortalis, æterna, impassibilis &c.*

D. Audivi nuperrime a quibusdam viris eruditis, hanc propositionem: *Unus de Sancta Trinitate passus est*, erroris damnatam fuisse in Monachis Scythiæ ab *Hormisda* Summo Pontifice. Vera igitur esse non potest hæc propositio: *Deus passus est*.

M. Hanc propositionem: *Unus de Trinitate passus est*, nunquam, pace tua dixerim, damnavit Hormisdas Papa, sed tantum improbavit Scytharum Monachorum temeritatem ac pervicaciam, qui prædictam propositionem definitioni Concilii Chalcedonensis necessario addendam esse inscite pertendebant; quasi illius Concilii definitio absque isto loquendi modo manca & mutila esset. Cæterum, hanc propositionem: *Unus de Trinitate passus est*, quæ eumdem plane sensum habet ac ista propositio: *Filius Dei passus est in Carne*, recepit & approbavit universa Ecclesia, ut patet ex quinta Synodo generali Can. 4. & 5. & ex Joanne II. Romano Pontifice in Epistola ad *Justinianum* Imperatorem, in qua eum laudat, quod fidem hac propositione expressam teneat, & *Acœmetas* Monachos contra sentientes, condemnat. Sed de hac propositione: *Unus de Trinitate passus est*, plura, auxiliante Deo, dicemus in nostris Colloquiis in sextum Ecclesiæ sæculum, ubi ostendemus, Monachos Scythas Eutychiana Hæresi non fuisse infectos, eosque in sensu Catholico asseruisse, *unum de Sancta Trinitate esse passum*.

D. Possumus ne probare adversus Hæreticos nostri temporis, ea fidei dogmata, quæ nunc tenet Sancta Mater Ecclesia Catholica, & quæ ab ipsis reprobantur, fuisse in quinto sæculo a fidelibus recepta, atque Conciliorum, & Sanctorum Patrum consensione firmata?

M. Proclive esset demonstrare, Christianos quinti Ecclesiæ sæculi firma fide omnia illa credidisse dogmata, quæ nunc Sancta Romana Ecclesia avitæ traditionis pervigil custos tenet, & Catholicis credenda proponit. Verum, quia doctissimi viri *Bellarminus*, *Perronius*, *Coeffetæus*, *Vvalemburgenses*, aliique egregie hac Provincia contra Hæreticos nostri temporis jam defuncti sunt, duo dumtaxat hic obiter observabo, quæ ad stabiliendam Catholicæ Fidei veritatem plurimum conducere possunt. Primo, constat, *Socinianos* hujus ætatis Hæreticos, qui peccatum Originale ab Adamo in omnes illius posteros propagatum esse præfracte negant, fuisse in Pelagio a Sanctis Patribus, & a Conciliis in quinto sæculo habitis, prædamnatos. Nam statim ac falsum illud dogma, quo Pelagius Peccatum Originale, & illius ad omnes Adami posteros transfusionem negabat, apertam in lucem erupit, Ecclesiastici Doctores, & Episcopi illud palam impugnarunt, Ecclesia execrata est, anathemate confixit, & Pelagianos ubique damnavit. Secundo, Hæretici Lutherani, & Calvinistæ, qui Sacrarum Reliquiarum venerationem, cultum, qui Sanctis defertur, eorumque invocationem negant, qui etiam Cœlibatum, Virginitatem, Monasticum Ordinem cane pejus & angue, averfantur, velint nolint, fateri coguntur, hæc falsa dogmata, quæ ipsi tam acriter contra Ecclesiam Romanam propugnant, fuisse a Patribus quinti Ecclesiæ sæculi in *Vigilantio* Hæretico proscripta, & ab omnibus fidelibus rejecta. Inane autem est, & oppido falsum, quod dictitant moderni illi Hæretici, videlicet hujus doctrinæ de Peccato Originali, de Veneratione Reliquiarum, de Cultu Sanctorum &c. nullum in tribus prioribus Ecclesiæ sæculis extare vestigium, eamque dumtaxat fuisse invectam a Doctoribus & Episcopis quarti vel quinti Ecclesiæ sæculi. Id, inquam, tam falsum est, quam quod maxime. Nam, præterquam quod Patres quinti Ecclesiæ sæculi ad confutandos illos Pelagii, & Vigilantii errores, quos nostri temporis Hæretici postliminio revocaverunt, usi sunt Scriptura Sacra, & Sanctorum Patrum traditione a temporibus Apostolorum ad suam usque ætatem constanter firmata; incredibile omnino est, Christianos omnes, Doctores Ecclesiasticos, Monachos, & Episcopos, quos quintum Ecclesiæ sæculum plurimos, eosque doctrina & pietate præstantissimos protulit, nescivisse quænam fuisset priorum Ecclesiæ sæculorum fides? novam & peregrinam induxisse doctrinam, Scripturam Sacram alio sensu intellexisse, vel eos scientes ac volentes a fide majorum suorum descivisse, nemine interim reclamante, immo, cunctis vel consentientibus, & applaudentibus, vel profundo lethargo somno oppressis; & adversus Novatores nequidem mutire audentibus. Id porro abhorret ab omni veri specie, & injuriam irrogat Christo Servatori

nostro,

nostro, qui promisit, Spiritum Sanctum nunquam defuturum Ecclesiæ. Cum igitur errores, quos Sociniani, Lutherani, & Calvinistæ tanto ardore propugnant, fuerint jam in Pelagio, & in Vigilantio damnati in quinto sæculo, jure optimo Ecclesia Romana hasce vividas Tertulliani lib. de præscript. Hæreticorum cap. 37. interrogationes in istos, & in alios hujus furfuris Hæreticos inorquere potest: *Qui estis vos? quando, & unde venistis? quid in meo agitis non mei? quo denique Marcion* (Sociniane, Lutherane, Calvinista) *jure sylvam meam cædis? qua licentia fontes meos transvertis? qua potestate limites meos commoves? mea est possessio, quid hic cæteri ad vestram voluntatem seminatis, & pascitis? mea est possessio, olim possideo, prior possideo, habeo origines firmas ab ipsis authoribus, quorum fuit res. Ego sum Hæres Apostolorum, sicut caverunt testamento suo, sicut fidei commiserunt, sicut adjuraverunt, ita teneo. Vos certe exhæredaverunt semper, & abdicaverunt ut extraneos, & inimicos.*

D. Doctrina Patrum quinti Ecclesiæ seculi, præsertim Hieronymi, Augustini, & Chrysostomi, est ne ita ab omni nævo immunis, ut nullus illis Patribus inter subscribendum obrepserit error, a quo cavere debeamus?

M. Plurimos in libris Sanctorum Patrum Hieronymi, Augustini, & Chrysostomi, nævos, erroresque notat, & carpit in suo libro *de vero Patrum Usu* Dallæus Pseudo-Minister Calvinista tetricus sane homo, & superciliosus Censor Sanctorum Patrum, quorum mensuras sensuum, pondera locutionum, nervos quæstionum, & fere verborum, ac syllabarum apices insidiose excussit, & ventilavit; magnum lucrum reputans si Ecclesiæ Catholicæ luminibus nævorum maculas, & errorum caliginem affingere posset. Qua in re *Dallæus* secutus est Pseudo-Magistrum suum *Calvinum*, qui apud Regem Galliæ *Franciscum* I. ut Lutheranorum impudentiam excusaret, Catholicorum innocentiam traduxit. Cum enim Lutheranis verissime ac gravissime objiceretur, quod Patrum essent contemptores, & adversarii: *multa*, ait Calvinus, *ignorarunt Sancti illi viri, sæpe inter se conflictantur, interdum etiam secum ipsis pugnant*. Tum deinceps, quotquot Patrum errores colligere potuit, falso etiam illis affictos, enumerat, quæritque, *cur nos item a Patribus discedamus*? Sed Calvino Catholici Doctores responderunt. Primo, nos in iis, quæ ad ipsa fidei pertinent fundamenta, a Patribus non discedere, sed tantum in iis, quibus Patres salva fidei compage non consonant. Responderunt secundo, nonnullos quidem nævos reperiri in Operibus Sanctorum Patrum, qui tamen leviores sunt, quam ut illorum Auctoritatem elevare vel labefactare possint. Catholici igitur reverenter ac modeste oculos ab illis Patrum nævis avertunt, tantum abest ut imitentur Hæreticos, qui Sanctos Patres aut irridendos, aut certe despiciendos propinant, quique, ut eleganter ait Vincentius Lirinensis, *Sancti cujusque viri memoriam, tanquam sepultos jam cineres, prophana manu ventilant, & quæ silentio operire oportebat, rediviva opinione diffamant; sequentes omnino vestigia auctoris sui Cham, qui nuditatem venerandi Noe non modo operire neglexit, verum quoque irridendam cæteris enunciavit. Longe aliter fratres illi sui, qui nuditatem ipsam reverenter Patris sui nec temerare oculis, nec alienis patere voluerunt, sed aversi, ut scribitur, texerunt eum. Quod est erratum Sancti viri nec approbasse, nec prodidisse*. Sed nunc breviter examinemus, an revera in Operibus Sanctorum Patrum Augustini, Hieronymi, & Chrysostomi reperiantur nævi seu errores, qui in rebus fidei eorum auctoritatem deprimere possint, sicut allatrat *Dallæus*. In primis, Sanctus Augustinus videtur quidem in eam propendere sententiam, quæ animas ex traduce, seu per propagationem produci tenebat. At in hoc non erravit Augustinus, quia tum temporis nec error, nec hæresis erat id asserere, sed in varias hac de re sententias, salva & inculpata fide, abibant Catholici, & integrum unicuique erat in suo sensu abundare. Secundo sanctus Augustinus Dæmonibus tribuit corpora. Sed eidem opinioni multi antiqui Patres citra ullum fidei dispendium suffragati sunt. Immo non desunt etiamnum multi gravissimi Theologi, qui docent, omnimodam Angelorum incorporeitatem esse quidem sanæ Theologiæ dogma, a quo nemo absque temeritate in præsentia recedere potest, ab Ecclesia tamen necdum esse definitum ut fidei dogma. Tertio, *Antipodas* existere negavit Augustinus, sed in hac quæstione meri facti, cujus nullum in libris sive sacris, sive prophanis extat vestigium, & cujus certa notitia dumtaxat ex navigationibus, ac relationibus postremis hisce temporibus haberi cœpit; errasse Augustinum, quid mirum? Denique, Sancto Augustino crimini datur, quod doceat, Infantes absque Baptismo decedentes non solum pœna damni, seu privatione visionis beatificæ, sed etiam pœna sensus, seu æterno ignis tormento puniri. Verum, tantum abest, ut hæc sententia erroris insimulari debeat, ut potius Cardinalis *Norisius* in suis *Vindiciis Augustinianis* omni argumentorum genere evincat, hanc opinionem traditioni Patrum, & definitionibus Conciliorum esse magis consentaneam, solidioribus fultam rationibus, & ad doctrinam de Peccato Originali contra Pelagianorum errorem propugnandam magis appositam. Consule itaque doctissimum illum Cardinalem, qui data opera Sanctum Augustinum vindicavit ab omnibus nævis, & erroribus, quos non solum Hæretici, sed etiam invidi obtrectatores suis privatorum commodorum præjudiciis obcæcati falso ei impegerunt, misero tamen & irrito successu.

Quantum attinet ad Opera Sancti Hieronymi, qui, teste Sancto Augustino lib. 1. contra Julianum cap. 7. *Ab Oriente usque in Occidentem ad instar lampadis resplenduit*, nihil plane in his occurrit, quod censura aliqua perstringi possit, sicut P. *Martianæus* Congregationis Sancti Mauri Benedictinus, aliique doctissimi viri aperte demonstrant contra *Dallæum* Calvinianæ superstitionis Ministrum. Propugnavit quidem Hieronymus legalia Sacramenta, Mosaicæ-

ſaicæque Legis ritus mortiferos eſſe cœpiſſe ſtatim a Paſſione Chriſti Domini, & Apoſtolos ſimulatione quadam cæremonias illas legales obſervaſſe, adeoque Sanctum Petrum ſincere & ex animo non fuiſſe reprehenſum a Sancto Paulo. Sed hanc ſententiam poſtea abjecit Sanctus ille Doctor, ceſſitque tandem rationibus Sancti Auguſtini, qui cum hac de re literariam concertationem habuit Hieronymus, de cujus doctrina plura non dicam, maxime cum jam citatus P. *Martianæus* in ſua nova Operum S.Hieronymi Editione Sanctiſſimum illum Doctorem vindicet ab illis erroribus, quos ipſi temere impegit *Dallæus* perfrictæ frontis audacia aſſerens, Sanctum Hieronymum Origenis de damnatorum purgatione & ſalute delirium ſecutum. Secundo, improperat huic Sancto Doctori, quod ſecundas nuptias rebus turpibus, & fœdis accenſeat, & Digamos eodem loco habeat quo Scortatores. Tertio, affirmat, S. Hieronymum faviſſe Aeriano dogmati, quo Epiſcopum inter & Presbyterum æqualitas ſumma conſtituitur. Ab his, & aliis erroribus, quos *Dallæus* impegit S. Hieronymo, prorſus alienum fuiſſe Sanctum illum Doctorem demonſtrat non ſolum *Martianæus*, ſed etiam noſter *Natalis Alexander* in Panoplia adverſus Hæreſes ſecundi ſæculi, Diſſertatione XVIII. art. 1. in Panoplia adverſus Hæreſes tertii ſæculi art. 2. in ſingulari Diſſertatione, quam edidit contra *Blondellum* Hæreticum Calviniſtam ad probandum Epiſcopos eſſe de jure divino Presbyteris Superiores, & ab hoc fidei dogmate nunquam receſſiſſe Sanctum Hieronymum; denique in articulo trigeſimo primo capitis ſexti Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ quarti ſæculi. Hæc loca, ſi conſulas, egregiam pro S. Hieronymo Apologiam adverſus Hæreticos concinnare poteris.

Denique, accuſatur S. Chryſoſtomus, quod Confeſſionis Sacramentalis uſum ſuſtulerit, Peccati Originalis propagationem & intuitivæ Viſionis Dei poſſibilitatem negaverit, & gratiæ interioris prævenientis ad initium fidei, & bonorum operum neceſſitatem non admiſerit. Sed Sanctum Chryſoſtomum ab his erroribus facili negotio purgant Catholici Doctores, qui tamen poſt Sanctum Thomam 3. p. q. 27. art. 4. ad 3. in hoc uno ſolo Sanctum Chryſoſtomum exceſſiſſe dicunt, quod ſenſerit, Beatam Mariam Virginem ex vana gloria peccaſſe venialiter, dum in nuptiis factis in Cana Galileæ dixit filio ſuo: *Vinum non habent*. Legeſis articulum XXIX. Capitis ſexti Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ quarti ſæculi *Natalis Alexandri*, ubi diſerte probat, S. Chryſoſtomum intuitivæ Viſionis Dei poſſibilitatem, & gratiæ interioris prævenientis ad initium fidei & bonorum operum neceſſitatem admiſiſſe. Singularem etiam Diſſertationem edidit idem Scriptor *de Confeſſione Sacramentali* contra Heterodoxos, in qua Sanctum Chryſoſtomum Confeſſionis Sacramentalis uſum nunquam ſuſtuliſſe, vel ejus neceſſitatem negaſſe validis argumentis oſtendit. Poſtremo, in Panoplia adverſus Hæreſes quinti Eccleſiæ ſæculi diſputans idem auctor contra Pelagianos, omnia Sancti Chryſoſtomi teſtimonia, quæ Hæretici *Socimani* contra Peccati Originalis propagationem objectare ſolent, ex eorum manibus avellit, & Sanctum Chryſoſtomum doctrinæ Eccleſiæ de Peccato Originali, & de ejus ad omnes Adami poſteros propagatione ſemper adhæſiſſe luculenter evincit. Digitum ad fontem intendiſſe ſufficiat. Nec enim patitur ſuſcepti hujus Operis brevitas, ut vindicias adornem Sancti Chryſoſtomi, & aliorum SS. Patrum, ad quos dehoneſtandos *Dallæus*, aliique hujus furfuris Heterodoxi nihil non pertentandum, faciendum, fingendum, inveniendum, efficiendumve putarunt. Quod ſane nemini mirum videri debet, quia, ut vulgo dicitur, *agnoſcunt lupi canes, & eos odio proſequuntur, quia illos timent*. Nos vero cum Vincentio Lirinenſi exiſtimamus, neceſſe eſſe omnibus Catholicis, qui ſeſe Eccleſiæ legitimos filios probare ſtudent, ut Sanctorum Patrum fidei inhæreant, adglutinentur, immoriantur: Prophanas vero novitates deteſtentur, horreſcant, perſequantur. Id quippe proprium eſt Chriſtianæ modeſtiæ ac gravitatis, non ſua poſteris tradere, ſed a majoribus accepta ſervare. Ducatum ſiquidem nobis præbet Religio, non nos Religioni. Nec Majorum ſenſa, qua volumus, trahemus, ſed potius qua illa trahunt, retrahuntque, ſequemur.

D. Doctrinam quinti Eccleſiæ ſæculi ſatis nunc perſpectam habeo. Age ergo, paululum modo expendamus ea, quæ ad Politiam, & Diſciplinam Eccleſiaſticam ejuſdem ſæculi ſpectant.

M. Eadem plane Diſciplina Eccleſiaſtica, quæ in quarto vigebat ſæculo, fuit accurate itidem obſervata in quinto Eccleſiæ ſæculo, ſive in his, quæ pertinent ad Sacramentorum adminiſtrationem, ſive in his, quæ ſpectant regulas morum & obſervationem Canonum, qui ad præfigendum tempus, modumque peragendæ pœnitentiæ antiquitus fuerunt ſtatuti. In his itaque cum nihil omnino in quinto Eccleſiæ ſæculo immutata ſit Eccleſiæ Diſciplina, ſupervacaneum eſſet hic repetere, quæ jam diximus de Diſciplina quarti Eccleſiæ ſæculi. His ergo prætermiſſis, pauca tantum dicam de Politia, & Diſciplina, quæ erga Epiſcopos, Clericos, & Monachos fuit in quinto Eccleſiæ ſæculo obſervata.

D. Incipe, quæſo, a Politia, & Diſciplina, quæ erga Epiſcopos, & Clericos in quinto Eccleſiæ ſæculo fuit obſervata?

M. In primis, Epiſcopi conſenſu & votis Clericorum, teſtimonio plebis, & ſuffragiis Epiſcoporum Comprovincialium eligebantur, & e Clero Eccleſiæ vacantis aſſumebantur. Quando tamen nullus Eccleſiæ vacantis Clericus dignus erat, qui Epiſcopus ordinaretur, licitum tunc erat alterum ex altera Eccleſia accerſere Clericum, eumque eligere Epiſcopum, qui tamen conſecrari haud poterat abſque Metropolitani notitia, conſenſu, & judicio. Antequam aliquis in Epiſcopum eligeretur, vel conſecraretur, accurate examinari debebat, an eſſet prudens, docilis & moribus temperatus? an in vita caſtus, in victu ſobrius, humilis, affabilis & miſericors? an ſuis ſemper negotiis, & officiis intentus, & rebus ſæculi liber? an in Lege Domini eſſet verſatus, in Scripturarum ſenſibus cautus, in dogmatibus Eccleſiæ exercitatus,

tus, & fidei documenta verbis simplicibus, & ad fidelium captum accommodatis, enunciare posset? Episcopatus ambitum ac desiderium illicitum esse censebant Patres quinti Ecclesiæ sæculi, nec migrationes & translationes Episcoporum de uno Episcopatu ad alterum patiebantur, nisi Ecclesiæ auctoritate, & propter ejus bonum atque utilitatem fierent. Episcoporum a suis Ecclesiis absentiam (nisi hæc necessaria servitute, seu Ecclesiæ utilitatis procurandæ gratia, contingeret) non permittebat quinti Ecclesiæ sæculi Disciplina. At poterant Episcopi, gravi urgente causa sese Episcopali dignitate abdicare, ut patet exemplo Sancti Gregorii Nazianzeni, qui pro bono Ecclesiasticæ pacis, cujus cupidissimus erat, Constantinopolitano cessit Episcopatu, Patribus Synodi Constantinopolitanæ dicens: *Si propter me orta est hæc tempestas, mittite me in mare*. Hæc autem abdicationis, seu cessionis causa debebat, ut mox dixi, esse gravis, alioqui non licebat ob quascumque difficultates in regimine populorum emergentes Episcopatu cedere, & a suscepto labore recedere, quia, ut ait Sanctus Leo Papa in Epistola ad *Rusticum* Narbonensem Episcopum, *etsi periculosum sit navim inter fluctus caute non regere, multo periculosius est eam undis intumescentibus fluctuantem in tempestate relinquere*. Quamvis in quinto Ecclesiæ sæculo Canonibus esset prohibitum, ne Episcopi sibi successores eligerent, idque ab Ecclesiæ moribus fuerit semper alienum, nihilosecius, postulante Ecclesiæ bono, Sanctissimi Antistites, Clero & plebe, vel Comprovincialibus Episcopis consentientibus, successores suos designarunt, aut adjutores cum spe futuræ successionis sibi adsciverunt. Sic *Valerius* Episcopus Hipponensis senio & laboribus fractus Sanctum Augustinum coadjutorem assumpsit, & Hipponensem Episcopum ordinari curavit, ut una secum Hipponensem regeret Ecclesiam. Sic etiam Sanctus Augustinus *Eradium* suum successorem designavit, & Clero, populoque Hipponensi consentiente, eidem munia Ecclesiastica obeundi Provinciam demandavit, ea tamen lege, ut nonnisi post ipsius obitum ordinaretur Episcopus. Bona Ecclesiæ quatuor in partes erant distributa in Ecclesia Occidentali, quarum una Episcopo; altera Clericis; tertia Templorum restaurationi; quarta pauperum sustentationi cedebat; Episcopi, & Clerici bonorum Ecclesiasticorum se non Dominos, sed dispensatores tantum, Oeconomos, & administratores existimabant. Quam in rem luculenter ait Sanctus Augustinus in Epistola L. ad Bonifacium Papam data: *Si autem quæ nobis sufficiunt, possidemus, non sunt illa nostra, sed pauperum, quorum procurationem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis usurpatione damnabili vindicamus*. Fidelium lites Episcopi dirimebant, & tam sibi, quam suis Clericis de caducis ac temporaneis bonis litigare maximo ignominiæ loco ducebant. Episcopis prohibitum erat Gentilium libros legere, gubernationem Viduarum, Pupillorum & Peregrinorum per se ipsos agere, tuitionem testamentorum suscipere, rei familiaris curam ad se revocare, sine consilio suorum Clericorum, & Civium testimonio Clericos ordinare, bona Ecclesiæ vendere, vel alienare. Demum Episcopi vilem supellectilem, & mensam pauperem habere, suæque dignitatis auctoritatem non fastu, & numeroso satellitio, non Beneficiorum pluralitate, sed Fide, vitæque meritis, juxta sacros Canones, quærere debebant. Hæc est Disciplina, quam Episcopi quinti Ecclesiæ sæculi adamussim sacratissimorum Canonum observabant. Eadem cura, ac sollicitudine Ecclesia in quinto sæculo ad bene informandos Clericorum mores sanctissimas Leges condidit, quibus Clericis vetitum erat, ne barbam aut comam nutrirent, ne vestibus aut calceamentis decorem quærerent, vel affectarent, ne cum extraneis mulieribus habitarent, ne per plateas (nisi certa & maxima sui officii necessitate) ambularent, ne turpia & scurrilia verba proferrent, ne simoniæ, & usuræ vitiis sese implicarent, sed potius satagerent, ut professionem suam & in habitu, & in incessu suo probarent, sibique victum & vestitum aliquo artificiolo, vel agricultura, absque tamen officii sui detrimento, studiose pararent. Legi potest præsertim super hac re Concilium Carthaginense quartum Idibus mensis Novembris anni CCCXCVIII. Honorio Augusto IV. & Eutychiano VI. Coss. celebratum, quod vere totius Ecclesiasticæ Disciplinæ Emporium appellari potest, cum in eo editi fuerint centum & quatuor Canones, quibus Disciplinæ Ecclesiasticæ optime fuit consultum atque provisum. Non me fugit, quosdam esse Criticos, qui istud Concilium quartum Carthaginense supposititium esse censent eo potissimum nomine, quod nullibi apud antiquiores Latinos, nec ab Auctore Concilii vulgo *Africani* appellati, nec a *Ferrando*, & *Dionysio*, nec ab iis, qui Codicem Canonum Ecclesiæ Africanæ in græcum transtulerunt, ulla fit mentio de Canonibus centum & quatuor, qui eidem Concilio adscribuntur. At istud Concilium IV. Carthaginense genuinum esse, invicte probant *Petrus de Marca* in Veter. Collect. Canonum, Card. *Perronius* in responsione ad Regem Angliæ cap. 48. & *Schelstratius* in Dissertatione tertia *de Ecclesia Africana* cap. 8. ubi plerosque istius Concilii Canones, explicat, Notisque suis illustrat. (*a*)

„ (*a*) De Concilio Carthaginensi anni 398. ac „ de canonibus illi adscriptis varii varia senserunt; „ placet sententia Balleriniorum, qui in dissert. „ De collectionibus canonum præmissa tomo III. „ editionis ab illis adornatæ operum S. Leonis Magni pag. XXXVIII., censent, nec canones 104. „ Concilio huic adscriptos in collectionibus, adscribendos omnes alicui singulari concilio, nec omnes in Africa conditos. Non cuipiam concilio, quia in nonnullis vetustissimis codicibus, „ præsertim Gallicanis, teste Sirmondo, hunc titulum præferunt: *Statuta Ecclesiæ antiqua*; Italicæ collectiones omnes ab iisdem Ballerinis „ consultæ habent: *Statuta antiqua Orientis*, „ ut etiam legit Atto Vercellensis sæculi X. scriptor in suo codice. Non vero omnes, sunt ex „ Africanis Conciliis, cum in quopiam ex his canonibus *Metropolitani* commemorentur contra „ morem Africanorum Patrum, qui pro eo nomine efferunt; *Prima Sedis Episcopus*, vel *Primas*,

" *mas*, *vel senex*. Vicissim autem canones quidam
" accepti sunt ab Africanis, ut indicatur illis
" verbis: *Placuit omnibus Patribus per provinciam Carthaginis consistentibus*. Ex his omnibus
" colligunt statuta esse Ecclesiæ ex variis Synodis Occidentis, & Orientis collecta; & quidem post natam Eutychetis hæresim, cum
" in his non obscure dogma Eutychianum sentiatur.

D. Dicebat mihi nuperrime nescio quis, antiquos de Disciplina Ecclesiastica Canones non esse amplius in usu, sed per desuetudinem fuisse abrogatos, ac penitus antiquatos.

M. Jurarem profecto, eum, qui te isthæc docuit, unum esse de grege illorum, qui magnam Ecclesiasticæ disciplinæ ac sacrorum Canonum partem sine metu, sine pudore abigunt, explodunt, & exsufflant. Sed quisquis ille sit, prorsus Ecclesiastici spiritus expertem, & in Ecclesiastica doctrina rudem se & hospitem prodit. Ecquis enim, amabo, qui doctrinam Ecclesiæ tantisper callet, dicere audeat, sacros Canones, quibus Ecclesia disciplinam suam, & filiorum, præcipue Ministrorum suorum, mores conformat, quibus nascentes resecat labes, & vitia succrescentia rescindit, sola desuetudine, idest, hominum in iis violandis audacia abrogari ac penitus deleri? quis, inquam, dicere audeat, Ecclesiam nunc minus, quam olim, scelera detestari, minorem ad sacramenta percipienda sanctimoniam exigere? Minus castos & sanctos optare Sacerdotes? Minus quam olim avaritiam & ambitionem in suis Ministris aversari, minusque illos execrari, qui sibi honorem rapiunt, & in sacros, absque singulari vocatione Dei, ordines involant? Quod si nemo hæc tam absurda dicere audeat, certum apud omnes esse debet, eadem Ecclesiæ nunc probari, quæ olim probata sunt, eamque subinde illos Canones, qui formæ quædam ac regulæ morum sunt, in intimo suo spiritu gerere impressos, eosque etiamnum tenere, aut quod eos temporum difficultatibus præpedita tenere non possit, vehementer ingemiscere, & indolere. Levitatem igitur Sacerdotum, qui ab uno Beneficio ad aliud, & ex alia in aliam transiliunt Ecclesiam, eorum a suis Ecclesiis diuturnam absentiam, & Beneficiorum pluralitatem, quando hæc carnali cupiditate, sola animi inconstantia, vel sordido lucri appetitu fiunt, non probat modo, sed potius damnat Ecclesia, quamvis tamen hæc propter majus Ecclesiæ bonum, vel ob alias circumstantias, quas perdocte exponit S. Thomas quodlibeto 9. artic. 15. aliquando justis de causis concedat Ecclesia. Alios vero in Clericis gliscentes abusus, seu corruptelas & prævaricationes improbat, nedum permittit Ecclesia, quæ tota pro viribus connititur ad collapsam in suis Ministris instaurandam disciplinam, quantum patitur Christiana prudentia, quæ nonnullas labes, majoris mali vitandi causa, nonnunquam tolerari præcipit. Cave itaque a perniciosa opinione illorum, qui nihil ægrum, nihil saucium vident in Ecclesia, omnes abusus, qui temporum diuturnitate impunitatem nacti sunt, licitos putant, antiquos Canones ad cohibendas morum corruptelas olim sancitos non amplius vigere, sed prorsus extinctos esse dictitant, uno verbo, quidquid præpostera, ac vitiosa consuetudine inolevit, pro lege habent.

D. Cum Monachi severiorem morum sectentur Disciplinam, nullus dubito, quin Monastica Disciplina in quinto Ecclesiæ sæculo maxime floruerit, ac maximum susceperit incrementum. Sed quæ, & qualis fuerit in variis Monasteriis eo in sæculo fundatis observata disciplina? velim modo ut paucis exponas.

M. Præter plura Monasteria cum virorum, tum mulierum, quæ S. Augustinus, teste *Possidio* in ejus Vita, instituit in Africa, multa alia Cœnobia, eaque celeberrima in Galliis erant jam quinto sæculo constructa, scilicet Massiliensia a Cassiano fundata, Lerinense, Agaunense, Jurensia, Grinniacensia, Reomaense, sanctissimis Monachis repleta, quorum disciplinam, ac singulare vitæ genus paucis hic describam. In primis, Monachi, vel, ut alii volunt, Clerici Regulares, qui in Monasteriis a S. Augustino institutis vivebant, curis sæcularibus expediti, jejuniis, orationibus, bonisque operibus jugiter vacabant, in Lege Domini meditantes die ac nocte. Omnia erant illis communia, distribuebatur unicuique prout cuique opus erat, juxta Regulam, quam Sanctus Augustinus scripsit pro fœminis, seu pro Sanctimonialibus, quibus præerat ejus soror, & quæ legitur Epistola centesima nona ejusdem Sancti Doctoris. Sunt qui putant, Sanctum Augustinum non solum vitam Monasticam sectatum esse, sed etiam Monachorum gessisse habitum, & cucullatum, immo & excalceatum fuisse, asserunt. Verum, licet ipse post Possidium, qui vitam S. Augustini descripsit, lubens fatear, S. Augustinum instituisse Monasterium, & in eo vitam Monasticam, seu religiosum vivendi modum egisse, nunquam tamen adducar, ut credam, eum cucullatum, & excalceatum fuisse. Primo, quia hæc opinio non aliunde nata est, quam ex supposititiis Sermonibus ad Fratres in Eremo, qui S. Augustinum Monachorum indutum habitu falso adumbrant. Secundo, testatur ipsemet S. Augustinus in Sermone 50. de diversis, se non aliis indutum fuisse vestibus, quam quibus Clerici vulgo in Africa utebantur. Sic enim loquitur: *nemo det byrrum, vel lineam tunicam, seu aliquid nisi in commune; de communi accipiam mihi ipsi, cum sciam commune me habere velle quidquid habeo*. Excalceatum etiam non fuisse S. Augustinum diserte affirmat *Possidius* in ejus Vita, ubi hæc habet: *vestis ejus & calceamenta, & lectualia ex moderato & competenti habitu erant, nec nitida nimium, nec abjecta plurimum*. Ludunt ergo nos pictores, qui S. Augustinum cucullatum & excalceatum depingunt. Complures nunc extant Congregationes Clericorum, & Canonicorum Regularium, qui suum Institutum, vitæque genus referunt ad S. Augustinum, quo ceu fundatore & patre gloriantur. Sed viri doctissimi, quos inter numerantur *Mabillonius*, *Thomassinus* & *Pagius* putant

tant, ejusmodi Congregationes undecimo dumtaxat Ecclesiæ sæculo initium habuisse. Qua de re opportunius alio loco differemus.

Monachi Cœnobiorum Massiliensium *Cassiani* eorum fundatoris Regulam profitebantur, quam *S. Benedictus* Anianensis Abbas in concordia Regularum non semel laudat, illiusque meminit S. Gregorius Turonensis lib. 10. cap. 29. De *Cassiani* Abbatis patria, doctrina, & sanctitate plura in superioribus Colloquiis diximus.

Monasterium *Lirinense* a S. Honorato, Episcopo deinde Arelatense, fundatum est, indeque dictum Monasterium S. Honorati, in quo floruerunt celeberrimi Monachi. Quamvis tempus conditi illius Monasterii incertum sit, citius tamen, quam par erat, Baronius illud conditum affirmat circa annum ccclxxv. nam S. Honoratus, Sancto Leontio Forojuliensi Episcopo sedente, Monasterium Lirinense excitavit, teste S. Hilario Arelatensi Episcopo, qui ejus vitam descripsit. Quare, cum Leontius Episcopus Forojuliensis mortuus fuerit anno ccccxxxiii. ejus Episcopatus initium incidisse videtur in priores hujus sæculi annos. Quo fit, ut in quinto dumtaxat sæculo jacta fuerint Lirinensis Monasterii fundamenta. Vetustioris Regulæ, quam Lirinenses Monachi observarunt, priusquam Benedictinam Regulam susciperent, idem auctor fuit, qui Monasterii conditor S. Honoratus. Sed hæc antiqua Regula modo non extat, sicut nec Disciplinæ Regularis observatio, quæ primis temporibus in hocce Monasterio magno cum fervore vigebat.

De Agaunensi Monasterio, quod nunc vulgo nuncupatur Cœnobium S. Mauritii in Vallesia, quia ibi SS. Martyrum Thebæorum, quibus præerat S. Mauritius, asservantur, & coluntur Reliquiæ, late tractant Card. *Norisius* lib. 2. Hist. Pelag. c. 3. *Henschenius* in Vita S. Sigismundi Burgundiæ Regis ad diem 1. mensis Maji, & *Carolus Cointius* Presbyter Oratorianus in Annalibus Ecclesiæ Francorum ad annum DXXXV. Istud Monasterium antiquissimum est, & ante annum quingentesimum *Acauno* constructum in angusta planitie, in qua parvus vicus antiquitus ædificatus fuit, quem *Tornatam*, seu *Tornadam* non longe ab Octoduro dissitum, incolæ appellarunt, indeque Monasterium modo *Agaunense* a situ, modo *Tornatense* ab Oppidulo ibi condito denominatur. *Agaunenses* Monachi peculiarem Regulam servabant a *S. Severino* Monasterii Abbate editam, quam *Holstenius* una cum aliis Regulis a S. Benedicto Anianensi Abbate collectis in lucem emisit, cujus hic titulus est: *incipit Regula Monasterii Tornatensis*, quæ Capitibus XXIII. constat, quamque a Capite XIII. usque ad ultimum, ex Regula S. Augustini ad verbum exscriptam esse Card. *Norisius*, & *Carolus Cointius* jam laudati demonstrant. *Sigismundus* Rex Burgundiæ, postquam filium suum *Sigericum* occidi jussisset, facti pœnitens perennem Psalmodiam circa annum ccccxv. in Monasterio Agaunensi instituit. Sed quænam fuerit illa Psalmodia perpetua, non convenit inter eruditos. Alii vocant illam Psalmodiam *assiduam*, quod aliis atque aliis mutuo, & alternatim succedentibus, diu noctuque continuaretur, uti fiebat apud *Acametas* Monachos Orientales. *Cointius* vero in Annalibus Ecclesiæ Francorum ad annum DXXXVI. numero ccxxiv. & seqq. contendit, peculiarem dumtaxat psallendi formam certis horis diei & noctis præscriptam fuisse, non vero Psalmodiam perpetuam. At *Cointium* hac in re hallucinatum fuisse probat doctissimus *Mabillonius* in Præfatione par. II. sæculi IV. Benedictini, ac manifesto ostendit, in locis, in quibus jugis hujusmodi Psalmodia vigebat, Monachos in plures turmas fuisse divisos, ita ut primæ recedenti a matutinis Officiis succederet secunda, & hinc tertia; dein absoluta prima, priores locum secuturis facerent, & ad assignatum laborem pergerent. Idem jugis Psalmodiæ ritus obtinebat apud *Centullenses* Monachos, & in nonnullis Galliæ Monasteriis, nempe in *Cabilonensi* Sancti Marcelli, *Dionysiano* prope Parisios, *Luxoviensi*, *Habedensi*, & *Lugdunensi* Sanctæ Salabergæ. Sed de his legendus est *Mabillonius* loco mox laudato. Extat adhuc Monasterium *Agaunense*, vulgo *Sancti Mauritii* nuncupatum, quod a pluribus sæculis a Clericis Regularibus Ordinis S. Augustini inhabitatur. Anno siquidem MCCLXI. ut liquet ex charta a Sammarthanis tomo quarto *Galliæ Christianæ*, dum de Abbatia Agaunensi loquuntur, recitata, jam istud Monasterium Canonici Regulares incolebant.

Monasteria *Jurensia* duo videlicet virorum, & unum puellarum in Episcopatu Lugdunensi fundata sunt in quinto Ecclesiæ sæculo, quorum origines in Vitis Sanctissimorum Abbatum *Romani*, & *Lupicini* fratrum referuntur apud *Bollandum* ad diem 28. mensis Februarii.

De Monachorum Grinniacensium Cœnobiis, quæ Viennæ in Gallia quinto sæculo condita sunt, legendus est idem *Bollandus* ad diem 1. Januarii, ubi inseruit Vitam *S. Clari* a quodam vetere auctore descriptam.

Reomaenses Monachi ita dicti a Pago *Tornodorensi* cui nomen *Reomaus* in Diœcesi Lingonensi, in quo extructum est eorum Monasterium circa annum ccccLXXXVI. vivebant sub Regula *S. Macarii* Alexandrini, quæ brevia, sed divino spiritu plena continet præcepta.

Præter hæc jam recensita Monasteria, alia adhuc in Galliis celeberrima erant, videlicet Cœnobium, quod S. Martinus Turonensis Episcopus duobus fere extra civitatem Millibus construxit, quodque *Majus Monasterium* hactenus appellatur. Monasterium Lugdunense apud Insulam *Barbaram* quæ paulo supra confluentes Araris & Rhodani in medio Araris sita est. In his Cœnobiis sanctissime vivebant Monachi, precibus vacabant, jejuniis & abstinentiis corpus macerabant, Clericatum, vel Episcopatum nec ambibant, nec postulabant, sed, vocante Ecclesia, suscipiebant, victum tamen, nec vestitum immutantes, ut patet exemplis *S. Martini* Turonensis Episcopi, *Fausti* Rejensis, *Germani* Antisiodorensis, *Hilarii* Arelatensis, *Fulgentii* Ruspensis, qui omnes

omnes ex umbraculis vitæ Monasticæ ad Episcopalem thronum sublimati, nihil de pristinis moribus, victu, & vestitu mutarunt. Otio perpetuum bellum indicebant Monachi, seque quotidie labore manuum exercebant. Qui vero præ corporis infirmitate operosis manuum laboribus incumbere haud poterant, iis pro Regulæ indulgentia Codices exscribere, & prolixioribus studiis aliorum operas compensare licebat. Quem laborem, ut optime observat Cl. *Mabillonius* præfatione in sæculum I. Benedictinum, strenue susceperunt postea Monachi Benedictini, eumque posteris suis quasi testamento reliquerunt. Adeo ut quidquid apud antiquos eruditum, ac scitu dignum, quidquid apud Patres pium, & sapientiæ plenum, quidquid in Conciliis sanctum, quidquid in libris sacris divinum est, totum id per Monachorum Benedictinorum manus ad hæc usque tempora pervenerit.

D. Antequam huicce Colloquio finem imponamus; cedo, si placet, præcipua Doctrinæ Moralis documenta, & præcepta, quæ Sancti Patres ad probe informandos Christianorum quinti Ecclesiæ sæculi mores præscripserunt.

M. Patres quinti Ecclesiæ sæculi de emendandis moribus, & de restituenda Disciplinæ Ecclesiasticæ integritate semper folliciti, non solum omnem adhibuerunt operam, ut sacri Canones ad tollendas morum corruptelas conditi adamussim servarentur, sed etiam ad omnia veræ virtutis & germanæ pietatis officia fideles qua verbo, qua scriptis efficaciter sunt adhortati. Infinitus essem, si hic percensere vellem omnes morum regulas, & saluberrima bene vivendi præcepta, quæ Sancti Patres in libris suis moralibus, & in Homiliis, quas ad populum habuerunt, passim proponunt, inculcant, infarciunt. Breviter dicam, illos ad sacram legis severitatem compositos, omnes ingenii, & eloquentiæ suæ intendisse nervos, ut Christianos a vitiis retraherent, ad exercitium virtutum provocarent, sed potissimum ad amorem Dei, quo Christiani discernuntur a Judæis, qui servili temporalis pœnæ timore, qui manum, non animum cohibet, a vitiis abstinebant: *brevissima, & apertissima differentia duorum Testamentorum, timor & amor; illud ad hominem veterem, hoc ad novum hominem pertinet*: ait S. Augustinus cap. 17. libri contra Adimantum Manichæum. Et certe, sicut sæpius ingerit Sanctus ille Doctor, lex Evangelica est lex amoris, & quantum Christianus proficit in amore Dei, tantum in eo decrescit amor mundi, & imminuitur regnum cupiditatis, quæ est radix omnium malorum. *Sub lege est*, inquit S. Augustinus lib. de Natura & Gratia cap. 57. *qui timore supplicii, quod lex minatur, non amore justitiæ, se sentit abstinere ab opere peccati, nondum liber est, nec alienus a voluntate peccandi. In ipsa enim voluntate reus est, qua mallet, si fieri posset, non esse quod timet, ut occulte fiat, quod occulte desiderat*. Nihil ergo, juxta doctrinam Patrum quinti Ecclesiæ sæculi, amare, nihil mirari, nihil expetere debet Christianus, nisi Deum, aut propter Deum. Nihil odio habere, nihil horrere, nihil fugere debet, præter unam turpitudinem, aut propter turpitudinem. Ita fit, ut hac cælesti doctrina imbutus Christianus, quidquid agit, sive dormiat, sive vigilet, sive edat aut bibat, ipsi denique lusus & otia ei cedant in cumulum præmii. Jam vero qua cura & sollicitudine vias ad salutem tutiores & quærere, & sequi debeant Christiani, docet S. Chrysostomus Homilia 44. in Matthæum, his verbis: *Si vestimentum empturus unum gyras negotiatorem & alterum, & ubi meliores vestes inveneris, & pretio viliori, ab illo comparas. An non oportet populum circuire omnes Doctores, & inquirere ubi sincere vestitus Christi venundatur, & ubi corrupte, & veriorem eligere plusquam vestimentum?* Hinc etiam a Doctoribus instar effati, celebratur istud S. Augustini consilium ex ejus verbis concinnatum; *in his, quæ salutis sunt, tene certam, dimitte incertum*. Denique, Patres quinti sæculi justorum animis sanctum timorem, non salutis securitatem ingenerabant, peccatoribus diuturnam & laboriosam pœnitentiam imponebant, nec eos, in quibus nulla mutatæ in melius vitæ vestigia comparebant, præpropera absolutione donabant. Pœnitentiam, quæ differtur usque ad mortem, incertam, suspectam & moribundam appellarunt, eamque dumtaxat sinceram esse pœnitentiam, docuerunt, quæ fit in hac vita, nascitur ex amore Dei, & odio peccati, ut loquitur S. Augustinus. Ignorarunt Sancti illi Patres, arcta via, quæ ducit ad Cælum, gradientes, subtilem & mirabilem illam artem ancipitis significationis verba proferendi & restrictiones mentales faciendi absque mendacio, homines palam in duello, vel clam occidendi absque salutis dispendio, usuras, & simonias palliandi, sine vel minimo divinæ & Ecclesiasticæ legis detrimento. Ignorarunt ista lenimenta sacramenti Pœnitentiæ a nuperis Casuistis reperta circa confessionem, satisfactionem, absolutionem, proximas peccandi occasiones, contritionem, & amorem divinum. Uno verbo, ignorarunt mille distinctiones, quas moderni Probabilistæ latam portam aperientes, quæ ducit ad perditionem, excogitarunt ad excusandas excusationes in peccatis, ad emolliendam legem Dei, ad laxandam Disciplinam Ecclesiæ, ad invehenda horrenda opinionum portenta, a quibus profecto abhorruissent Pagani non omnino flagitiosi, quæque a Summis Pontificibus Alexandro VII. & Innocentio XI. tota plaudente Catholica Ecclesia, fuerunt vaticanis fulminibus protrita. Hæc igitur, quæ in doctrina morum ignorarunt antiqui Ecclesiæ Patres, & nos quoque penitus ignorare debemus, eamque dumtaxat incorruptam de moribus tenere sensum, quem Sancti, Majores, ac Patres nostri uno, eodemque consensu aperte, perseveranter tenuerunt, scripserunt, docuerunt. Sic integritatem Moralis Christianæ sartam tectam conservabimus, nec eam violari patiemur ab illis, qui nolunt, sitientes justitiam de puro latice bibere, sed adducunt ad suas cisternas contritas, luto & sordibus conspurcatas, quæ rudera habent, aquam non habent, ita ut, qui inde biberit, plus hauriat limi sordiumque, quam liquoris.



HISTORIA
ECCLESIASTICA
VI. Ecclesiæ Sæculi,
Variis Colloquiis digesta.



Ene habet. Jam quinque emensi sumus Ecclesiæ sæcula, & mox Historiam sexti sæculi aggredimur, quam solitæ nostræ inhærentes methodo, sex Colloquiis absolvemus. In primo exhibebimus statum Ecclesiæ sub Imperatoribus, & Principibus Christianis. In secundo referemus Controversias, Hæreses & tumultus, qui occasione trium Capitulorum in Ecclesia exorti sunt, eamque diu exagitarunt. In tertio agemus de Conciliis, & de rebus in illis gestis. In quarto texemus seriem Episcoporum, qui præcipuas Ecclesiæ Sedes in sexto Ecclesiæ sæculo tenuerunt. In quinto de Viris illustribus, qui in eodem sæculo floruerunt, & de eorum Operibus sermonem instituemus. In postremo, de Doctrina, Disciplina, & Morali sexti Ecclesiæ sæculi compendiose tractabimus.

COL-

COLLOQUIUM

PRIMUM.

De statu Ecclesiæ in sexto sæculo sub Imperatoribus, & Regibus Christianis.

D. Uitne tandem sexto ineunte sæculo testituta Ecclesiæ tranquillitas, quam Hæretici Pelagiani, Nestoriani & Eutychiani toto durante quinto sæculo perturbarunt?

M. Ecclesia in Oriente, sexto ineunte sæculo, alta pace potita fuisset, nisi Imperator *Anastasius*, *Acephalorum*, seu Hæreticorum *Severianorum*, quorum dux erat *Severus* Monachus, malis artibus instigatus, multos exciviffet tumultus, gravesque persecutiones, quibus Ecclesiam miserum in modum dilaniavit. Magno etenim Religionis Catholicæ damno, ut jam in præcedentibus Colloquiis observavimus, pessimo Imperatori *Zenoni* successit *Anastasius* anno CCCCXCI. qui in exordio Imperii sui nonnulla boni regiminis specimina edidit, abolendo videlicet antiquum tributum *Chrysargyrum*, quod ab omnibus, etiam infimæ sortis hominibus, meretricibus, exoletis & de animalibus etiam vilissimis exigebatur; venationes etiam, sive pugnas cum bestiis publicas prohibendo; Magistratus, qui antehac venales erant, gratis conferendo, & suæ fidei professionem Chirographo suo munitam cum approbatione Concilii Chalcedonensis *Euphemio* Patriarchæ Constantinopolitano exhibendo, ut a se omnem Eutychiani dogmatis suspicionem amoliretur. Verum, in his omnibus vim sibi fecit homo improbus. Optati si quidem Imperii compos factus, ac semel obfirmata dominatione avitæ fidei, & Concilii Chalcedonensis infensissimum hostem, populorumque oppressorem sese prodidit, *Henoticon* Zenonis decessoris sui districte servandum jussit. In eos, qui Concilii Chalcedonensis defensores erant, carceribus, exiliis, omnium dignitatum abdicatione, bonorum spoliatione atrociter sævivit. Legem emisit contra *Synodistas*, seu contra eos, qui Synodum Chalcedonensem tuebantur, & ea de causa *Euphemium* Constantinopolitanæ urbis Episcopum, & deinde *Macedonium* ejusdem urbis Antistitem Sede dejecit, & in exilium misit, eo solo nomine, quod Concilio Chalcedonensi constanter adhærerent. Ducentos Monachos cum *Severo* Acephalorum duce & Theopaschita Eutychiano ex Oriente profectos, ut Synodum Chalcedonensem oppugnarent, Constantinopolim advenientes benigne & honorifice excepit Anastasius Imperator, ejusque gratia & patrocinio fretus impius ille *Severus* Sectæ Acephalorum antesignanus, Flaviano Antiocheno ob fidei constantiam e Sede dejecto, se illius in locum per vim apertam intrusit, & omnes Orientales ad Synodi Chalcedonensis damnationem pertrahere studuit, sibique obsistentes Antistites, quos inter fuit *Elias* Hierosolymorum Episcopus, exauctoravit. Quin eo usque sævitiæ prorupit male feriatus ille Hæreticus Antiochenæ Ecclesiæ invasor, ut, Judæorum & sceleratorum conducta manu, trecentos & quinquaginta Monachos, quorum multi ad Altaria confugerant, non alia de causa, quam odii adversus Catholicam fidem concepti immaniter trucidarit, eorum cadavera avibus dilanianda projecerit, multos in vincula conjecerit, plurimos, dilapidatis eorum facultatibus, ex ædibus & civitatibus expulerit, ut constat ex libello Monachorum & Clericorum Antiochiæ, & Syriæ lecto in Synodo Constantinopolitana sub *Menna* Patriarcha Constantinopolitano.

His malis, quæ in perniciem Catholicorum late & impune grassabantur, cumulum addidit *Anastasius* imperator, quippe qui a Theopaschitis Eutychianis seductus, sacro Trisagio, *Sanctus Deus*, *Sanctus fortis*, *Sanctus immortalis*, istam clausulam adjici voluit: *qui crucifixus es pro nobis*, *miserere nobis*. Hujus clausulæ primus auctor fuit *Petrus Fullo* Episcopus Antiochenus, qui Eutychiana hæresi cum esset infectus, hanc clausulam sacro Trisagio eo fine addiderat, ut Passionem Deo Trino, ad quem superiora Trisagii verba spectabant, adscriberet. Huic malo *Calendio* post mortem utriusque Stephani in Sede Antiochena successor, duobus verbis remedium attulerat, errorique ansam præciderat, huic clausulæ nempe his verbis præmissis: *Christe Rex*, *qui crucifixus es pro nobis &c.* sed *Petrus Fullo* Sedi Antiochenæ postea restitutus, hæc verba: *Christe Rex*, sustulit, sicque pristinam Eutychianam labem redintegravit Antiochiæ anno CCCCLXXXV. Hoc itaque additamentum a Petro Fullone Eutychiano factum, Imperator Anastasius, una cum *Timotheo*, qui post depositum Macedonium Sedem Constantinopolitanam invaserat in, sacrum Trisagium inferre conatus est. Sed reclamantibus Catholicis, qui antiquam fidem violari non patiebantur, nihil consequi potuit, sed potius Constantinopolitani populi, bene in Catholicam fidem affecti, odium sibi conflavit, eumque ad rebellionem provocavit, in qua parum abfuit, quin ipse succumberet, debitasque suæ perfidiæ lueret pœnas.

D. Quorsum tendebat ista populi Constantinopolitani rebellio, & quinam ipsius exitus fuit?

M. Po-

M. Populus Constantinopolitanus ab Anastasio Imperatore propter fidei Catholicæ professionem oppressus in apertam rebellionem prorupit, Ducemque sibi constituit *Vitalianum* Scytham, Magistrum Militum, & egregium fidei Catholicæ defensorem, qui Cyrillum Thraciæ Præfectum interemit, Provincias Thraciæ, Scythiæ & Mysiæ cum arcibus occupavit, ipsamque urbem Constantinopolim obsidione cinxit. His in angustiis constitutus Anastasius, ut sibi consuleret, palam, sed simulate promisit, se Chalcedonensis Concilii, & Epistolæ S. Leonis fidem inviolate servaturum, exules Catholicos Antistites postliminio revocaturum, litterasque ad Hormisdam Romanum Pontificem de redintegranda Orientalium Ecclesiarum cum Romana concordia, scripsit, atque sigillo munivit. Eo specioso resipiscentiæ prætextu, & fucatis promissis, rebellionem sedavit Anastasius, tumultuantem populum sibi conciliavit, & in ordinem redegit *Vitalianum*, quem in defendendo Concilio Chalcedonensi adversus Anastasium Imperatorem magnam gloriam consecutum esse, fatetur Baronius, qui tamen in hoc fallitur, quod putet, eum postea Monachis Scythis patrocinando illam gloriam obscurasse. Nam Monachi Scythæ, ut ostendemus in sequentibus Colloquiis, non solum Eutychianis non adhæserunt, sed etiam ejusdem Heresis strenui oppugnatores extiterunt. Quo fit, ut *Vitalianus* suam gloriam non obscuraverit, dum illos Monachos suo patrocinio fovit.

D. Sedata hac rebellione, & dissipatis Vitaliani copiis, stetitne Anastasius Imperator promissis, quibus sese ad tenendam Catholicam fidem obstrinxerat?

M. Perfidus ille Imperator imitatus est Pharaonem Regem Ægypti, qui, ut sacra commemorat historia, ingruentibus malis divinitus immissis, a vexandis Israelitis tantisper destitit, sed illis cessantibus pœnis, ad pristinam rediit immanitatem. Sic Anastasius Imperator, ut mala sibi ex populi rebellione impendentia declinaret, aureos montes pollicitus est, & initam cum Catholicis amicitiam ac reconciliationem mentitus est. At sublato periculo, & *Vitaliano* in ordinem redacto, simulationis larvam deposuit, in Catholicos furorem suum exacuit, Legatos, quos Hormisdas Papa, redintegrandæ pacis causa, in Orientem miserat, perjuriis & tergiversationibus elusit, nec ullo pacto adduci potuit, ut *Acacii* quondam Episcopi Constantinopolitani nomen e sacris Dyptichis expungeretur. Quapropter Anastasius sub Hormisda Papa multum perturbavit Ecclesiam, quam sub Symmacho Hormisdæ decessore diro Schismate diviserat, sicut observavimus in Colloquio tertio in Historiam quinti Ecclesiæ sæculi, de quo Schismate etiam redibit sermo, dum de Synodo *Palmari*, in qua judicata est causa Symmachi Papæ, agemus in Colloquio tertio in Historiam hujusce sæculi sexti.

D. Fuitne tranquillior in Oriente status Ecclesiæ sub Anastasii Imperatoris successore?

M. Anno DXVIII. Anastasio Imperatore, icto de Cælo fulmine atque e vivis sublato, successit *Justinus* olim suum ac boum custos, qui erga Fidem Catholicam optime affectus, statim Imperii sui initio Edictum promulgavit, quo jussit, ut omnes ab Anastasio decessore suo in exilium pulsi, revocarentur, & Synodus Chalcedonensis sacris Dyptichis insereretur. Hormisdas Papa Legatos ad Imperatorem Justinum misit, ut tandem aliquando Ecclesia Orientalis in communionem cum Romana rediret, nomina Episcoporum Hæreticorum, sed præcipue *Acacii* olim Episcopi Constantinopolitani, *Zenonis*, & *Anastasii* impiorum Imperatorum ex sacris tabulis omnium Ecclesiarum Orientalium eraderentur, ac tandem Chalcedonensis Synodus aliis tribus Œcumenicis Conciliis annumeraretur. Quæ omnia a Legatis Summi Pontificis feliciter, votisque omnium conspirantibus facta, & executioni mandata fuisse, pluribus ostendit Baronius. Hac ratione cessavit dissidium Ecclesiarum Orientalium cum Romana Ecclesia, quod annos triginta sex perduraverat ex quo videlicet *Felix* Papa Tertius justo Anathemate Acacium Patriarcham Constantinopolitanum perculit. *Theodoricus* Italiæ Rex Arianus ægre admodum tulit, quod *Justinus* religiosissimus Imperator Catholicis impense faveret, & Hæreticos Arianos, & Manichæos variis Edictis comprimeret. Quare Gothorum ille Rex coegit *Joannem* Papam, qui Hormisdæ successerat, Constantinopolim proficisci, ut Justinum Imperatorem induceret, ad restituendas Arianis Ecclesias, quas ipsis abstulerat. Sunt quidam Historici, qui asserunt, Justinum Augustum omnem Joannis Papæ concessisse petitionem, & propter sanguinem Romanorum reddidisse Hæreticis Arianis Ecclesias secundum voluntatem Regis Theodorici, ne videlicet Christiani, maxime Sacerdotes ad gladium mitterentur. Alii ex adverso post Baronium affirmant, Joannem Papam tempore suæ Legationis quascumque reperire potuit Ecclesias Arianis ereptas consecrasse Catholicis ab Imperatore Justino vendicatas; idque probant ex Epistola hujus Sancti Pontificis Joannis *ad omnes Italiæ Episcopos* scripta, in qua asserit, se, dum Constantinopoli esset, Arianorum Ecclesias consecrasse, eosque adhortetur, ut in agro Dominico viriliter laborent, idemque in Italia præstent. Verum, ut cordate fatear, ex hac Joannis Papæ Epistola nihil certi super hac re elici potest, quia eam supposititiam, & Joanni Papæ falso attributam esse ostendam in quarto Colloquio in Historiam istius sæculi. Hoc unum dumtaxat certum ac exploratum est Joannem Papam ex illa Legatione regressum, quasi demandatæ legationis prævaricatorem a Theodorico Rege habitum fuisse & in vincula Ravennæ conjectum, ubi inedia, & squallore mortuus est Sanctus ille Pontifex anno DXXVI. (*a*). Paulo post mortem Joannis Papæ, Theodoricus Italiæ Rex interiit, eique in Regno Italiæ successit *Athalaricus* nepos ejus ex *Amalasuntha* filia, quam ex *Audefleda* Clodovæi Francorum Regis sorore susceperat. *Amalaricus* vero Visigothorum Rex, Theodorici ex *Theudetusa* filia nepos, ditiones in Hispania, & in Gallia positas acce-

accepit, moxque inter Athalaricum, & Amalaricum consobrinos Arianam sectantes Hæresim, conventum est, inter Alpes, & Rhodanum Ostrogothi, ultra vero fluvium regnarent Visigothi. *Amalaricus* Visigothorum Rex, Gallorum potentiam reformidans, *Clotildem* sororem Childeberti Francorum Regis, cujus Regia Sedes Parisiis erat, in marrimonium duxit. At cum Clotildes propter suam Fidem Catholicam multas insidias ab Amalarico viro suo pateretur; *Childebertus* Francorum Rex anno DXXI. exercitum movit in Hispaniam, ut sororem suam Clotildem liberaret. Quod statim ac *Amalaricus* Visighotorum Rex accepit, conscensa navi fugit, & cum in quamdam Ecclesiam se recipere vellet, a quodam milite occisus est. Childebertus sororem suam secum adducere cupiebat, sed ea in via mortua est.

„ (a) Quod hic dicitur de Joanne primo Pontifice, affirmare visus est etiam S. Gregorius Turonensis lib. 1. de glor. Martyr. cap. IV. scribens, se ex fidelium relatione didicisse, Joannem Pontificem Arianorum Ecclesias in Catholicas dedicasse, eaque de causa subdole a rege Theodorico ad se venire invitatum, sub amicitiæ specie in carcerem detrusum, ubi multa perpessus decessit. Verum nec Turonensis ibi ex certa scientia id affirmavit, nec dicit eas Arianarum ecclesiarum dedicationes in Oriente potius quam in Occidente factas; cum vicissim in Oriente actum hæc epistolæ hic laudatæ auctor affirmet.

D. Quis in Imperio Orientis successit Justino?

M. Postquam Justinus, qui in Imperio Orientis Anastasio successerat die IX. mensis Julii, anni DXVIII. imperasset annos novem, & dies viginti tres, mortuus est anno DXXVII. & Imperii sui successorem reliquit *Justinianum* e sorore nepotem. Fuit autem Justinianus Princeps domi forisque clarus, doctus, liberalibus disciplinis excultus, & in Theologia exercitatus. Leges omnes in unum corpus colligi jussit, unde effluxere celebrata illa volumina, *Codex* scilicet, *Pandectæ*, & *Institutiones*, quarum usus non solum in Civilibus, sed etiam in Judiciis Ecclesiasticis obtinet. Cum Gothis sæpissime pugnavit Justinianus, & plerumque feliciter per Duces suos *Belisarium*, *Alexandrum*, & *Narsetem*, atque post varios eventus, sublato tandem ultimo Gothorum Rege *Teja*, Italiam a Barbaris vindicavit. Vicit quoque per Belisarium Persas, necnon Vandalos, & Africam Romano restituit Imperio; *S. Sophiæ* Ecclesiam Constantinopoli ædificavit. Epistolam Encyclicam ad quinque Patriarchas scripsit, in qua doctrinam Origenis damnavit. Multa contra Hæreticos promulgavit Edicta, quibus Catholicæ Religioni consultum voluit. Ad *Severi* Sectatores, seu Hæreticos Acephalos Catholicæ Ecclesiæ reconciliandos, Collationem inter ipsos, & Catholicos anno DLII. vel, ut alii volunt, DLIII. Constantinopoli haberi voluit, quam integram Cardinalis Baronius in suis Annalibus inseruit. Hæc & alia hujusmodi in exordio Imperii sui, in rem, & utilitatem Ecclesiæ præstitit *Justinianus* Imperator. At dum *Theodoræ* uxoris suæ, Eutychianæ fœminæ, & aliorum ejusdem Hæresis fautorum perversa consilia auscultare cœpit, perniciem gravem, & Schisma in Ecclesiam invexit, in summos Pontifices *Silverium*, & *Vigilium*, sicut in quarto Colloquio in Historiam hujusce sæculi videbimus, impius & crudelis fuit, ac tandem Eutychianorum, & Severianorum Hæresibus sese irretivit. Telam istam ordiri cœpit *Theodorus* Cæsareæ Cappadocum Metropolita, qui magna apud Justinianum gratia, & auctoritate pollens, ei persuasit, Acephalos ad subscribendum Synodo Calcedonensi, compendio adduci posse, si tria tantum, quibus offendebantur, corrigenda curaret; nempe si damnaretur *Theodorus* Episcopus Mopsuestiæ Nestorii Magister: Dein, si prohiberentur libri Theodoreti contra XII. Capitula, seu Anathematismos Sancti Cyrilli Alexandrini: Demum, si rejiceretur Epistola *Ibæ ad Marim Persam*. His tribus proscriptis Capitulis, *Theodorus* Cæsareæ Metropolita Justiniano pollicitus est Acephalorum unionem. Similiter *Theodora* Augusta, quæ palam Acephalis studebat, id ipsum quod suaserat Theodorus Cæsariensis Metropolitanus Principi marito suo inculcavit, sed eo consilio pessima mulier facinus moliebatur, ut ubi Chalcedonensis Synodi correctio semel fieret, universa ejus collaberetur auctoritas, ejusque doctrina nullius ponderis evaderet. His consiliis delusus Justinianus Imperator, multos in Ecclesia excitavit tumultus, occasione trium istorum Capitulorum, quæ in quinta Synodo generali, ut postea dicemus, ejus jussu damnata gravissimis contentionibus inter Episcopos enatis initium dederunt, de quibus in sequentibus Colloquiis commodius agemus. Testatur *Nicephorus* lib. 17. Hist. Eccl. cap. 29. Imperatorem Justinianum in ultima ætate lapsum esse in Hæresim *Incorruptibilium*, sive *Aphtordocetarum*, qui Domini nostri Jesu Christi Corpus ex ipsa Divinitatis conjunctione incorruptum evasisse asserebant. Ex qua tamen Hæresi, paulo antequam moreretur, resipuisse probat Card. Baronius. Immo in Menæis Græcorum ad diem II. mensis Aug. legitur: *Memoriæ piæ recordationis Imperatoris Justiniani in Æde Apostolorum*. Mortuus est Justinianus Imper. die XIV. mensis Novembris anni DLXV. postquam imperasset annis XXXVIII. mensibus septem, & diebus tredecim. Ei in Imperio successit *Justinus* junior, ejus nepos, qui & *Curopalates* dicitur, quod esset Prætorii Præfectus. Princeps fuit justitiæ studiosus, mansuetus, & publicæ tranquillitatis amator. Per duodecim annos imperavit, & obiit anno DLXXVIII. Sub eo cœpit in Italia Græcorum Exarchatus, Sede Ravenna, duravitque ad usque circiter Carolum Magnum, ut suo clarius loco commonstrabimus. Justino juniori successit *Tiberius Constantinus*, qui Imperium tenuit usque ad annum DLXXXII. quo placide Constantinopoli vita functus est. Deniq; Tiberio Constantino successit *Mauritius* e Cappadocia ortum ducens, qui tum belli, tum pacis artibus instructus strenuum Imperatorem se gessit. Persas vicit per Duces suos, *Philippum*, & *Germanum*. Cum *Chagano* Rege *Avarum*, qui Thraciam,

ciam, Mæsiam, aliasque Orientalis Imperii regiones devastabat, sæpius, variisque eventibus pugnavit. Verum a militibus, quod stipendia non acciperent, tumultuantibus Chalcedone trucidatus est cum tota sua familia anno DCII. Imperii sui anno ineunte vigesimo primo. Hi sunt Imperatores, qui in sexto Ecclesiæ sæculo Imperii Orientalis gubernacula tenuerunt, quorum seriem, ac gesta breviter hic descripsi, ut status Ecclesiæ in sexto sæculo sub illis Orientis Imperatoribus facilius innotescere posset.

D. Cum Occidentis Imperium in quinto sæculo fuerit, ut jam vidimus, omnino extinctum, ac permultæ factæ sint Regnorum mutationes, & exordia, Francorum videlicet, & Burgundionum in Galliis, Visigothorum in Hispania, Ostrogothorum in Italia, Anglorum in Britannica Insula, Vandalorum in Africa, vellem modo ut ostenderes, quisnam in illis regnis sexto sæculo fuerit status Ecclesiæ?

M. Ut votis tuis faciam satis, incipiam a Galliarum Regno, cujus Rex *Clodovæus*, post insignem de Alemannis reportatam victoriam, a S. Antistite *Remigio* apud Remos, sacro fonte ablutus est anno CCCXCVI. & in Catholica Fide, quam semel suscepit, suoque regno intulit, tam constanter permansit, ut unus solus tum temporis in universa terra Princeps Catholicus esset. Nam Imperator *Anastasius*, ut jam observavimus, Eutychiana Hæresi erat fœdatus, *Theodoricus* Rex Ostrogothorum in Italia, Rex etiam Visigothorum *Alaricus*, qui Hispaniæ, & parti Galliæ dominabatur, Rex quoque Burgundionum *Gundabodus*, & Rex Vandolorum *Trasimundus* in Africa, Arianam omnes impietatem sectabantur; reliquarum vero gentium Reges Idolorum cultui erant addicti. *Clodovæus* Francorum Rex propagandæ Catholicæ Religionis, simulque Gallorum dominationis amplificandæ studio incensus, bello appetiit anno DVII. *Alaricum* Visigothorum Regem, qui tum Gallicanis Provinciis, quæ a fluvio Ligeri ad usque Pirenæos montes protenduntur, dominabatur. Illius copiis penitus deletis, eumdem etiam singulari certamine adortus est Clodovæus, eumque manu interemit in Campo Vocladensi, qui decimo ab Urbe Pictaviensi milliari distat. Sic desiit Gothorum Imperium Tolosanum; nam *Amalaricus* Theodorici Regis Italiæ ex filia nepos, relictis Gallicanis Provinciis, quibus dominabatur, transiit in Hispaniam, ut eam sibi retineret, fassus, se Francis, & Clodovæo eorum Regi minime parem. Hujus tam celebris victoriæ a Clodovæo reportatæ fama commotus *Anastasius* Imperator Orientis, ejus amicitiam expetivit, eique per Legationem honorificam gratulatus est, & misso ad eum paludamento, regioque diademate, jura Consulatus, ac Patriciam dignitatem eidem contulit.

Sub idem tempus Catholica Fides alterum in Galliis suscepit incrementum, Burgundionum videlicet ab Ariana perfidia conversione. At enim *Sanctus Avitus* Viennensis Episcopus, qui multum, frustra tamen, adlaboraverat, ut *Gundabodum* Burgundionum Regem Arianum ad Fidem Catholicam adduceret, id quod non potuit in patre, feliciter peregit in filio *Sigismundo*, quem, patre adhuc superstite, Arianam Sectam reliquisse, & Fidem Catholicam amplexum esse, liquet ex variis Epistolis Sancti Aviti, quarum vigesima nona ejus zelum in coercendis Hæreticis, & præservandis ab eorum fraudibus recens ad Fidem Catholicam conversis subditis laudibus extollit. Hic est ille Sigismundus, qui, ut in superiori Colloquio dicebamus, diu pœnitentiam egit ob necem, quam instigante posteriore uxore sua, intulit proprio filio innocenti *Sigerico*, quem ex priori uxore susceperat, & Psalmodiam in celeberrimo olim *Augunensi* Monasterio instituit, cuique *Sanctus Avitus* author fuit, ut Synodum Epaunensem, seu Epaonensem anno DXVII. convocaret ad resarciendam collapsam Ecclesiæ Sanctæ fidem, & disciplinam. Multis, iisque gravissimis calamitatibus Deus Sigismundum hac in vita afflixit, ut crimen, quod in filium suum innocentem perpetraverat, cumulatius expiaret. *Clodomirus* enim Clodovæi Francorum Regis filius Sigismundum acie superatum, cum uxore, & liberis captivum abduxit, & Burgundiæ Regno privavit; dumque illum cum universa prole in custodia detineret, *Gundemarus* frater Sigismundi occupatum a Francis Burgundicum Regnum, qua vi qua insidiis invasit. Quamobrem in furorem actus *Clodomirus* Sigismundum cum uxore, & liberis in altum puteum projici jussit, frustra tam grande scelus dissuadente *Avito* Abbate sanctissimo. Relatus est Sigismundus in Sanctorum numerum, ejusque nomen inscribitur Martyrologiis *Rabani*, *Usuardi*, *Adonis*, & aliorum ad primum diem mensis Maji, quo in Actis Bollandianis vita ejus ex antiquis Codicibus descripta illustratur. Sigismundi ad Fidem Catholicam conversi exemplum secuti sunt liberi *Sigericus*, & filia, Theodorico Regi Francorum Austrasiorum postmodum nupta. Mortuo Lutetiæ Parisiorum Clodovæo Francorum Rege anno DXI. quatuor superstites ejus liberi, teste S. Gregorio Turonensi lib. 3. Hist. Francorum cap. 1. Patris Regnum sibi æqua lance diviserunt. Qui natu major erat *Theodoricus*, etsi ex concubina susceptus Regni sui Sedem apud Metas habuit. Reliqui tres legitimi, quos e Clodovæo *Clotildes* peperit, *Clodomirus* quidem apud Aurelianos, *Clotarius* in Suessionibus, *Childebertus* Parisiis Regni sui Sedem fixerunt. Denique, anno DXXXIV. Burgundiæ Regnum, quod per quinque Galliarum Provincias dilatabatur, & in quo quatuordecim erant Episcopatus, fuit a Francis subactum, extinctum, & Franciæ adjectum, sicque duo ista regna in unum Galliarum regnum coaluerunt, in quo semper Catholica floruit Religio.

D. Catholica Fides in sexto sæculo fecitne alios in barbaris Nationibus progressus?

M. Magnum in sexto sæculo apud barbaras Nationes incrementum suscepit Catholica Religio. In primis, *Alamandarus* Saracenicarum Tribuum Princeps, abjecto Idolorum cultu, Christianam Religionem amplexus, ab Orthodoxis Synodo Chalcedonensi bene affectis, baptizatus est anno DXIII. & Hæreticos Severianos Episcopos a vero fidei sensu eum abducere machinantes mira arte coarguit.

coarguit. Qua de re fuse ad hunc annum loquitur Baronius ex Theodoro Lectore lib. 2. Præterea, refert *Theophanes*, Tzathum, qui a *Cabade* Persarum Rege creatus fuerat *Lazorum* Rex, ad Justinum Imperatorem anno DXXII. Bizantium venisse, & ut fieret Christianus, postulasse; quod ubi accepisset *Cabades* Persarum Rex, vehementer questus est, quod Justinus homines sibi subditos reciperet, & pacem inter utrumque sancitam, frangeret; cui respondit Justinus, nullum regno ejus subditum sibi vindicasse, sed *Lazorum* Regem tantum rogasse, ut Christianus fieret. Sunt autem *Lazi* populi, quos ad Orientale maris Euxini littus antiquitas *Colchos* dixerat, nostra vero ætate *Mengrelios*, suntque Iberis, qui nunc *Georgiani*, & *Circassi* vocantur, finitimi. Insuper, an. DLXXXIX. *Reccaredus* Hispaniarum Rex Suevos, & Gothos, qui per annos CCXIII. Ariano dogmate erant infecti, ad Catholicam Fidem adduxit, Synodumque Toletanam tertiam haberi jussit, cui, ut scribit *Joannes Biclariensis* Abbas, interfuit ipsemet *Reccaredus* Rex, qui ordinem conversionis suæ, & omnium Sacerdotum, Gentisque Gothicæ professionem Fidei scriptam, manu sua Episcopis porrexit, & omnia, quæ ad Fidem Orthodoxam pertinent, exposuit.

Sub finem sexti sæculi, hoc est anno DXCVI. S. Gregorius M. Papa gentis Anglorum conversionem aggressus est, *Augustino* Monasterii S. Andreæ in Urbe a se præfecto cum sociis in Angliam misso, cujus primi Anglorum Apostoli, postea Cantuariensi Episcopi, *Gotselinus*, Bertinianus Monachus undecimo vertente sæculo, vitam diligenter scripsit. *Augustinus* itaque cum sociis e Francia in Angliam anno DXCVI. transfretavit, plerosque Gallos profectionis comites habuisse Augustinum, docet *Beda* l. 1. c. 25. ita, ut in *Cantium* cum sociis ferme quadraginta pervenerit Augustinus. Erat tunc Anglorum Rex in Cantio *Edilbertus*, vel *Ethelbertus*, qui jam multa audierat de Christiana Religione, quippe qui *Adilbergam*, seu *Bertham* Chariberti Francorum Regis filiam in conjugem acceperat: *Antea fama*, inquit Beda, *ad eum Christianæ Religionis pervenerat, utpote qui & uxorem habebat Christianam de gente Francorum Regia, nomine Bertham, quam ea conditione a parentibus acceperat, ut ritum fidei, & religionis suæ cum Episcopo, quem ei adjutorem fidei dederant, nomine Luidhardo*, seu Lethardo, *inviolatam servare licentiam haberet*. Adventantem Augustinum cum sociis *Edilbertus* Anglorum Rex in Cantio, & in Metropoli Doroverna, quæ postea *Cantuaria* dicta est, benigne excepit, & ad eorum prædicationem & miracula non solum ipse Rex conversus ad Fidem Catholicam & baptizatus est, sed etiam decem Anglorum millia in die Natali Christi Domini sacris aquis eluit Augustinus, ut testatur Sanctus Gregorius M. Papa in Epistola ad *Eulogium* Patriarcham Alexandrinum. Animadvertens itaque Augustinus, omnia sibi feliciter in Anglia successisse, rediit in Gallias, ut ab Episcopis Galliarum Episcopus ordinaretur; in Anglia enim necdum erant Episcopi, quorum ministerio posset consecrari. A *Virgilio* autem Arelatensi Episcopo inauguratus Episcopus in Angliam reversus est Augustinus, ibique post adimpleta omnia boni Pastoris munia sancte obiit anno DCVII. sicut multis conjecturis probat doctissimus *Mabillonius* in sæculo primo Benedictino, ubi vitam Sancti Augustini primi Anglorum Apostoli a Gotselino descriptam inseruit.

Præter istas Nationes, quæ in sexto Ecclesiæ sæculo Catholica Fide fuerunt illustratæ, nonnulli sunt, qui asserunt Christianam Fidem eidem sæculo in Æthiopiam fuisse invectam, & *Axumitarum* Regem ad Imperatorem Justinianum misisse Legatos, a quibus ipse, suique Christianam Religionem edocerentur. Sed hoc a veritate Historiæ penitus alienum est. *Axumitæ* siquidem, qui Æthiopiam incolebant, quique ab antiquis vulgo *Indi* appellantur, jam Christiani erant a tempore Constantini Magni Imperatoris, & fide a S. Frumentio Episcopo acceperunt, ut ostendimus in Colloquiis in Historiam quarti Ecclesiæ sæculi (*a*). Hi autem populi Æthiopes dicebantur *Axumitæ* ab Urbe *Axuma*, quæ erat Regia *Habessinorum* Urbs, totiusque Regni Metropolis, quamque pulcherrimis structuris, Basilica, Obeliscis, Epitaphiis, aliisque ædificiis Regis ornatam olim fuisse, argumento sunt aliqua litteris ignotis inscripta monumenta, quæ adhuc visuntur, bellis tamen dejecta vel vetustate exesa. Urbs ipsa *Axuma* diruta, pago similior est, &, teste *Ludolfo* in Historia Æthiopica l. 2. c. 11. ita Turcarum incursione vastata fuit, ut hodie vix centum Colonis habitetur, & ex ruderibus tantum, atque ex campis circumsertilibus, iisque amœnis, conjici possit, eam olim magnam, & Regiam Urbem fuisse.

„ (*a*) Nescio cur vir doctissimus sinceritatem
„ hujus historiæ tentare aggressus sit, cum id
„ asserat perspicuis verbis Joannes Asiæ Episco-
„ pus Coævus auctor, cujus Chronicon delibavit
„ Dionysius Jacobitarum Patriarcha seculi VIII.
„ scriptor in suo Chronico. Ex Dionysio profe-
„ cit Theophanes. Igitur veritatis ejusdem testes
„ habemus Joannem Episcopum Asiæ, Diony-
„ sium, & Theophanem. Nec est cur dicatur
„ Æthiopes fidem Christianam jam inde a tem-
„ pore Constantini Magni suscepisse; fieri enim
„ potuit, ut semel susceptam dein ejuraverint,
„ quemadmodum accidit Homeritis, de quibus
„ idem Joannes hæc scribit: *Paulo post defuncto*
„ *Christiano Rege, quem Rex Æthiopum ibi consti-*
„ *tuerat, resumptis viribus Judæi Homeritæ sibi*
„ *Regem e sua secta Homeritidi præfecerunt*. Sed
„ & hoc vicissim ab Æthiopibus exacto, iterum
„ Christianus Rex alius in ea regione assumptus
„ est. Sub illo Rege Judæo Martyres, de quibus
„ in actis S. Aretæ, passi sunt. Vide de his
„ Assemanum Bibl. Orient. to. I. pag. 262. &c.

Sed quoniam de populis *Adxumitis* jam verba facere cœpimus, non pigebit paucis hic describere rem singulari sane observatione dignam, quæ refertur in Actis *Sanctæ Arethæ* Martyris. Testantur laudata illa Acta, *Dunaanum* Homeritarum

rum Regem, Religione Judæum, tam ut Christianorum genus, quod aversabatur, penitus everteret, quam ut *Eleesbaano* Æthiopum Axumitarum Regi Christiano molestiam crearet; graviter afflixisse cives Urbis *Nagran* seu *Negra*, in Homeritide sitæ, cui præfectus erat *S. Aretha*; cumque impius ille Judæus Rex *Dunaan* hanc Urbem an. DXXI. obsidione cingeret, eamque vi expugnare haud posset, statuisse eam dolo capere, ideoque juramento interposito Civibus promisisse, sese illos non amplius coacturum ut Patriam Religionem ejurarent. Sed verba tantum dedit, nam in Urbem perfidus ille Rex Judæus postea ingressus, Nobiles, Sacerdotes, & Monachos vinculis arctavit, Virgines combussit, & promiscue in omnes Christianos ferro grassatus est. Duos dies duravit persecutio, & secunda die trecenti & quadraginta Christiani, inter quos *Aretha*, morti traditi sunt. Hanc diram persecutionem adversus Christianos in Homeritide a *Dunaano* Rege Judæo factam cum accepisset *Eleesbaan* Æthiopum, seu Axumitarum Rex Christianus, collecto ingenti exercitu, trajectoque angustissimo freto, quod est inter Æthiopes & Homeritas, & pugna terra marique commissa, Judæos, qui terga verterant, jure belli omnes trucidavit. Tum recta perrexit ad Civitatem *Phare*, in qua erat Regia *Dunaani* tyranni Hebræi, & cœpit omnes divitias, quæ erant in Regia, & ipsam etiam Reginam. Postea, relicto in civitate præsidio, aggressus est *Dunaanum* Regem Judæum, eumque, & omnes ejus cognatos occidit. His peractis, *Eleesbaanus* Axumitarum Rex omnia, quæ gesta fuerant, significavit Patriarchæ Alexandriæ, & per illum Justino Imperatori. Porro Patriarcha Alexandrinus ordinatum a se Episcopum misit ad Homeritas, qui, postquam illis Templum, quod fuerat ædificatum, consecrasset, baptizavit omnes, qui erant in Civitatibus, & Pagis Homeritarum in nomine Sanctæ Trinitatis. Ex eis etiam ordinavit Diaconos, & Presbyteros, & Ecclesiis, quæ erant in Homeritidis regione, reddidit statum suum solitum. Postremo, *Eleesbaam* Axumitarum venit *Nagram* Martyrum Civitatem, eique deinde præposuit *S. Arethæ* Martyris filium; indeque rediit in Homeritarum Regiam Urbem *Phare*, ubi *Abraamium* quemdam virum pium & Christianum Regem Homeritarum instituit ac præfecit, iisque omnibus non minus gloriose, quam feliciter gestis, *Eleesbaan* de Christiana Religione optime meritus ad Regiam suam Urbem *Axumam* se contulit, ubi tam insignem relatam victoriam non suis armis, sed Cruci Christi acceptam, referens, relicto regno, Diadema deposuit, & regulam suscepit Monasticam, sicut fusius refertur in Actis *S. Arethæ* Martyris. Sic *Eleesbaanus* Æthiopum, seu Axumitarum Rex divina ope adjutus Catholicam Fidem a *Dunaano* Homeritarum Rege Judæo impetitam egregie vindicavit, eamque in Homeritidis regione, quæ sita est in Arabia felice, sexto Ecclesiæ seculo late propagavit.

D. Præter istam persecutionem, quam a *Dunaano* Homeritarum Rege Judæo passi sunt Christiani, fuitne Ecclesia in sexto sæculo aliis persecutionibus exagitata?

M. Infinitus essem, si omnes clades ac persecutiones, quas in sexto sæculo, a Saracenis, Gothis, Vandalis, Hunnis, Ostrogothis, Visigothis & Longobardis lacerato Occidentis Imperio, tulit Ecclesia, vellem in præsentia recensere. Breviter hic tantum referam clades ac persecutiones, quas in sexto sæculo passa est Catholica fides ab Ariana impietate, quæ tum temporis recrudescens, Hispaniam sub *Leovigildo* Rege, Africam sub *Trasamundo*, Italiam sub *Theodorico*, & *Totila* Regibus Arianis, omnino devastasset, ni Deus Optimus Maximus sævam illam Arianæ impietatis obortam procellam cohibuisset, & in optatam Ecclesiæ tranquillitatem divina sua omnipotentia convertisset.

Regnabat in Hispania *Leovigildus* virtute bellica insignis, sed Arianismi errore imbutus, qui de successione Regni in familia sua cogitans, *Hermenegildum*, & *Recaredum* filios suos Regni consortes dixit. *Hermenegildus* primogenitus filius *Ingundem* Sigiberti Francorum Regis filiam accepit uxorem, quam in Hispaniam magno apparatu deductam *Gosuinda* ejus avia amicissime complexa est, in eam spem erecta, fore, ut illam facile ad Hæresim Arianam pertraheret. *Gosuinda* primum blanditiis, deinde, conviciis, contumeliis & verberibus *Ingundem* aggressa est, ut Catholica Religione deserta, Arianam Hæresim profiteretur. Sed ad nihilum plane reciderunt ejus conatus, & nullo modo *Ingundis* constantia emolliri, aut labefactari potuit. Quin immo, Catholicæ Religionis tenax puella Hermenegildum conjugem suum ad Catholicam fidem traduxit. Quæ Religionis mutatio causa fuit gravis ac diuturni belli patrem Leovigildum inter, & Hermenegildum filium, & occasionem dedit persecutioni, quam Leovigildus movit in Catholicos. Hermenegildus captus & in vincula conjectus, Episcopum Arianum ad se intra carcerem in die Paschatis a patre missum, ut sacram communionem de ipsius manu sumeret, verbis, prout merebatur, castigatum cum intrepide repulisset, jussu patris eo facto exasperati, impacta ab immisso Apparitore in cerebrum securi, martyrii palmam fidei constantia promeritus gloriose occubuit. Occiso filio *Leovigildus* in rabiem actus crudeliter sæviit in Catholicos. In exilium expulit Episcopos, Arianis in eorum locum suffectis, bona Ecclesiarum fisco suo addixit, Clericorum antiquavit privilegia, multos Proceres, afflictis criminibus, de medio sustulit, totque calamitatibus omnes indiscriminatim Christianos oppressit, ut plerique tot malis fracti, aut deterriti, ad Arianam Hæresim defecerint. Testatur tamen S. Gregorius M. Papa lib. 3. Dialog. cap. 31. Leovigildum sub finem vitæ suæ, cum corporis desperata salute Toleti decumberet, *Leandro* sanctissimo Hispalensium Episcopo Recaredum filium suum enixe commendasse, optareque se vehementer significasse, ut ejus præceptis Hermenegildo fratri similis evaderet. His dictis, obiit Leovigildus, qui, ut ibidem ait S. Gregorius, pœni-

pœnitentia commotus, necem filio suo Hermenegildo se intulisse doluit, *sed usque ad obtinendam salutem non pœnituit*, quia Arianam Hæresim palam non abdicavit. Leovigildo in Hispaniæ Regno successit Recaredus filius, qui fratris sui Hermenegildi pietatem imitatus, & Leandri Hispalensium Episcopi saluberrimis consiliis usus, Catholicam fidem in Regno suo late diffudit, & Arianam Hæresim penitus profligavit. Sub hoc religioso Hispaniarum Rege universi Gothi, ut mox dicebamus, ejurato Arianismo in Ecclesiæ Catholicæ castra commigrarunt, susceptæ Religionis status in Synodo Toletana tertia ab ipsomet Rege Recaredo convocata publico totius gentis consensu, & solemni Ecclesiæ judicio firmatus est. Accurate etiam in eadem Synodo provisum est, & fidei propagationi, & sacræ Ecclesiæ Disciplinæ, sicut in tertio Colloquio in Historiam hujus sæculi commodius expendemus.

Sed veniamus modo ad Africam, in qua novæ persecutionis turbo Ecclesiam perculit. *Trasamundus* quippe Vandalorum Rex circa annum DIV. in Catholicæ Religionis exterminium totus incumbens, fatale edictum in Africa promulgavit, quo districte prohibuit, ne defuncto Catholicæ fidei Episcopo, alius sufficeretur Catholicus, hoc pacto existimans, fore, ut Ecclesiæ orthodoxis semel Episcopis orbatæ brevi desolarentur, & Arianorum insultibus paterent. Verum, huic tam injusto edicto non obtemperarunt Catholici Episcopi, sed Pastore suo viduatæ Ecclesiæ Ruspensi *Fulgentium* eductum e Monasterio, in quo hactenus sanctissime vixerat, elegerunt & consecrarunt Episcopum. Quam rem ubi rescivit *Trasamundus* Rex, furore percitus Fulgentium una cum aliis Provinciæ Bizacenæ Episcopis plusquam sexaginta, Sardiniam in exilium relegari jussit. Præter quos eamdem in Insulam alii Africanarum Provinciarum Antistites deportati fuerunt, qui ut scribit *Paulus* Diaconus in Historia Miscell. cap. 15. cum præcedentibus Antistitibus numerum ducentorum viginti quinque Episcoporum compleverunt, & summa licet rerum omnium penuria laborarent, durum tamen illud exilium constanter pertulerunt. Interea, *Trasamundus*, cum accepisset, Fulgentium, inter Episcopos exules doctrina, & pietate conspicuum esse, eum Carthaginem accersivit, ea spe fretus, fore, ut eo superato, & ad Arianam Hæresim pertracto, alii Episcopi ejus exemplum sequerentur. Sed contra spem accidit. Fulgentius quippe in Africam reversus, sibi semper constans, & avitæ fidei tenax, qua scripto, qua disputationibus cum Hæreticis strenue congressus, de illorum erroribus gloriose triumphavit, nutantes orthodoxos confirmavit, & lapsos ad gremium Ecclesiæ revocavit. Quod ægre admodum ferens Trasamundus Rex, Fulgentium, cujus constantiam flectere haud potuit, in Sardiniam remisit, ubi sanctissimus ille juxta ac doctissimus Antistes una cum aliis Episcopis Africanis permansit in exilio ad annum DXXII. vel, ut alii volunt, DXXIII. quo anno mortuus est Trasamundus Rex, eique successit *Hildericus*, Princeps, ut docet Procopius lib. 1. de Bello Vandalico, *subditis affabilis, & totus ad mansuetudinem natus*. Hildericus itaque erga fidem Catholicam optime affectus, Fulgentium, aliosque Africanos Episcopos a Trasamundo in exilium missos actutum revocavit, in Sedes restituit, & omnibus Regni sui Catholicis plenam exercendæ suæ Religionis libertatem indulsit. Verum, Hilderico Vandalorum Rege anno DXXX. e Regno dejecto a *Gelimere*, Justinianus Imperator, qui Hilderici amicissimus erat, ad ultionis cupiditatem exarsit, & adversus Gelimerem bellum movit, misso Belisario duce, qui anno DXXXIII. Carthaginem, & præcipuas Africæ civitates, arcesque expugnavit, & anno sequenti Gelimerem in suam potestatem redegit, totam Africam Imperio Romano subegit, Arianos ab ea expulit, Catholicis Ecclesias, & Orthodoxis Episcopis suas Sedes restituit, ac victor Constantinopolim ingressus est equo phalerato insidens, captivis ante se traductis, ipsoque *Gelimere* identidem ista verba inclamante: *vanitas vanitatum & omnia vanitas*.

Superest tandem, ut pauca dicam de Italia, quæ sexto Ecclesiæ sæculo gemebat sub Ostrogothorum Regibus, quos inter duo præ cæteris insignes extiterunt, *Theodoricus* videlicet, & *Totila*. Prior, seu Theodoricus occiso *Odoacro* Italiæ Rege anno CCCCXCIII. Regnum Ostrogothorum in Italia inchoavit, & quamvis Arianus esset, nullam tamen in Catholicos persecutionem movit, sed potius Schisma subortum in electione Pontificis inter *Symmachum*, & *Laurentium* sua auctoritate extinxit, & Pontificatum Symmacho legitime electo adjudicavit. At jure merito culpatur Theodoricus, primo, quod Joannem Papam Constantinopolim ad Justinum Imperatorem proficisci coegerit, eumque a sua Legatione revertentem male ac crudeliter exceperit, sicut jam observavimus. Secundo, quod post mortem Joannis Papæ jus eligendi Pontificis Romani sibi attribuerit, & *Felicem IV.* Clero, Senatui, Populoque Romano proposuerit. Diu quidem Clerus, Senatus, Populusque Romanus illi restitere, sed ea lege res composita est, ut more pristino Pontifex a Clero eligeretur, Regis tamen assensu confirmaretur, certa pecuniæ summa pro confirmatione imperata non tantum Romano Pontifici, sed etiam omnibus Episcopis, qui sub Gothorum Ditione in Italia degebant, quæ in pauperes erogaretur, sicut innuit *Athalaricus* in Regno Italiæ Theodorici successor in suo Edicto adversus Simoniacos. Ea creandi Pontificis ratio obtinuit, quamdiu Ostrogothorum in Italia perstitit Regnum. Alter Ostrogothorum Rex præcipua militiæ laude celebris fuit *Totila* anno DXLI. creatus Italiæ Rex, qui rem Gothicam propemodum in Italia deploratam mirabili fortitudine & singulari prudentia erexit. Jam quippe *Belisarius*, missus in Italiam anno DXXXV. a Justiniano Imperatore, universam Siciliam subegerat, Romam expugnaverat, Ravennam, & Gothorum Regem *Vitigem* cum ejus conjuge ceperat, itaut de Gothis in Italia omnino actum ac conclamatum esse crederetur; cum ecce subito Totila Gothorum Rex, animadvertens, Belisa-

Belisarium ab Italia fuisse amotum, ut novo bello contra Persas a Justiniano Imperatore indicto præesset, Romanos acie victos in fugam compulit, Romam, Neapolim, Samnium, Campaniam & quascumque urbes & regiones a Belisario antehac captas recuperavit, & Ostrogothorum in Italia Regnum pene collapsum restaurare visus est. Sed cito evanuit ille Totilæ triumphus. *Narses* siquidem fortissimus dux cum ingenti Romanorum exercitu ab Imperatore Justiniano missus, Ravennam adveniens occurrentem sibi cum valido itidem exercitu Totilam collatis signis, insigni ex utraque parte edita strage, superavit, fortiterque dimicantem occidit. Tum Gothi, qui ex prælio evaserant, trajecto *Pado*, urbem Ticinum, circumjectaque loca occuparunt, ac sibi Regem crearunt *Tejam*, qui tamen eodem anno, cum Romanis commisso prælio, post aliqua heroicæ fortitudinis argumenta occubuit, & cum eo extinctum est Ostrogothorum in Italia Regnum, quod ultra annos lx. prorogatum non est. Cœperat enim anno CCCCXCIII. quo Odoacer a Theodorico primo in Italia Ostrogothorum Rege occisus est, & finem habuit in *Teja* ultimo in Italia Ostrogothorum Rege, qui victus a Romanis interiit anno DLII. vel, ut alii volunt, DLIII. Habes nunc statum Ecclesiæ in sexto sæculo sub Principibus Christianis, & Persecutiones, quas id temporis passa est Ecclesia. Consulto autem prætermisi persecutionem, quam *Cabades* Persarum Rex, imperante Justino, excitavit in Christianos, quorum plurimi, linguis, ipsius jussu, præcisis, locuti sunt. Hæc enim persecutio brevis admodum fuit, & Christianis postmodum impense favit ille Persarum Rex, ut videre est apud Nicephorum lib. 16. Hist. Eccles. cap. 36.

COLLOQUIUM II.

De Controversiis, Hæresibus, & de causa trium Capitulorum, quæ in sexto sæculo afflixit Ecclesiam.

D. FUitne tandem in sexto sæculo ab omnibus Orientalis Ecclesiæ Episcopis excepta, & approbata Oecumenica Chalcedonensis Synodus?

M. *Flavianus* Patriarcha Antiochenus, & *Macedonius* Patriarcha Constantinopolitanus ad saniorem doctrinam reducti, Concilii Chalcedonensis defensionem susceperant, jamque spes affulgebat, fore, ut, sublatis omnibus dissidiis, Ecclesiæ Orientalis Episcopi in eamdem sententiam descenderent, & tandem aliquando Chalcedonense Concilium suo calculo approbarent. At *Severus* Ægypti Monachus, Sectæ *Severianorum* Auctor, & Concilii Chalcedonensis acerrimus insectator, hanc spem vanam omnino reddidit, novasque in Oriente turbas adversus Concilii Chalcedonensis defensores concitavit. E Monasterio quippe anno DXI. *Severus* una cum illis, qui ejus opinioni adhærebant, ejectus, mox ad Urbem Regiam perrexit; tam pro se, quam pro illis, qui cum ipso expulsi fuerant, legationem obiturus, sicut refert *Evagrius* lib. 3. cap. 33. Ea in legatione ad notitiam, & familiaritatem Anastasii Imperatoris pervenit *Severus*, illiusque animum contra Concilii Chalcedonensis defensores adeo malis artibus exasperavit, ut Flaviano & Macedonio suis Sedibus Patriarchalibus jussu Imperatoris dejectis, & in exilium missis, ipse in Sedem Antiochenam temere ac violenter sese intruserit, & confestim Epistolam Synodicam, in qua Concilium Chalcedonense anathemate damnabat, miserit ad Orientis Episcopos, quam multi Episcopi recipere, eumque ceu legitimum Episcopum agnoscere cum nollent, non mediocriter ad iram accendit Imperatorem. Ast suam non diu sacrilegam temeritatem *Severus* impune tulit. Mortuo siquidem *Anastasio* Imperatore anno DXVIII. *Justinus*, qui ei successit, primo sui Imperii anno *Severum* comprehendi jussit, & linguæ abscissione plecti. Quo nuncio accepto, *Severus* fugit in Ægyptum, eoque Sede Antiochena, quam invaserat, dejecto, ad Thronum Patriarchicum Antiochenum evectus est *Paulus* egregius Concilii Chalcedonensis defensor. *Timotheus* quoque, quem *Severus* Sedi Constantinopolitanæ injuste præfecerat, jussu Justini Imperatoris, expulsus est, & in ejus locum substitutus Joannes II. qui statim congregata Constantinopoli Synodo XLIII. Episcoporum, *Severum* Hæreticum & Antiochenæ Sedis invasorem condemnavit, eumdem omni honore, nomine, dignitate & operatione privavit, & gesta in hac Synodo Constantinopolitana ad Metropolitam Tyri *Epiphanium*, & ad *Joannem* Patriarcham Hierosolymitanum, atque ad alios de more transmisit. *Epiphanius* acceptas Synodicas *Joannis* Patriarchæ Constantinopolitani Epistolas publice in Ecclesia coram Episcopis Provinciæ recitavit, tumque universus populus in festivas acclamationes erumpens, hæc sæpius ingeminabat: *Ejecit Severum Dei Genitrix, qui turbavit Ecclesias*. Item: *Imperator jussit, ut dixit Synodus. Imperator jussit, & tota Synodus*. Rursus. *Trinitas vicit, recessit Acephalus &c. Depositus est Acephalus*. Post illas sæpius repetitas populi acclamationes, Episcopi anathema pronunciarunt contra omnes Hæreticos, *præcipue contra impium, & Dei impugnatorem Severum Acephalum & Manichæum*.

Venio nunc ad alteram Controversiam eodem tempore etiam ventilatam. *Justinus* Imperator anno DXX. ad Hormisdam Papam scripsit, ab eoque petiit, ut, damnato *Acacio* quondam Episcopo Constantinopolitano, & aliis erroris anathematizatis Auctoribus, cæterorum nomina in Diptychis retinerentur. Hæc quæstio potissimum movebatur propter *Euphemium*, & *Macedonium*, qui summa cum laude Ecclesiam Constantinopolitanam rexerant, & quorum opinio apud populum maxime florebat. *Hormisdas* in priori sententia perstitit, & quamvis in Epistola, quam scripsit ad *Justinum* Imperatorem, ejus pietatem, & in pace Ecclesiæ procuranda studium pluribus commendet, concedere tamen noluit, ut Euphemii, & Macedonii nomina in Diptychis Ecclesiarum Orientalium inscripta remanerent. Verum, cum tot Ecclesiis, vide-

licet Constantinopolitanæ, Ponti, Asiæ, Palæstinæ, ac totius præsertim Diœceseos Orientalis seu Antiocheni Patriarchatus, quæ Euphemii, & Macedonii nomina e Diptychis expungere detestabant, *Justinus* Imperator vim inferre nollet; id consilii cepit Hormisdas Pontifex, ut istud negotium Epiphanii, qui post mortem Joannis II. consecratus fuerat Episcopus Constantinopolitanus, prudentiæ permitteret, cui ideo Vicariam Sedis Apostolicæ Præfecturam delegavit. Hac igitur sibi demandata Vicaria Sedis Apostolicæ Præfectura *Epiphanius* summa cum prudentia usus est, ejusque opera omnibus Orientis Episcopis in Sedis Apostolicæ communionem admissis, pax inter utramque Ecclesiam Orientalem scilicet & Occidentalem anno DXX. omnino confecta est.

D. Nulla ne alia circa Doctrinam in sexto Ecclesiæ sæculo excitata est controversia?

M. Gravissima in sexto Ecclesiæ sæculo circa hanc propositionem: *unus de Trinitate passus est*, mota est controversia. Hanc quippe propositionem, quam *S. Proclus* Episcopus Constantinopolitanus docuerat in sua Epistola ad Armenios citata in Concilio Chalcedonensi, de industria *Petrus Fullo* Hæreticus Eutychianus sacro Trisagio addiderat. Imperator quoque *Zeno* Eutychianorum fautor eam inseruerat in suo Edicto, quod *Henoticon* appellavit, & *Anastasius* ejus in Imperio successor, aliique, qui Chalcedonensem Synodum rejiciebant, eamdem propositionem crebra usurpatione consecraverant. Quo factum est, ut hæc propositio: *unus e Trinitate passus est*, quasi Eutychianorum redolens Hæresim, apud Catholicos male audiret. Contigit autem circa annum DXIX. ut Monachi Scythæ, quos inter eruditione eminebat *Joannes* cognomento *Maxentius*, hanc propositionem: *unus e Trinitate in carne crucifixus est*, omnibus, & credendam, & defendendam passim inculcarent. Sed cum prædicti Monachi a *Victore* Diacono, & a quibusdam aliis Catholicis tanquam Eutychiani per contemptum sese traduci viderent, fidei libellum Legatis Hormisdæ Papæ Constantinopoli exhibuerunt, in quo suam de Christo Domino fidem pluribus exposuerunt. Legati, sæpius illis auditis, quo ejusmodi hominum sese molestia liberarent, tale demum dedere responsum: *quod non est scriptum a Leone Papa, non suscipimus*. Hac repulsa Monachi Scythæ in indignationem acti, Romam ad Hormisdam Legationem mittere decreverunt. Electi *Achilles*, *Joannes*, *Leontius*, & *Mauritius*, qui hac Legatione fungerentur. His Romam appulsis, Hormisdas integram Scytharum causam pendere jussit usque ad reditum Legatorum. At cum Romæ jugem annum, & amplius morati fuissent Scytharum Monachorum Legati, & aliunde *Dioscorum* Hormisdæ Legatum, quem hostem infensissimum semper experti fuerant, propediem Romæ adfuturum intelligerent, ne illius, & Hormisdæ, qui ad eorum sententiam accedere nolebat, auctoritate opprimerentur, diuturniorem Romæ moram se facere haud posse dictitantes, ex urbe egressi sunt. Ea agendi ratione offensus Hormisdas Papa, Epistolam scripsit ad *Possessorem*, in qua Monachos Scythas ut contentiosos, superbos, pertinaces, & ad seditionem proclives coarguit, nec Justiniani nepotis Justini Imperatoris precibus, qui Monachis Scythis impense favebat, flecti unquam potuit, ut sua authoritate probaret hanc a Monachis Scythis assertam propositionem: *unus e Trinitate in carne passus est*; tum quia, inquiebat Summus ille Pontifex, nonnulli sibi persuadere poterant, hanc propositionem: *unus e Trinitate in carne passus est*, aliquam affinitatem habere cum *Petri Fullonis* recens proscripto dogmate: tum quia etiam Synodus Chalcedonensis absque ope illius propositionis Hæreses Eutychetis, & Nestorii confixerat. His permotus rationibus *Hormisdas* Papa approbare noluit hanc Scytharum Monachorum propositionem, quam ad fidem in Concilio Chalcedonensi stabiliendam minime necessariam, sed potius intempestivam, & turbandæ potius Ecclesiæ, quam ædificandæ opportunam esse, judicabat (*a*).

„ (*a*) Unam ex potissimis rationibus, quibus suspiciosum fuisse potuit Hormisdæ aliisque, ne additamentum trisagio permitterent, hanc extitisse suspicor, quod Eutychianis auctoribus in tota Antiochena provincia pervulgatum jam usu obtinuisset. Ex quo factum, ut merito de Eutychianismo suspiciosum haberi potuerit, metuebaturve saltem, ne eo admisso velamentum Eutychianis præberetur, quo hæresim suam impune propagarent. Quæ de recepto in Antiochena provincia eo additamento dixi, asseruntur generatim a multis Orientalibus vetustis Scriptoribus apud Assemanum in sua Bibliotheca Orientali.

D. Monachi Scythæ, qui hanc propositionem: *unus e Trinitate in carne passus est*, tam acriter defenderunt, Eutychiana Hæresi fueruntne infecti?

M. Eminentissimus Annalium parens Card. *Baronius* Eutychianæ Hæreseos notam Monachis Scythis inussit, a qua tamen doctissimus Cardinalis *Norisius* lib. 2. Hist. Pelag. cap. 18. & seq. illos egregie vindicat, demonstratque, Monachos Scythas non solum ea culpa vacasse, sed etiam Eutychianæ Hæreseos strenuos oppugnatores fuisse, quamvis tamen fateatur, obstinatum eorum studium, quo præconceptæ sententiæ ad cæterorum usque contemptum adhæsere, culpa non caruisse. Certe, ut obiter dicam, Monachos Scythas ab Eutychiana Hæresi prorsus alienos fuisse, variis momentis evinci potest. Primo, quia duas in Christo naturas post incarnationem inconfusas professi sunt, ut videre est in libello fidei, quem prædicti Monachi Legatis Hormisdæ Papæ Constantinopoli exhibuerunt. Secundo, *Eutychem*, *Dioscorum*, & eorum Sectatores atque fautores palam damnaverunt, & Synodum Chalcedonensem magna cum veneratione susceperunt, ut liquet ex eorum fidei confessione, quæ extat tomo IV. Biblioth. Patrum Parisiensis. Tertio, Monachi Scythæ suam fidei professionem per *Joannem* Diaconum miserunt ad Episcopos Africanos, qui a *Trasamundo* Vandalorum Rege Aria-

Ariano, in Sardiniam exules fuerunt deportati, quos inter doctrinæ & sanctitatis fama eminebant Episcopi Provinciæ Bizacenæ, quorum *Dacianus* antiquitate, & *Fulgentius* Ruspensis Episcopus scientia primas tenebant. Perlecto igitur illo fidei libello a Joanne Diacono delato, Episcopi Africani non solum fidem Monachorum Scytharum ex integro commendarunt, verum etiam data opera librum scripserunt, cui titulus *de Incarnatione & Gratia*, in quo omnes Scytharum de Christo, & de Gratia sententias approbarunt, multisque solidis argumentis muniverunt. Porro, tot nobiles doctrinæ suæ adstipulatores nancisci non potuissent Monachi Scythæ, si revera in luto Eutychianæ Hæreseos hæsissent, sicut asserit Baronius. Quarto, hanc propositionem: *unus e Trinitate passus est in carne*, pro cujus defensione tot peregrinationum incommoda, totque labores Monachi Scythæ devorare coacti sunt, approbavit, & Catholicam declaravit anno DXXXIV. Joannes II. Summus Pontifex in Epistola ad Justinianum Imperatorem, in qua etiam *Acœmetas* Monachos, qui acerrime Scythis Monachis resistentes in hunc errorem proruperant, quod negarent *unum de Trinitate passum*, *& Beatam Mariam vere*, *& proprie esse Dei Genitricem*, communione privavit laudatus Pontifex, nisi resipiscerent, & ad sanam mentem redirent. Eamdem propositionem; *unus e Trinitate passus est in carne*, pro cujus veritate tanto conatu certarunt Monachi Scythæ, sub anathemate credendam proposuerunt quinta Synodus generalis Canone X. & Concilium Lateranense sub Martino I. Can. II. His itaque momentis manifesto patet, Monachos Scythas Eutychiana Hæresi non fuisse infectos, & hanc propositionem: *unus e Trinitate passus est in carne* in sensu Catholico intellectam defendisse.

Non me fugit, *Trifolium* Presbyterum in Epistola ad *Faustum* Senatorem, quæ extat tomo IV. Conciliorum Editionis Labbeanæ pag. 1590. hanc propositionem a Monachis Scythis assertam *unus e Trinitate passus est*, sinistro prorsus interpretamento excepisse, dum sic ait: *ista doctrina de fonte Arii prodiit*, *& conveniens cum omnibus Hæresibus &c.* Verum, hac in re *Trifolius* excusatione dignus est. Quippe, qui a *Fausto* Senatore de hac propositione per Epistolam interrogatus, nec de fide & doctrina Scytharum Monachorum certior factus, sed de turbis dumtaxat ab ipsis Constantinopoli, & Romæ excitatis, facile sibi persuasit, illos Monachos in sensu hæretico hanc propositionem asseruisse, cum Legatos Hormisdæ Romani Pontificis adversarios haberent, immo & ipsummet Summum Pontificem. Cum igitur *Trifolius* nec professionem fidei, nec libros a Monachis Scythis editos, dum hanc ad *Faustum* scripsit Epistolam, adhuc legisset, mirum non est, si in hac quæstione facti erraverit, & Hæreticum illius propositionis sensum Monachis Scythis affinxerit, a quo tamen illi vehementer abhorrebant. Sed hæc obiter in gratiam Scytharum Monachorum dicta sufficiant. Si autem plura super hac re scire aveas, legesis Cardinalem *Norisium* loco mox laudato, & *Natalem Alexandrum* Dissertatione I. in Historiam Ecclesiasticam sexti sæculi.

D. Hæretici Eutychiani dicti *Acephali*, qui Concilium Chalcedonense rejiciebant, fueruntne in varias Sectas divisi?

M. Quatuor inter Hæreticos Eutychianos dictos *Acephalos* natæ sunt Sectæ, quarum una erat *Corrupticolarum*; altera, *Incorrupticolarum*; tertia, *Agnœtarum*; quarta *Tritheitarum*. Hi, qui *Corrupticolæ* dicebantur, *Severum* Monachum Hæreticum, & Sedis Antiochenæ invasorem, cujus superius memini, sectabantur. Ille quippe Hæreticus interrogatus, an Christi Domini Corpus ante resurrectionem fuisset corruptibile? an corruptionis expers? Respondit corruptibile fuisse, & perinde ac corpus nostrum detrimenta passum fuisse, propter quæ reparanda, esuriret, sitiret, defatigaretur, opusque haberet cibo, potu, & requie, ad reficiendas vires. Quo audito *Severi* responso, quidam Alexandrinorum a *Juliano* Halicarnassensi Episcopo sciscitatus est, quid ea de quæstione ipse sentiret? Tum ille Hæreticus Eutychianus ex adverso dixit, Corpus Christi ante resurrectionem incorruptibile fuisse, & specie tenus dumtaxat, solaque œconomia, famem, sitim, aliasque id genus affectiones, quemadmodum post resurrectionem, passum esse in terris. Ex hoc *Juliano* Halicarnassensi Episcopo pullulavit Secta *Incorrupticolarum*, seu *Phantasiastarum*, vel *Aphtardocetarum*, quos hoc potissimum argumentum movebat: si corruptibilem Christi carnem dixeris, jam hoc ipso duas in Christo naturas fatearis, necesse est, unam incorruptam, alteram corruptionis capacem. Eo argumento usos fuisse Incorrupticolas testatur *Leontius* lib. de Sectis Actione v. At *Severus*, aliique Corrupticolæ e contrario asserebant, posse in Christo naturæ singularitatem adstrui, licet ejus caro corruptioni esset obnoxia. Hæresim Incorrupticolarum refellunt omnia Scripturæ sacræ testimonia, quæ Christum esuriisse, defatigatum, & mortuum probant. Eam itidem refellunt Sancti Patres *Justinus* Martyr Oratione contra Gentes, *S. Athanasius* l. de Incarnatione, *Basilius* Oratione *de Gratiarum actione*, Gregorius Nissenus l. contra Eunomium, S. Joannes Chrysostomus Hom. 86. in Joannem, S. Gregorius Nazianzenus Oratione *in sancta lumina*, S. Ambrosius lib. *de Fide ad Gratianum*, & S. Cyrillus Alexandrinus in Epistola ad *Successum*, quorum testimonia *Leontius* Bizantinus lib. 2. contra *Nestorium*, & *Eutychem* refert. Eamdem Aphtardocetarum, seu Incorrupticolarum Hæresim accurate refellit doctissimus noster *Natalis Alexander* Dissertatione sexta in Panoplia adversus Hæreses sexti Ecclesiæ sæculi.

Dum hæc Alexandriæ de *Corruptibili*, & *Incorruptibili* inter Eutychianos ferveret disceptatio, *Themistius* Diaconus (non vero *Themistius* gentilis ille Philosophus, qui sæculo quarto vixit, sicut Nicephorus lib. 18. Hist. Ecclesiast. cap. 49. oscitanter scripsit) *Timotheum Asterium* (*a*) Episcopum Alexandrinum, & Hæreticum Acephalum interrogavit, an Christus ignoraret aliqua, cum fuerit corruptioni obnoxius? Id Timotheus negavit; a cujus proinde communione deficiens Themistius, Christo ignorantiam adscripsit,

& *Agnoetarum* Sectam conflavit, qui etiam *Themistiani* ab illo dicti sunt. Hi Hæretici asserebant, Christum ignorasse *diem Consummationis* atque *Judicii*, sicut testatur *S. Sophronius* Patriarcha Hierosolymitanus in litteris ad Sergium Patriarcham Constantinopolitanum, quæ lectæ sunt in Actione XI. sexti Concilii generalis. Affirmabant etiam, Christum ignorasse, ubinam esset sepulchrum Lazari, de quo apud Evangelistam Joannem sanctas sorores interrogavit his verbis: *ubi posuistis eum?* Hunc Agnoetarum errorem cum Monachi Palæstini ad Gregorium M. Papam detulissent, munus illum confutandi *Eulogio* Patriarchæ Alexandrino creditum est. Is autem, sicut refert *Photius* Codice 230. probavit primo, nihil prorsus Christo Domino, etiam ut homo erat, latuisse, hocque in dubium revocare, periculosæ temeritatis esse. Secundo, ostendit, eorum, quæ de Christo in sacris litteris dicuntur, quædam illi secundum *veritatem* convenire, puta famem, sitim, &c. quædam per *relationem*, ut ad ipsum proprie non pertineant, sed ad eos, quorum ipse caput est, ut exempli gratia, cum *peccatum*, & *maledictio* nostri causa factus dicitur, hujusque generis esse ignorationem, quam Psalmus 78. exprimit his verbis: *tu scis insipientiam meam*. Tertio, observat, per sciscitationem non continuo indicari nescientiam; cum ipsemet Deus ab Adamo quæsierit, *ubi es?* Denique addit *Eulogius*, quosdam censere, Christum propter nonnullas rationes, negasse se scire diem judicii, maxime ut a curiosis id genus quæstionibus discipulos evocaret, vel eum inscientiam professum fuisse propter naturam quam gerebat, non quod sibi quidquam ignotum, abstrusumve fuerit. Hæc *Eulogius*, cujus librum contra Agnoetas editum utriusque Ecclesiæ traditioni consentaneum esse, S. Gregorius M. Papa declaravit lib. 10. Epist. 35. Hunc Agnoetarum errorem solide quoque refellunt *Christianus Lupus* in Dissertatione de quinta Synodo generali cap. 7. & *Natalis Alexander* in Dissertatione septima contra Agnoetas in Panoplia adversus Hæreses sexti Ecclesiæ sæculi.

(*a*) „ Timotheum Alexandrinum Episcopum „ binominem hic Gravesonius indicat, ut *Timo-* „ *theus Asterius* appellaretur, persuasus a Garno- „ rio in notis suis ad Liberatum cap. XIX., sed „ ejus sententia paucis arridet. Censent enim „ alii Asterium nunquam Patriarchalem sedem „ Alexandrinam obtinuisse, eo quod, inquiunt, „ nec in tabulis Theophanis, nec in Chronico „ Victoris Tunumensis, nec in tabulis Patriar- „ charum Copritarum appareat. Verum Assemanus „ biblioth.Orient. tom. 1. pag. 382. in notis ad „ epistolam Simeonis Episcopi opinatur geminos „ tunc extitisse Alexandrinos Patriarchas, alium „ scilicet Catholicum, qui parti suæ præesset, a- „ lium ab hæreticis assumptum, idque adductis „ aliis exemplis in more tunc Alexandriæ obti- „ nuisse demonstrat. Igitur in ejus sententia duo „ tunc extiterunt Patriarchæ Alexandrini, Ti- „ motheus scilicet hæreticus, & Asterius Catho- „ licus, quem Patriarcham Alexandrinum vocat „ Metraphrastes in vita S. Arethæ & vetus me- „ nologium Græcorum apud Lambecium lib. V. „ pag. 133. Hic vero Asterius dari potuit Epis- „ copus Alexandrinis Catholicis a Justino Impe- „ ratore, quæ est Baronii sententia ad annum „ 521. n. 40.

Postremo, Auctor *Tritheitarum* Sectæ fuit *Joannes* Grammaticus, cognomento *Philoponus*, Eutychianus, qui quasi sutor ultra crepidam procedere, & falcem in messem alienam mittere volens, in graves impegit errores. Hic siquidem *Naturam* ab *Hypostasi*, seu Persona cum non distingueret, sic inscite ratiocinabatur: Natura non distinguitur ab Hypostasi, seu Persona, sed in Christo est unica Hypostasis, seu Persona, ergo in Christo est unica natura, seu divina. Qui error est Eutychianorum. Rursum eodem falso nixus principio sic arguebat: Natura non distinguitur ab Hypostasi, seu Persona, sed in Trinitate sunt tres Hypostases, seu tres Personæ, igitur & tres naturæ. Qui error est Arianorum, & Tritheitarum. Negavit etiam *Philoponus* resurrectionem Corporum, & adversus illam librum conscripsit, quem *Theodosius*, *Conon*, *Eugenius*, & *Themistius* Eutychianæ pariter Sectæ homines acerrime confutarunt, ut videre est apud Photium in Biblioth. Dod. XXI. XXII. & XXIII. Hæ sunt quatuor Sectæ, quæ ex Acephalorum Hæresi, quasi totidem belluæ ex monstro sine capite eruperunt.

D. Circa Hæresim Agnoetarum, qui Christo ignorantiam tribuebant, hoc unum scire velim, an scilicet Agnoetis accensendus esset ille, qui assereret, Christum, ut hominem, aliquid ignorasse eorum, quorum scientiam quovis modo habere potest?

M. Qui assereret, Christum, ut hominem, aliquid ignorasse, Hæreticus Agnoeta non foret, quia illi Hæretici dicti *Agnoetæ* ignorantiam Christo non solum secundum naturam humanam, sed absolute secundum naturam omnem affingebant. At enim illi Hæretici, utpote Eutychiani, unam dumtaxat naturam, seu divinam, in Christo post Incarnationem agnoscentes, nullam in eo admittebant naturam, per quam sciret illa, quæ antiqui Patres dicunt, Christum secundum naturam humanam nescivisse, sed secundum naturam divinam perfectissime cognovisse. Quando igitur Hæretici Agnoetæ dicebant, Christum, ut hominem, ignorare diem judicii, intelligebant, Christum penitus ignorare diem illum, adeo ut secundum nullam naturam ipsum cognoverit. Cæterum, quamvis ille, qui assereret, Christum secundum naturam humanam aliquid ignorasse, Hæreticus Agnoeta non esset, incideret tamen in errorem alienum a doctrina Sanctorum Patrum, qui constanter docent, Christum, etiam secundum naturam humanam, nec extremi judicii diem, nec sepulchrum Lazari, nec aliud ignorasse. Legi potest super hac re *Natalis Alexander* Dissertatione 39. in Responsione ad tertiam objectionem in Panoplia adversus hæreses quarti Ecclesiæ sæculi.

D. Præter illas quatuor, quas mox recensuisti, Ace-

Acephalorum Hæreticorum Sectas, fuerintne in sexto Ecclesiæ sæculo alii Hæretici, qui illi aliquorum Sectam coaluerint?

M. Acæmetæ Monachi fervidius impugnantes Scythas Monachos, de quibus jam sermonem habuimus, lapsi sunt in Hæresim; quæ potissimum in hoc versabatur, quod negarent, *unum de Trinitate incarnatum & carne passum esse*, *atque Beatam Mariam Virginem vere, & proprie Dei Genitricem esse*. Imperator Justinianus anno DXXXIV. adversus Acæmetas Monachos, Romam ad Joannem II. Summum Pontificem misit *Hypatium* Ephesiorum Episcopum, & *Demetrium a Philippis*, ut hanc Hæresim Sedi Apostolicæ denunciarent. Acceptis Imperatoris litteris, auditaque Legatione, Joannes II. ad Justinianum Imp. scripsit Epistolam, in qua Acæmetas Monachos obstinato animo in errore perseverantes ab Ecclesiæ communione præcidit, nisi ab errore quamprimum resilirent. Eodem anno, eademque de causa Joannes II. litteras ad Senatores *Avienum Liberium*, aliosque dedit, quæ extant apud Baronium, in quibus tres sibi ab Imperatore propositas quæstiones affirmat, quæ suborti dissidii occasionem dederant. I. *Utrum unus e Trinitate Christus Deus noster dici possit?* II. *An Deus Christus carne pertulerit, impassibili Deitate?* III. *An proprie & veraciter Mater Domini nostri Jesu Christi Maria semper Virgo debeat appellari*. Quas propositiones tamquam fidei Catholicæ consentaneas se approbasse scribit Summus Pontifex, easdemque subjectis Scripturæ sacræ, & Sanctorum Patrum testimoniis confirmat, ac denique illos Senatores monet, ut Acæmetarum Colloquia vitent, nihilque cum illis sibi existiment esse commune. Hujus Acæmetarum Monachorum Ordinis in Ecclesia Orientali olim celeberrimi fundator in quinto Ecclesiæ sæculo extitit *S. Alexander*, cujus Vitam ab Auctore Acæmera Monacho ejus discipulo scriptam edidit *Bollandus* ad diem xv. Januarii. Appellabantur autem illi Monachi *Acæmetæ*, idest, *Insomnes*, non quod prorsus insomnes, & jugiter conniventes oculis, perpetuis sese vigiliis exercerent, ut quidam de illis perperam scripsere, sed quod divina in eorum Ecclesiis Hymnologia, seu Psalmodia diu noctuque nunquam cessaret, nullaque hora vacaret a divinis laudibus. Quæ perpetua Psalmodia, ut jam observavimus in ultimo Colloquio in Historiam quinti Ecclesiæ sæculi, in Monasterium Agaunensem, & in quædam alia Galliarum Cœnobia fuit etiam introducta.

D. Expone nunc, quæso te, sed breviter, ortum, progressum, & finem famosæ, ac sæpius decantatæ trium Capitulorum Causæ, quæ, uti sæpius audivi, Ecclesiam in sexto sæculo diu multumque exagitavit.

M. Celeberrimæ trium Capitulorum Causæ originem dedit damnatio doctrinæ *Origenis*, quam *Pelagius* Vigilii Papæ Constantinopoli Apocrisarius procuravit, eo pacto sperans, se *Theodori* Cæsareæ Cappadocum Metropolitæ, Origenistarum magni Patroni, potentiam atque existimationem, qua apud Imperatorem plurimum pollebat, depressurum. *Pelagius* itaque a Monachis Palæstinæ acerrimis doctrinæ Origenis insectatoribus rogatus, & continuis sollicitationibus impulsus flagitavit a Justiniano Imperatore, ut *Origenes* damnaretur. Annuit facillime Imperator, & in Origenem circa annum DXLIII. lata est damnationis sententia, quæ, teste *Liberato*, non solum a *Menna* Constantinopolitano Episcopo, verum etiam a *Vigilio* Romano Pontifice, *Zoilo* Alexandrino, *Æphremio* Antiocheno, & *Petro* Hierosolymitano subscripta, Doctrinæ Origenianæ grave vulnus intulit. At, proh dolor! hæc doctrinæ Origenis damnatio ingentium turbarum & calamitatum origo ac seminarium fuit. Ejus enim defensione desperata, Origenistæ ad ultionem animum dolose verterunt. *Theodorus* siquidem mox citatus Cæsareæ Cappadocum Metropolita, insignis Origenista, & fautor Sectæ Acephalorum, qui Concilium Calcedonense rejiciebant, fraudulenter persuasit Justiniano Imperatori, omnes Acephalos Concilio Chalcedonensi haud difficulter subscripturos, si tria tantum in prædicto Concilio facta, quæ ad fidem minime attinebant, corrigerentur. Nempe, si damnaretur *Theodorus* Mopsuestiæ Episcopus, ejusque scripta diris devoverentur. Deinde, si proscriberentur libri Theodoreti Cyri Episcopi contra XII. Capitula Sancti Cyrilli Episcopi Alexandrini in Ephesina generali Synodo consecrata. Denique, si Anathemati subjiceretur Epistola *Ibæ* Edesseni Episcopi ad *Marim* Persam. His tribus damnatis Capitulis, subitam omnium Acephalorum unionem Justiniano Imperatori promisit. Hæc audiens Imperator, qui Acephalorum unionem frustra hactenus tentaverat, pacem hac trium Capitulorum damnatione se toti orbi Christiano donaturum sperans, abjecta omni cunctatione Edictum anno DXLIV. contra tria hæc Capitula promulgavit, cui *Stephanus* Diaconus Constantinopoli Sedis Apostolicæ Apocrisarius, qui Pelagio successerat, subscribere noluit. Ei tamen tres Patriarchæ, licet inviti, subscripserunt, *Mennas* Patriarcha Constantinopolitanus, *Petrus* Hierosolymitanus, & *Æphremius* Antiochenus. *Stephani* Apocrisarii sui denegatam subscriptionem approbavit, ratamque habuit *Vigilius* Papa, nec ullo pacto adduci potuit, ut hoc Edictum contra tria Capitula ab Imperatore promulgatum sua subscriptione firmaret. Vigilii Papæ exemplum secuti sunt omnes Occidentis Episcopi, arbitrati hoc Imperatoris Edictum absque gravi in Synodum Chalcedonensem injuria approbari, aut aliqua subscriptione muniri ullo modo posse. His difficultatibus præpeditus Imperator, consultius esse duxit, ut hæc quæstio discuteretur Constantinopoli in plena Synodo, ad quam, ut facilius Patriarchas pertrahere posset, Acephalorum Sectæ ad Orthodoxam societatem reducendæ studium prætexuit. Ad hanc Synodum *Vigilius* Romanus Pontifex ab Imperatore vocatus, Roma sub finem anni DXLV. discessit, non recta tamen Constantinopolim perrexit, sed in Siciliam profectus est eo consilio, ut ibidem Synodus cogeretur. Constantinopolim tandem pervenit *Vigilius* die xxv. Januarii anni DXLVII. & summo honore a Justiniano exceptus est, ibique præclara Pontificiæ suæ auctoritatis exhibuit argumen-

tæ. Decretum enim contra Acephalos, quibus plus justo favebat *Theodora* Augusta, publicavit, & *Mennam* Patriarcham Constantinopolitanum a communione suspendit, quod pravis suis suggestionibus plurimos Episcopos ad subscribendum Justiniani Imperatoris Edicto compulisset; sed, rogante postea *Theodora* Imperatrice, quinque post menses *Mennæ* communionem *Vigilius* restituit. Obtinuit etiam idem Pontifex a Justiniano Imperatore, ut Constantinopoli anno DXLVIII. haberetur Synodus lxx. Episcoporum, in qua causa trium Capitulorum diligenti, & maturo examine ventilari posset. Huic Synodo præfuit *Vigilius*, sed cum secus ac sibi persuaserat, rem succedere, nec inter Episcopos convenire animadverteret, interrupit Synodum, & statuit per semetipsum proferre sententiam; ac tandem diuturnioris moræ in Urbe Regia impatiens, & Justiniani violentiis fractus, *Judicatum* ad Mennam Patriarcham Constantinopolitanum dedit, in quo, præter omnium expectationem, propugnata huc usque tria Capitula, mutata de repente sententia, damnavit; adjecta tamen hac clausula: *Salva in omnibus reverentia Synodi Chalcedonensis*. Hac apposita clausula autumavit *Vigilius*, se utrique parti fecisse satis, *Græcis*, quod tria Capitula damnasset; *Latinis*, quod salva Synodo Chalcedonensi id se fecisse significasset. Sed vana spe delusus est. Nam ubi primum Vigilii *Judicatum*, quo tria Capitula damnabantur, & nova Justiniani Imperatoris Edicta in Occidente innotuerunt, conqueri simul singuli, ac deplorare cœperunt Synodi Chalcedonensis authoritatem a Vigilio depressam, proditam ab illo fidem, & Ecclesiam pravo dogmate imbutam. Africani, & Illyrici Episcopi *Judicatum* Vigilii improbarunt, quin, *Rusticus*, & *Sebastianus* doctissimi Ecclesiæ Romanæ Diaconi, qui antehac *Judicatum* Vigilii approbaverant, sese postea a communione illius quasi Concilii Chalcedonensis prævaricatoris segregarunt, & *Aurelianum* Arelatensem Episcopum, necnon aliquot Galliarum Episcopos in suas partes pertraxerunt. Uno verbo, fremebat, & tumultuabatur universus Occidens, palamque, & Vigilii Papæ *Judicato*, & Justiniani Imperatoris Edictis, non modo Episcopi, sed integræ plebes refragabantur. Quare cum in dies novæ turbæ ob illam de tribus Capitulis Quæstionem in Ecclesia exorirentur, Œcumenica Synodo ad illas consopiendas opus esse, non tantum *Vigilius*, sed *Justinianus*, quoque intelligebant. *Vigilius* priori inhærens sententiæ in Italia, aut in Sicilia Synodum cogi peroptabat, nec semel id a Justiniano Imperatore se obnixe petiisse, testatur in suo *Constituto* anno DLIII. ad eundem Imperatorem dato. At *Justinianus* in Urbe Regia Synodum celebrari voluit. Consensit tandem *Vigilius*, sed interim *Judicatum*, quod emiserat, ex manibus *Mennæ* Patriarchæ Constantinopolitani recepit, & omnem deinceps de tribus Capitulis quæstionem, usque ad indictam Constantinopoli Synodum sub Anathematis pœna interdixit. Pauci Episcopi ex Occidente cum ad Synodum accederent, & aliunde *Vigilius* sine Occidentalibus Episcopis quidquam decerni nollet, *Justinianus* Imperator tam longam moram ægre ferens, incentore sæpe laudato *Theodoro* Cæsareæ Episcopo, Edictum contra tria Capitula publicavit, illudque palam in Ecclesia Regiæ Urbis, & alibi affigi jussit. Hoc Imperatoris contra tria Capitula Edictum statim ac publicatum, & affixum intellexit *Vigilius*, in Placidianam domum, accitis tum Latinis, tum Græcis Episcopis, excommunicationem comminatus est, si Edicto Imperatoris obtemperarent. Sed *Theodorus* Auctor Edicti, minis Summi Pontificis insuper habitis, Græcorum Antistitum catervam secum trahens, ad Ecclesiam, in qua suspensum erat Edictum, se contulit, ibique Sacro-Sancta Mysteria celebravit. Videns Imperator *Justinianus*, quod *Vigilius* non modo Edictis Imperatoris adversaretur, verum etiam, & eisdem obtemperantes Ecclesiastica communione privaret, ira accensus est, eumque custodiæ tradi jussit. Quocirca *Vigilius* sibi timens, consugit una cum *Datio* Mediolanensi Episcopo in Ecclesiam Sancti Petri in Hormisda, ibique eum commorantem *Belisarius*, *Cethegus*, & *Petrus* Exconsules, ipse *Justinus* Imperatoris Justiniani nepos, cum *Marcellino* Quæstore, adierunt, ut accepto juramento, & data Imperatoris fide, in Placidianas Ædes rediret. Rediit quidem Summus Pontifex, sed sancta posthabita fide, cum in dies sævius se tractari animadverteret, biduo ante Natalem diem Christi Domini fugam meditatus, nocte intempesta ex Placidiano Palatio cæcis vestigiis discedens Chalcedonem se recepit, atque apud S. Euphemiæ Templum latuit, quem *Datius* Mediolanensis Antistes, aliique Latini Episcopi secuti sunt. *Vigilii* fugam ubi compertam habuisset Justinianus, Legatos ad ipsum Chalcedone agentem misit, qui eum rogarent, ut accepta iterum publica fide, Constantinopolim rediret. Sed nihil Legati promoverunt, immo *Vigilius* Encyclicam Epistolam de suis calamitatibus scripsit. Noluit tamen, ne Imperatoris animum exasperaret, latam in *Theodorum* Cæsareæ Cappadocum Metropolitam depositionis sententiam, & communionis suspensionem adversus *Mennam* Patriarcham Constantinopolitanum promulgare, sicut ipsemet testatur in sua Epistola Encyclica (*a*). Hac Vigilii Papæ constantia victus Imperator Justinianus, Edictum, quo tria Capitula damnaverat, sustulit, eoque sublato, *Theodorus*, *Mennas*, & alii ejusdem factionis Episcopi fidei, & pœnitentiæ libellos supplices Vigilio Papæ obtulerunt, ac de injuriis ipsi factis veniam sunt deprecati. His peractis, Constantinopolim reverso Summo Pontifici *Eutychius* Patriarcha Constantinopolitanus, qui in locum Mennæ demortui suffectus fuerat, suæ fidei professionem exhibuit, eumque rogavit Epistola a se, & ab *Apollinari* Alexandrino, *Domno* Antiocheno, & *Elia* Thessalonicensi Patriarchis subscripta, ut trium Capitulorum causam terminandam inchoaret. Consensit quidem *Vigilius*, ea tamen lege, ut in hac dijudicanda ac dirimenda trium Capitulorum Causa, tot essent Episcopi Latini, quot Græci.

„ (*a*) Suspendit equidem Vigilius edicti sui in „ Mennam & Theodorum publicationem per ali„ quod tempus, sperans futurum, ut tandem resipi„ scerent; sed illis in pervicacia perseverantibus, tan„ dem latam antea sententiam palam promulgavit, „ ut

„ ut colligere mihi visus olim sum ex fragmen-
„ to quodam a Baluzio vulgato Miscellan. tom.
„ V. pag. 461. in meis ad Baronium notis ad
„ an. 546. 7. Ita enim ibi legitur: *tunc demum*
„ *per diversorum Basilicas in Civitate regia, & in*
„ *locis celeberrimis, proposita est charta damnatio-*
„ *nis præfati Theodori vel excommunicationis Epi-*
„ *scoporum diversorum huic errori consentientibus*.
„ *Quæ charta tamen ante præteritis mensibus facta*
„ *est, ut dictum est, in Basilica B. Apostoli Pe-*
„ *tri in Ormisda*. Cum vero hic nihil dicatur
„ de Menna, qui tamen in sententia lata Chal-
„ cedone exprimebatur, suspicio inde nasci potest
„ Vigilium se continuisse ab eo explicando, ne
„ Justinianum magis magisque irritaret.

D. Hæc a Vigilio Papa apposita conditio fuitne observata?

M. Non fuit observata. Græci siquidem Episcopi hac intellecta Vigilii Papæ voluntate, tumultuari cœperunt, asserentes, se ex longinquis Provinciis Synodi Oecumenicæ causa venisse, hujus auctoritatem ac nomen deprimi si a paucissimis celebretur; plurimos sapientissimos excludendos, si pari cum Latinis numero coeundum sit. Synodos frequentissimas a solis Græcis fuisse celebratas; in Chalcedonensi sexcentorum & triginta Patrum Conventu, Legatos tantum *Leonis* Papæ ex Latinis interfuisse; Nicænam omnibus venerabilem Synodum ex Græcis tantum conflatam; notam esse Episcoporum Occidentalium in trium Capitulorum defensione obstinationem, cum quibus, si, exæquato numero, Orientales Episcopi disputationem inire deberent, paribus hinc inde suffragiis, re infecta Concilium dimissum iri dictitabant. His Episcoporum Orientalium auditis rationibus, Justinianus Synodum celebrari jussit anno DLIII. At *Vigilius*, videns conditionem, quam ad Concilii celebrationem postulaverat, ab Orientalibus Episcopis & a Justiniano Imperatore fuisse rejectam, noluit, illustri licet legatione invitatus, huic Concilio interesse. Immo, publicavit suum *Constitutum*, in quo primo queritur, quod Synodus contra pactas conditiones fuerit coacta. Secundo, aggreditur disputationem *de tribus Capitulis*, & LX. sententias, quæ Theodori Mopsuesteni esse dicebantur, per *Benignum* Episcopum Heracleæ Macedoniæ ad se ab Imperatore transmissas, damnat. Tertio, Theodori Mopsuesteni nomen ac personam damnari non posse multis argumentis probat. Quarto, decernit, *Theodoretum* Cyri Episcopum, ejusque scripta speciarim proscribi non debere, cum in Synodo Chalcedonensi *Nestorio* Anathema dixerit. Demum, nec Epistolam *Ibæ* Edesseni Episcopi sub ejus nomine damnandam censet, tum quia relecta illa Epistola in Synodo Oecumenica Chalcedonensi Orthodoxus *Ibas* judicatus est; tum quia etiam decretis ejusdem sanctissimæ Synodi *Ibas* subscripsit. Huic *Vigilii* Papæ *Constituto* subscripserunt sexdecim Episcopi, sed eo non obstante Vigilii *Constituto*, quod ne quidem in Synodo lectum est, Episcopi congregati *tria Capitula*, hoc est, *Theodori Mopsuesteni* libros, ejusque personam; *Theodoreti* Cyri Episcopi scripta contra S. Cyrillum Alexandrinum, & Epistolam *Ibæ* Episcopi Edesseni ad *Marim* Persam damnarunt. *Baronius*, aliique *Anastasium* Bibliothecarium secuti memoriæ prodiderunt, hanc sententiam in tria Capitula prolatam in quinta Synodo generali non statim approbasse *Vigilium*, & ob id in exilium pulsum; sed tandem ad subscriptionem inflexum *tria Capitula* damnasse, quintam generalem Synodum sua auctoritate approbasse, & omnia, quæ ad trium Capitulorum defensionem a se, vel ab aliis antehac dicta aut gesta fuerant, nulla & irrita declarasse, ut videre est in Epistola Summi illius Pontificis ad *Eutychium* Patriarcham Constantinopolitanum. Sed de hac quintæ Synodi generalis approbatione, facta a Vigilio Papa, opportunius in sequenti Colloquio differemus.

D. Hac quintæ Synodi generalis definitione fuitne tandem finita trium Capitulorum causa?

M. Non omnino finita fuit, sed Venetiarum, & Istriæ Episcopi Schisma fecerunt, & incentore *Paulino* Aquilejensi Metropolita, Synodum anno DLVII. celebrarunt, in qua tria Capitula, citra Concilii Chalcedonensis injuriam damnari posse negarunt. Pro hujus Schismatis extinctione strenue adlaborarunt Summi Pontifices Pelagius II. & Gregorius Magnus. Duravit tamen usque ad *Sergium I.* qui an. DCLXXXVII. Summum Pontificatum adeptus est (*a*). Verum, quamvis absoluta quinta Synodo generali pax confestim non fuerit reddita Ecclesiis, inde tamen elevari, & deprimi non debet illius authoritas. Quis enim nescit, post Nicænam Oecumenicam Synodum ingentes tumultus ab Eusebianis, & Meletianis fuisse excitatos, & itidem post generale Chalcedonense Concilium, multas ab Hæreticis *Acephalis* turbas ac tragœdias motas esse? quid igitur mirum, si post quintam generalem Synodum pax Ecclesiæ, maxime Occidentali, quæ tria Capitula damnare nolebat, statim reddita non sit? Huic itaque quintæ generali Synodo, quæ tria Capitula jure optimo proscripsit, prava dogmata confodit, & viam, quæ tenenda est, docuit, adscribi minime debet malitia, seu obstinatio quorumdam, qui postea rebelles lumini fuerunt, & in præconceptis suis opinionibus, seu in defensione trium Capitulorum, pervicaces Schisma conflarunt, quo ab Ecclesia divulsi sunt.

„ (*a*) Schisma Aquilejense plus aliquid lucis
„ accepit, ex quo P. Jo. Franciscus Bernardus de
„ Rubeis monumenta Ecclesiæ Aquilejensis evul-
„ gavit, atque illustravit. Notat igitur ille sub
„ Macedonio Aquilejensi Episcopo an. 553. vel
„ circiter Synodum in Urbe Metropoli habitam
„ esse, in qua rejectum est Concilium Græcorum
„ tria Capitula damnans, & schisma inceptum;
„ eoque Episcopo an. 557. defuncto successit Pau-
„ linus, qui schisma illud plurimum fovit, ac
„ promovit; coacto ea de re Concilio altero an.
„ 557. a priori illo sub Macedonio diverso, sed
„ eundem scopum habente. Sub eodem Paulino
„ Sedes Aquilejensis in Insulam Gradum transla-
„ ta est, eademque Gradensis Sedes nomen Aqui-
„ lejensis obtinuit, diuque retinuit. Ita res sese per
„ plures annos habuerunt. Accidit demum, ut in
„ Insula Grado eligeretur Catholicus Antistes, at-
„ que tunc Schismatici ad pristinam Aquilejæ Sedem
„ redierint, relicto Catholicis Grado. Ita una Sedes

Aqui-

„ Aquilejensis in duas dissecta est, amboque i„ dem nomen Aquilejensis retinuerunt, quam„ quam apud nonnullos ita distinguuntur, Aqui„ leja nova, quo nomine veniebat Gradus, & „ vetus Aquileja, nempe Aquileja proprie dicta. „ Hæc Sedis discissio an. 606. apud eundem scri„ ptorem assignatur. Ex tunc utraque Sedes suos „ habuit Antistites, utrosque Aquilejenses apud „ veteres vocatos; sed Aquilejensis veteris, qui„ bus adhærebant Provinciales Episcopi fere o„ mnes, in schismate perseverarunt. Gradenses „ vero varias vices passi sunt; modo assumptis „ Episcopis Catholicis, modo Schismaticis. In„ valuit tamen sanior pars, & Gradensis Diœce„ sis in communione Romanæ Ecclesiæ perstitit. „ Sergio tandem Pontifice adnitente, ac Petro „ Cathedram Aquilejensem veterem tenente an„ no 698., ut in Sigeberto legimus, habita est „ Synodus Aquilejæ veteris, in qua Synodus Con„ stantinopolitana admissa est & schisma subla„ tum, ita tamen ut discissio Sedis in geminas „ permaneret. Quin & utrique Episcopo, nem„ pe Aquilejensi, & Gradensi Pallium daretur, „ & Provincia unica scinderetur in duas, qua de „ re Gregorii II. Papæ ad Setenum Gradensem „ Episcopum literæ extant.

D. Quam rationem potissimum prætexebant hi, qui, post quintam Synodum Generalem, tria contra Capitula defendebant?

M. His, qui post quintam Synodum Generalem pertinaciter illa Capitula defendebant, tria præcipue suppetebant argumenta. Primum petebatur ex anteriori Ecclesiæ more, neminem in Orthodoxæ pacis communione defunctum damnandi post mortem. Alterum, erat auctoritas *Theodori* Mopsuestiæ Episcopi, celeberrimi olim Diœceseos Orientalis Magistri, qui a pluribus credi haud poterat prava sensisse, etsi multas effutiisset locutiones, quæ Nestorii Hæresim sapere videbantur. Tertium, ac principale fundamentum erat authoritas Concilii Chalcedonensis, in quo Theodoreti Cyri Episcopi fides laudata fuerat, & *Ibæ* Edesseni Episcopi Epistola ad *Marim* Persam perlecta, & approbata erat. Hanc igitur Concilii Chalcedonensis authoritatem per proscriptionem trium Capitulorum labefactari, ac penitus everti, autumabant. His fundamentis nitebantur quotquot post quintam Synodum generalem trium Capitulorum defensionem suscipiebant. Sed frivola, nulliusque momenti erant adducta illa fundamenta. Ad primum siquidem respondebant Catholici, Ecclesiam jus habere, eos etiam post mortem anathemate confodiendi, qui, dum viverent, meruerant ab ejus sinu segregari propter Hæresim, Schisma, aut atrocissima crimina, in quibus certum erat, illos ad mortem usque perseverasse. Porro, *Theodorus* Mopsuestenus Episcopus, quem post mortem anathematizavit quinta Synodus generalis, errores in *Paulo Samosateno* jam proscriptos docuit, ac palam, dum viveret, editis libris, tuitus est, Capitalia fidei dogmata omnium Sanctorum Patrum, fidelium consensione ante ipsum probata impugnavit, videlicet Christi Divinitatem, & Deiparæ nomen ac dignitatem in Beata Virgine Maria. Merito igitur *Theodorus Mopsuestenus* fuit etiam post mortem in quinta Synodo generali anathemate perculsus. Alterum fundamentum petitum ex authoritate *Theodori Mopsuesteni*, quem etiam multi Sancti Patres ante quintam Synodum generalem laudibus celebrarunt, elumbe omnino erat, quia Sancti Patres laudarunt Theodorum Mopsuestenum, antequam ejus errores fuissent propalati. At semel detectis & in lucem productis ejus erroribus circa Incarnationem Filii Dei, circa peccatum originale, & alia præcipua Catholicæ Fidei capita, tunc Theodorus Mopsuestenus apud omnes Catholicos male audire cœpit, non secus ac *Origenes*, qui, ob egregiam Ecclesiæ in confutandis Hæresibus navatam operam, a multis Patribus & Scriptoribus Ecclesiasticis, encomiis fuit celebratus; sed patefactis ejus erroribus, damnatus & anathematizatus est etiam post mortem in quinta Synodo generali. Denique, authoritati Synodi Chalcedonensis, cui præcipue adhærebant trium Capitulorum defensores, nullum omnino intulit præjudicium damnatio trium Capitulorum in quinta Synodo generali facta; tum quia *Theodoretus* Cyri Episcopus non fuit in Concilio Chalcedonensi susceptus, nisi postquam *Nestorio* palam anathema dixisset, quo a se dicto anathemate, sua subinde scripta contra Sanctum Cyrillum Alexandrinum damnavit *Theodoretus*; tum quia etiam judicia de scriptis *Theodoreti* & de Epistola *Ibæ* in Concilio Chalcedonensi lata, non fuerunt approbata a *Sancto Leone* Papa. Conscripta siquidem definitione fidei in Synodo Chalcedonensi, *Actione sexta*, & conditis Canonibus eidem Actioni subnexis, de singularibus postea & privatis Episcoporum causis actum est, quarum judicium non fuit confirmatum a *Sancto Leone*, qui auctoritatem Synodi Chalcedonensis in sola fidei definitione constrinxit. Mirum igitur nemini videri debet, quod hæc de privatis Episcoporum Causis in Concilio Chalcedonensi lata judicia, & a *Sancto Leone* Papa non confirmata, denuo in quinta Synodo generali examinata, & ad Crisim revocata fuerint, atque post maturam & accuratam discussionem damnata sint hæc tria Capitula, seu persona & scripta *Theodori Mopsuesteni*, libri *Theodoreti* Cyri Episcopi contra Sanctum Cyrillum Alexandrinum, & Epistola *Ibæ* Episcopi Edesseni ad Marim Persam. Qua de re, si plura scire desideres, legesis Dissertationem quartam nostri *Natalis Alexandri* in Historiam Ecclesiasticam sexti sæculi.

D. Quam censuram inureres his, qui modo tria Capitula damnare nollent, & pro illorum defensione Apologias adornarent?

M. Eos appellarem temerarios, superbos & inobedientes. *Temerarios* quidem, quia solemni Ecclesiæ judicio in Concilio Oecumenico lato, a Romanis Pontificibus confirmato, & omnium deinde Ecclesiarum consensu recepto refragarentur. *Superbos* dicerem, quia in hujusmodi Factorum Doctrinalium cognitione sese perspicaciores universa Ecclesia judicarent, suaque privata judicia, ut plurimum errori obnoxia, totius Ecclesiæ judicio ma-

maturra cum deliberatione facto anteponerent. Demum, eos ceu *inobedientes* damnarem, quippe qui in Doctrinalibus Factis, cujusmodi sunt tria Capitula, judicio Ecclesiæ Catholicæ, quæ omnium Mater ac Magistra est, quæque in censura, seu in damnatione librorum Spiritus Sancti lumine ad eorum pravum sensum, erroresque cognoscendos illustratur & regitur, pervicaciter morem gerere detrectarent. Quo circa, jure optimo castigari deberet audacia quorumdam, qui pro *Origene*, pro *Theodoreto*, pro Abbate *Joachimo*, pro *Cassiano* & *Fausto*, & pro *Jansenio* Apologias temere in vulgus sparserunt, & libros ab illis editos ab erroribus, quos Ecclesia in his damnavit, vindicare voluerunt. Sane, ut obiter dicam, si a judicio Factorum Doctrinalium ab universali Ecclesia lato semel impune resilire liceat, poterit quilibet pro omnibus Hæreticis ab Ecclesia confixis Apologias pro suo nutu & arbitrio concinnare. Periclitabitur infallibilis traditionis authoritas, quæ pendet e sensu librorum Sanctorum Patrum ab Ecclesia Catholica præfixo. Non poterit Ecclesia comprimere tumultus & contentiones, quæ sæpius suboriuntur occasione sensus librorum, nec sanam doctrinam a falsa & noxia, quæ in libris Authorum continetur, certo valebit discernere. Quæ omnia quam oppido falsa sint, & Ecclesiæ auctoritati contraria, nemo est qui statim non videat. Ecclesiæ itaque judicio in his Doctrinalibus Factis, tamquam sacræ anchoræ indivulse adhærere debemus, nec unquam procaces illos imitari filios, qui reverentiam atque observantiam matri debitam exhibere renuentes, incertas cogitationes suas, ut inquit Scriptura sacra, judicio universalis Ecclesiæ elato supercilio anteponunt (*a*).

„ (*a*) Modo quidem temeritatis censuram „ non effugeret, qui damnationi trium Capitu„ lorum refragaretur; non ita vero tunc cum „ Schisma ea de causa ferveret. Qui enim vero „ tunc tria Capitula admittere recusabant, non „ eodem modo omnes se continebant; alii etenim „ ita ab eo assensu se abstinebant, metu ne quid „ detraherent authoritati Concilii Chalcedonen„ sis; simul vero communicare non recusabant „ cum illis, qui damnationi eorumdem Capi„ tulorum adhæserant, probe scientes, admitti ab „ illis & damnationem Capitulorum & Chalce„ donensis auctoritatem. Alii vero ita refraga„ bantur quintæ Synodo, ut alienos a fide judi„ carent eos, qui eamdem quintam Synodum „ propugnabant, ideoque velut alienos illos a fi„ de Catholica a communione sua rejiciebant. „ Postremi hujus generis reputabantur Aquilejen„ ses, quos proinde Romani Pontifices a commu„ nione segregaverant. Cum vicissim alios mo„ deratiora sectantes ferebant, nec communione „ Romanæ Ecclesiæ indignos reputabant. Ita S. „ Gregorius Amalasuntam Reginam, quæ sane „ inter rejicientes Capitula censebatur, appella„ bat filiam, & sæpe literis suis amore plenis „ fovebat. Discrimen hoc, & ea, quæ huc us„ que adnotavi, debeo Cl. Patri de Rubeis, qui „ hæc monet cap. 22. Aliud est tria non con„ demnare Capitula, aut Synodum quintam cum „ condemnatione Capitulorum non suscipere. „ Aliud certe consensu damnationi denegato se„ cedere ab illis qui Capitula proscribebant, ac „ Synodum venerabantur, summæ temeritatis erat „ tria Capitula post Oecumenicæ judicium Syno„ di, post solemnem Romani Pontificis confirma„ tionem condemnare nolle; Schismaticum vero „ iis communionem negare, qui damnaverant ea, „ summosque Pontifices ac Synodum arguere, ac „ si ea damnantes errassent. Hoc ab Ecclesia, a „ Pontificibus, ac Catholicis improbatum execra„ tumque; illud aliquando permissum, donec pru„ deotis œconomiæ tempore elapso, nemo Ca„ tholica reputari communione dignus debuit, „ qui Synodum suscipere ac tria proscribere Ca„ pitula recusaret. Quod tandem judicium suum „ vir doctus concludit verbis S. Gregorii regest. „ lib. IV. epist. XXXIX. *nam in ea Synodo V. „ & de personis tantummodo, non autem de fide „ aliquid gestum est.*

COLLOQUIUM III.

De Conciliis in sexto Ecclesiæ sæculo celebratis, & de rebus quæ in his gestæ sunt.

D. PRiusquam de Conciliis Nationalibus & Provincialibus, in quibus sexto sæculo subortis contentionibus finis impositus est, vel sancita & instaurata fuit Ecclesiæ Disciplina, sermonem instituamus; quasdam quæstiones circa quintam Synodum generalem, quæ sicut in superiori Colloquio dicebas, tria Capitula damnavit, breviter cum tua bona venia proponam, quarum dilucidatio haud parum juvabit ad pleniorem hujusce quintæ Synodi generalis notitiam assequendam. In primis igitur a te quæro, quis convocaverit quintam Synodum generalem, quisve ei præfuerit?

M. Quintam Synodum generalem, quæ est secunda Constantinopolitana Oecumenica, convocavit *Justinianus* Imperator, consentiente tamen *Vigilio* Romano Pontifice. Adfuere tres Patriarchæ, & CLXV. Episcopi, eique præfuit *Eutychius* Patriarcha Constantinopolitanus, præesse tamen jure suo poterat *Vigilius* Summus Pontifex, si jure suo uti voluisset, quo tamen usus non est, quia Synodo interesse noluit. Octo Collationibus absoluta est hæc Synodus: In prima Collatione lecta est Justiniani ad Synodum sacra jussio, qua Imperator significabat, se istam Synodum generalem convocasse, ut, eliminatis Hæresibus, optatam Ecclesiæ quietem post tot ab Acephalis excitatos tumultus, dare posset. Sed ab hac Synodo cum Papa *Vigilius* abesset, sine cujus præsentia vel per se, vel per suos Legatos Concilium Oecumenicum esse non posse probe intelligerent Episcopi Orientales, nobilissima ad eumdem destinata trium Patriarcharum, aliorumque Antistitum Legatione, Vigilium etiam atque etiam rogarunt, ut Synodum præsentia sua dignaretur, & secum de tribus Capitulis disputare haud gravaretur. His Legatis reposuit *Vigilius*, se

se propter corporis infirmitatem non posse ad hanc petitionem respondere. In postero autem die pollicitus est manifestare, quid ei de tali conventu placuerit. In secunda Collatione, Legati Præsules suæ Legationis rationem Synodo reddentes, retulerunt, *Vigilium* dixisse se non posse venire ad Concilium, quod Occidentales Episcopi sibi adhærentes in minori numero essent quam Orientales, eumque subinde inducias postulasse, ut sententiam suam circa trium Capitulorum quæstionem ad Imperatorem mittere posset. In tertia Collatione Episcopi Fidem Catholicam ab Apostolis & Sanctis quatuor Oecumenicis Synodis expositam professi sunt, & Hæreticos ab iisdem Synodis damnatos confixerunt. In quarta Collatione Patres causam trium Capitulorum discutere cœperunt, lectæ sunt plures sententiæ excerptæ ex libris Theodori Mopsuesteni, ac recensitum impium ejus Symbolum, quo audito, exclamavit universa Synodus: *Hoc Symbolum Satanas composuit.* In quinta Collatione recitata sunt ea quæ a SS. Patribus contra Theodorum Mopsuestenum scripta fuerant, & insuper disceptatum est, num liceret defunctos anathemate confodere? probatumque multis exemplis id licitum esse, & quandoque necessarium. Lecti sunt in eadem Collatione libri, quos *Theodoretus* Cyri Episcopus scripsit contra XII. S. Cyrilli Alexandrini Anathematismos, quibus damnatis, laudatum est sanctum Concilium Chalcedonense, quod non prius Theodoretum ad communionem suscepisset, quam is Nestorio anathema palam dixisset. In sexta Collatione lecta est Epistola *Ibæ* Edesseni Episcopi ad *Marim* Persam, & e vestigio in hanc vocem eruperunt Episcopi: *Epistola hæretica est.* In septima Collatione, *Constantinus* Sacri Palatii Quæstor cum instrumentis probantibus *Vigilium* Papam tria Capitula semper damnasse ad Synodum ab Imperatore missus est. Unde in hac Collatione recitatum est Anathema, quod tulit *Vigilius* contra Romanos Diaconos *Rusticum*, & *Sebastianum*, qui illius *Judicatum* impugnaverant, & trium Capitulorum erant acerrimi defensores. Lectæ sunt etiam Epistolæ ejusdem Vigilii Papæ ad *Valentinianum* Episcopum Tomitanum, & ad *Aurelianum* Episcopum Arelatensem, ex quibus certo liquebat, Vigilium sæpius tria Capitula damnasse. Denique, in octava Collatione definitivam adversus tria Capitula sententiam protulit Synodus, eique quatuordecim subjecit anathematismos, quorum duodecimus non solum impia Theodori Mopsuesteni scripta, sed etiam ejus nomen ac personam, defensoresque configit. Decimus vero tertius & decimus quartus Theodoreti quidem libros adversus S. Cyrillum Alexandrinum scriptos, & *Ibæ* Epistolam, eorumque defensores proscribunt, *Theodoretum* tamen, & *Ibam* Orthodoxos Antistites in pace Ecclesiæ defunctos, nulla censura perstringunt.

D. Una e præcipuis Synodi Oecumenicæ conditionibus, sicut me olim docuisti, est ut Summus Pontifex ei vel per se, vel per suos Legatos præsit, cum igitur huic quintæ Synodo *Vigilius* Romanus Pontifex nec per se, nec per suos Legatos præfuerit, non video qua ratione hæc Synodus dici possit Oecumenica?

M. Hæc quinta Synodus inter Oecumenicas merito numeratur, quia licet Vigilius Romanus Pontifex ei non præfuerit, ab illo tamen, & ejus successoribus approbata, atque universalis Ecclesiæ consensu fuit postmodum recepta. At enim *Vigilius* in Epistola ad Eutychium Patriarcham Constantinopolitanum quintam Synodum auctoritate sua comprobavit, & *Constitutum*, & alia, quæ pro trium Capitulorum defensione antehac scripserat, vel gesserat, omnino rescidit. Dein, *Pelagius* primus *Vigilii* successor quintam Synodum, antequam eligeretur Pontifex, approbavit, teste Victore Turonensi in Chronico. Insuper, *Pelagius* secundus Pontifex Maximus Synodum quintam itidem confirmavit, ut constat ex ejus Epistola ad *Eliam Aquilejensem*, *& Istriæ Episcopos*, qui tum temporis ab Ecclesia Romana, ob trium Capitulorum defensionem, erant divulsi. Postremo, *S. Gregorius* Magnus eamdem quintam Synodum approbavit, ut aperte colligitur ex ipsius Epistola ad *Joannem* Episcopum Constantinopolitanum, cui adhærentes aliæ Synodi Oecumenicæ, quæ post ipsius Pontificatum in Ecclesia fuere celebratæ, hanc quintam Synodum pro Oecumenica, seu generali agnoverunt, & approbarunt. Jure itaque optimo quinta Synodus generalis a Vigilio Papa, & ejus successoribus, atque totius Ecclesiæ consensu recepta & confirmata accenseri debet Synodis Oecumenicis, quamvis *Vigilius* Romanus Pontifex ei nec per se, nec per suos Legatos præesse voluerit.

D. In hac quinta Synodo generali fueruntne dumtaxat damnata tria famosa Capitula?

M. Præter tria Capitula in quinta Synodo generali damnata, proscriptus est etiam error *Origenis*, ut videre est in Canone XI. illius Synodi, ubi inter alios Hæreticos, anathemate nominatim percellitur *Origenes*. Idque etiam aperte colligitur ex *libro Diurno* Romanorum Pontificum in secunda fidei professione, quæ hæc habet: *in hoc*, idest, in quinto Concilio generali apud Constantinopolim celebrato, *Origenes cum impiis discipulis & sequacibus Didymo & Evagrio, & qui Creatorem omnium Deum, & omnem rationalem ejus creaturam Gentilibus fabulis prosecuti sunt, æternæ sunt condemnationi submissi.* Justa igitur de causa Illustrissimus *Huetius* Abrincensis Præsul lib. 2. Origenianorum cap. 4. sect. 3. n. 14. & Cardinalis *Norisius* in sua de quinta Synodo Dissertatione solide refellunt *Halloixium*, qui in Apologia *Origenis*, quæstione X. negat, Origenem ab Ecclesia fuisse damnatum, quod certe nemo ante illum dicere ausus fuerat, ac nemini ipse potuit persuadere. Legi etiam potest Dissertatio XVI. *Natalis Alexandri* in Historiam tertii sæculi, in qua Clarissimus ille auctor egregie confutat *Halloixium*, qui perperam negat, *Origenem* in quinta Synodo generali fuisse damnatum.

Cæterum, an *Origenes* damnatus fuerit in principio quintæ Synodi, vel sub illius finem, idest, post cognitionem trium Capitulorum? controversia est inter viros eruditos. *Petrus de Marca*

Di

Dissertatione *de quinta Synodo*, n. 23. censet cognitionem de Origene successisse trium Capitulorum damnationi. At Cardinalis *Norisius* in Dissertatione mox laudata, & doctissimus *Pagius* ad annum DLIII. n. 26. asserunt, damnationem Origenis in quinta Synodo generali antevertisse damnationem trium Capitulorum. Sed hanc Controversiam, utpote non magni momenti, in medio relinquimus, cum utrique opinioni sua constet probabilitas.

D. Age nunc, juxta seriem Chronologicam omnia recense Concilia Nationalia, seu Provincialia, quæ in sexto sæculo fuerunt celebrata.

M. Sexto ineunte sæculo, seu Anno DIII. habita est Romæ Synodus dicta *Palmaris* a loco ubi celebrata est. Tres jam Romæ annis præcedentibus coactæ fuerant Synodi ad extinguendum Schisma, quod in electione Symmachi legitimi Pontificis excitaverat *Laurentius* Archipresbyter S. Praxedis, quem *Festus* Senator Romanus profusis pecuniis Pseudo-Pontificem eligendum curaverat. In his Synodis Romanis approbata est jussu *Theodorici* Italiæ Regis electio *Symmachi*, & rejecta electio *Laurentii*, qui tamen, ne novas moveret turbas, Episcopus Nucerinus constitutus est. Hoc pacto ad tempus sopitum, sed non sublatum fuit Schisma. Nam paulo post, sicut scribit Anastasius, *zelo ducti aliqui ex Clero, & alii ex Senatu, maxime Festus & Probinus incriminarunt Symmachum, & subornarunt testes falsos, quos miserunt Ravennam ad Regem Theodoricum, accusantes B. Symmachum, & occulte revocaverunt Laurentium, post libellum Romæ factum, & fecerunt Schisma, & divisus est iterum Clerus, & alii communicabant Symmacho, alii Laurentio*. Ut igitur huic recrudescenti Schismati tandem aliquando finis imponeretur, *Theodoricus* Rex, licet Arianus, jussit Romæ convocari Synodum, quæ est quarta Romana, dicta *Palmaris*, ad quam cum sponte & volens Pontifex Symmachus causam dicturus accederet, ab irruentibus turbis æmulorum suorum male exceptus est, multique vulnerati Presbyteri, qui ipsum comitabantur. Rebus sic varia confusione perturbatis, scripsit Synodus ad Regem, eique significavit, Symmachum, qui tantum non fuerat oppressus, a statutis Canonibus non posse compelli. Respondit Rex: *In Synodali esse arbitrio in tanto negotio sequenda præscribere, nec aliquid ad se præter reverentiam de rebus Ecclesiasticis negotii pertinere, seque tantum velle, ut provisione Concilii pax in Civitate Romana Christianis omnibus redderetur*. Quibus acceptis, *Laurentius* Antipapa damnatus est, & *Symmachus* Papa innocens declaratus, Clericique, qui ab ipso desciverant, officio suo fuerunt restituti, dummodo eidem satisfacerent. Denique illius Synodi *Palmaris* Episcopi mandaverunt *Ennodio* Ticinensi Episcopo, ut libellum Apologeticum pro hac quarta Romana Synodo, & Symmacho Papa concinnaret, quem libellum ab Ennodio elucubratum quinta Synodus Romana habita anno DIV. auctoritate Synodali comprobavit (*a*).

„ (*a*) In Labbeana Collectione Synodi sub Symmacho assignantur sex; sed prioris nulla extant acta, at in Capitulis Adriani Papæ nomine vulgatis, tres tantum sub eo Pontifice enumerantur, nempe secunda, tertia, & quarta. Id vero non tantum servant capitula illa, sed & MSS. Codices vetustissimi, ac præsertim Codex in Vaticana Bibliotheca inter Codices Reginæ signatus n. 1997. qui cum ferat catalogum Pontificum usque ad Hormisdam, cui assignat annos IX. dies XVIII. inferre licet paulo post ejus mortem primo eam Collectionem confectam fuisse. Hinc orta suspicio est Ballerinis Fratribus in celebri Dissertatione, sæpius a me laudata, præmissa Tom. III. operum S. Leonis Magni, pag. CIX. geminas Synodos ibi omissas fictitias esse, quippe quas ignoravit ejus Collectionis auctor primitivus. Insuper V. & VI. ut est in vulgatis alia etiam arguunt ab ipsis Ballerinis animadversa, quod nempe geminæ istæ Synodi stylo discrepent a reliquis; in V. totidem verbis recitentur, tanquam ab antecessoribus Pontificibus firmata decreta, quæ eisdem verbis in suppostitiis epistolis Zephyrini, Stephani, Eusebii, & Julii referuntur. Quæ sane merces sunt Isidori Mercatoris. Demum quod in VI. quæ appellatur, Synodo, leguntur canones quidam Gangrenses ceu *Apostolica auctoritate conditi*, & ex interpretatione Dionysii Exigui; quod utrumque mendacium arguit; nam nec adhuc condita erat Dionysii interpretatio, nec Romana Ecclesia ea ætate alios Græcorum canones recipiebat, nisi Nicænos, & Sardicenses. Quanquam ex his rationibus nonnullæ videri leviores possent; simul tamen sumptæ vim ferme obtinent demonstrationis.

D. Potuitne hæc quarta Synodus Romana, quæ *Palmaris* appellatur, Symmachum Romanum Pontificem sic summo jure judicare?

M. Non potuisset hæc Synodus Romana *Symmachum* Pontificem Romanum judicare, nisi illius judicio sese sponte Symmachus subjecisset. Id ultro agnoverunt hujus Synodi Episcopi, qui statim ac congregati fuere contestati sunt, primo, quod hæc Synodus non fuisset legitima, nisi ejus convocationi assensum præbuisset ipse *Symmachus*, sic enim legitur in Actis hujus Synodi: *Memorati Pontifices, quibus allegandi imminebat occasio, suggesserunt, ipsum*, seu Symmachum, *qui dicebatur impetitus, debuisse Synodum convocare ------ Sed Potentissimus Princeps*, seu Theodoricus Rex Italiæ, *ipsum quoque Papam in colligenda Synodo voluntatem suam litteris demonstrasse significavit. Unde a mansuetudine ejus paginæ postulatæ sunt, quas ab eo directas constabat*. Secundo, eisdem Synodi Episcopi palam professi sunt, se esse inferiores seu minores judices, quorum judicio subjacere minime poterat Romanus Pontifex, utpote Vicarius Christi, & universalis Ecclesiæ Caput: *Scientes quia ejus Sedi primum Petri Apostoli meritum, vel Principatus; deinde secuta jussionem Domini Conciliorum venerandorum auctoritas, ei singularem in Ecclesiis tradidit potestatem: nec antedictæ Sedis Antistitem minorum subjacuisse ju*

judicio, in propositione simili forma aliqua testaretur. Demum, constanter affirmarunt ejusdem Synodi Episcopi, se non judicasse, nisi consentiente & volente *Symmacho* Summo Pontifice, immo, & ipsis judicandi auctoritatem deferente: *Et dum in venerabili collectione sermo de incipiendo haberetur negotio, S. Papa Symmachus Basilicam Julii, in qua Pontificum erat Congregatio, ingressus est; & de evocatione Synodali Clementissimo Regi gratias retulit, & rem desiderii sui evenisse testatus est. Causa ergo de Sacerdotum animis (quæ de Concilio nondum firmato tristitiam ministrabat) abscissa est: Auctoritatem ordinis corrigendi sicut poscebant Ecclesiastica Statuta, in omnium, qui ibidem convenerant, Episcoporum præsentia, se dare professus est*. Ex quibus verbis, quæ leguntur in Actis hujus Synodi quartæ Romanæ dictæ *Palmaris*, perspicuum est, prædictam Synodum non potuisse summo jure Symmachum Papam judicare, nisi illius judicio Romanus hic Pontifex sese ultro subjecisset, & Episcopis, qui erant minores seu inferiores judices, auctoritatem dedisset judicium in ipsum proferendi.

D. Fueruntne in sexto Ecclesiæ sæculo celebrata multa Concilia Nationalia, & Provincialia ad sanciendam, vel instaurandam Ecclesiæ Disciplinam?

M. Multa tam in Oriente, quam in Occidente celebrata sunt. Sed Conciliorum Nationalium, seu Provincialium, quæ ad resarciendam Ecclesiæ Disciplinam, sexto Ecclesiæ sæculo in Oriente habita sunt, nulla modo supersunt monumenta, quippe quæ temporis rerum omnium edacis injuria interciderunt. Verum, integra & incorrupta nobis etiamnum suppetunt Acta Conciliorum Nationalium & Provincialium, quæ in Galliis, & in Hispaniis ad sartam tectam conservandam Ecclesiæ Disciplinam sexto sæculo coacta sunt, quorum meminit Historia Ecclesiastica, & superstites adhuc Canones habemus. Hæc itaque Concilia ordine Chronologico hic subnectam.

Primum Concilium Provinciale in Galliis sexto sæculo celebratum, fuit *Agathense*, indictum anno DVI. ad quod Episcopi triginta quinque ex variis Galliarum Provinciis convenerunt, *Alarico* Wisigothorum Rege, cui tum temporis multæ Galliarum Provinciæ parebant permittente: Huic Concilio præfuit *Sanctus Cæsarius* Episcopus Arelatensis, & in eo plures editi sunt Canones. Doctissimus tamen *Sirmondus*, qui istud Concilium cum vetustissimis MSS. Codicibus contulit, testatur, se in iis reperisse tantum Canones octo & quadraginta, ac subinde dubium non esse, quin reliqui viginti quinque, qui supra hunc numerum ex Synodo *Epaonensi* deprompti sint & Synodi cujuspiam alterius auctoritate in Agathensem inserti. Multa in his Canonibus in rem Ecclesiasticæ Disciplinæ sanxit hæc Synodus, quæ hic summatim perstringam. In primis Bigamos a sacris Ministeriis in perpetuum arcet, contumaces Clericos ab Episcopis corrigi jubet, eosque inobedientes ad peregrinam communionem ablegat; Clericis prohibet, ne cum extraneis mulieribus commorentur, ne comam nutriant, ne ad sæcularis Tribunal Judicis quemquam vocent, aut in criminali negotio sint Actores; ne sine commendatitiis Epistolis hac illac vagentur, ne conviviis nuptiarum adsint, aut cœtibus, ubi amatoria cantantur, aut obscœni motus corporum choreis & saltationibus efferuntur. Diaconos ante annum ætatis vigesimum quintum ordinari, & Presbyterum, vel Episcopum ante trigesimum ætatis annum consecrari vetat. Sanctimoniales ante annum ætatis quadragesimum velari inhibet. Episcopis, ut seniores Clericos junioribus præponant præcipit. Divini Officii diebus Dominicis decantandi ordinem præscribit, sicut & ritum imponendæ pœnitentiæ, renovatque antiquos Canones circa Pœnitentium irregularitatem, quos ordinari prohibet, & ordinatos a sacris Ministeriis suspendit. Monasteria puellarum procul a Monachorum Cœnobiis construi jubet, novumque Monasterium, nisi Episcopo permittente aut probante, fundari non debere decernit. Monachos absque Abbatis testimonio & consensu ordinari vetat, quibus insuper prohibet, ne ad solitarias cellas a Congregatione discedant, *nisi forte probatis post emeritos labores, aut propter infirmitatis necessitatem, asperior ab Abbate regula remittatur*. Nobilibus, qui Oratoria in agris habent, permittit ut in illis Missas celebrari curent, exceptis Paschate, Natali Domini, Epiphania, Ascensione Domini, Pentecoste, Natali S. Joannis Baptistæ, & aliis præcipuis festivitatibus, in quibus par est, ut omnes Fideles in Civitates, aut in Parochias, ad Missam, & ad Officia sacra conveniant. Sæcularibus in Natali Domini, Paschate, & Pentecoste, Communionem imperat, & a Communione removet eos, qui suas dimittunt uxores, antequam Episcoporum judicio fuerint convictæ atque damnatæ. Denique, Missas die Dominica a sæcularibus integras audiri præcipit, ita ut ante Benedictionem Sacerdotis egredi non præsumant, quod si fecesserint, *ab Episcopo publice confundantur*.

Anno DXI. alterum in Galliis celebratum est Concilium Provinciale, nimirum *Aurelianense primum*, cui interfuere Episcopi sanctitate celebres, *Aventinus* Carnotensis Episcopus, cujus vita legitur apud Bollandum in Actis Sanctorum ad diem IV. mensis Febr. *Principius*, Episcopus Cenomanensis, qui colitur XVI. Kalend. Octob. *Camillianus* Episcopus Trecensis, qui colitur V. Kal. Aug. *Livanius* Episcopus Sylvanectensis, qui colitur VII. Idus Oct. *Quintianus* Episcopus Rutenensis qui postea Arvernorum Episcopus fuit, coliturque a Rutenis XVII. Kalend. Julii, & ab Arvernis Idibus Novembris; *Eufrasius* Episcopus Arvernensis, quem Gregorius Turonensis *Sanctum* appellat; denique, *Sanctus Melanius* Episcopus Rhedonensis in minori Britannia, cujus vitam ab antiquissimo auctore scriptam recitat *Bollandus* ad diem VI. mensis Januarii. Hi Episcopi sanctitate inclyti Concilio Aurelianensi primo sub Clodovæo Christianissimo Galliarum Rege interfuerunt.

D. Ediditne aliquos Canones Concilium Aurelianense primum?

M. Con-

M. Concilium Aurelianense primum condidit Canones XXXI. quos ferme omnes in suo Decreto inseruit *Gratianus*. In his præcipue consulitur rerum ad Ecclesiam confugientium securitati. Statuitur, quomodo facultates Ecclesiæ expendi debeant, scilicet *in reparationibus Ecclesiarum, in alimoniis Sacerdotum & Pauperum, vel in redemptionibus captivorum*. Decernitur, ut *Abbates in Episcoporum potestate consistant, & si quid extra regulam fecerint, ab ipso corrigantur*. Rogationes, idest, Litanias, & Triduanum jejunium ante Ascensionem Domini celebrari præcipitur. Præcedentium Conciliorum Canones circa statum Monasticum, circa familiaritatem extranearum mulierum Clericis prohibitam confirmantur. Demum prohibetur populo, ne ante completa Missæ solemnia, & acceptam Episcopi Benedictionem, si adesse contigerit, ex Ecclesia egrediatur.

D. Percurramus alia Concilia Provincialia, quæ sexto sæculo ad restaurandam Ecclesiæ Disciplinam in Galliis, & in Hispaniis fuerunt celebrata.

M. Anno DXVI. *Tarracone*, quæ Cataloniæ Metropolitana Civitas est, sub Hormisdæ Pontificatu, & anno sexto Theodorici Regis, tum temporis Hispaniis dominantis, habita est Synodus Provincialis *Tarraconensis*, cui interfuere decem Episcopi, & in ea conditi sunt Canones XIII. in quibus multa decernuntur circa Clericorum, & Monachorum vitam, circa Episcoporum ordinationes, & illorum officium Ecclesias, quæ ipsorum curæ concreditæ sunt, visitandi. Canone autem septimo statuitur, ut observatio diei Dominicæ incipiat a Sabbato. *Atque hinc fortassis emanavit consuetudo in totam fere Hispaniam cessandi die Sabbati ab omni opere sub vespertinam*, inquit *Vasæus* in Chronico. Qui mos a Judæis ad Christianos translatus est.

Anno DXVII. *Gerundæ*, quæ Urbs est Cataloniæ Tarraconensi Metropoli subdita, congregata est Synodus *Gerundensis*, ad quam convenere septem Episcopi, qui decem Canones ediderunt, in quibus præter alia multa, quæ Disciplinam Ecclesiasticam spectant, decernitur primo, ut idem Missæ & Psalmodiæ ordo in tota Provincia Tarraconensi servetur, quæ in Metropolitana Ecclesia observatur. Secundo, tempus conferendi Baptismi Cathecumenis præfigitur ad dies Paschatis & Pentecostes; infirmis quocunque tempore, infantibus, eadem etiam die, qua in lucem editi sunt, si in mortis periculo versentur. Tertio, statuitur, ut juxta morem e Galliis advectum, duæ Litaniæ, sive Rogationes, aut publicæ supplicationes quotannis celebrentur, Priores, hebdomada post Pentecostem a quinta feria usque ad Sabbatum; secundæ, Kal. Novembris recitentur, nisi dies Dominica fuerit, tunc enim in sequentem hebdomadam transferebantur, & eodem ritu peragebantur, quo priores. In utrisque indicta erat triduana a carnibus & vino abstinentia. Denique, districte præcipitur Clericis, ut juxta antiquos Canones, cœlibatum servent, & ab omni extranearum mulierum contubernio caveant.

Eodem anno DXVII. habita est in Regno Burgundico Synodus *Epaonensis*, cui præfuit *S. Avitus* Viennensis Episcopus, in eaque conditi sunt XL. Canones. In his multa præscribuntur circa disciplinam, quam Episcopi, Presbyteri, & Clerici observare debent. Secundo, permittitur Presbyteris, ut Hæreticos, quorum desperata valetudo est, si subito ad Fidem Catholicam convertantur, Chrismate consignent, quo in Ecclesiæ gremium admittantur. Tertio, abrogatur Diaconissarum consecratio. Quarto, prohibetur, ne Altaria, nisi lapidea, Chrismatis unctione consecrentur. Quinto, impedimenta in gradu consanguinitatis dirimentia Matrimonium, restringuntur ad consobrinos & consobrinas. Sexto, antiqui Canones de tempore agendæ pœnitentiæ præfixo, renovantur & confirmantur, pœnitentibus tamen in mortis discrimine positis constituta pœnitentiæ tempora relaxantur; sed si convalescant, statutum per Canones pœnitentiæ tempus servandum decernitur. Denique, ad stabiliendam disciplinam monasticam tam pro puellis, quam pro viris, aliquot sanctiones præscribuntur. Legi possunt XL. illi Canones Synodi Epaonensis in tomo IV. Conciliorum. Quantum autem attinet ad locum, in quo Synodus *Epaonensis*, vel *Epaunensis* congregata est, variæ sunt de eo conjecturæ scriptorum, qui ingeniosis quidem, sed vanis conjecturis indulgentes, locum in quo olim habita est hæc Synodus, detegere conati sunt, irrito tamen labore, cum non amplius extet illa *Epaonensis* Civitas, immo nullum ipsius modo supersit monumentum, aut vestigium. Quocirca, ne in re tam incomperta ariolari videamur, abunde sufficiat tibi scire, hanc Epaonensem Synodum in Regno Burgundico sub *Sigismundo* Rege fuisse celebratam.

Paulo post hanc Epaonensem Synodum, *Viventiolus* Episcopus Lugdunensis aliam coegit Synodum, quæ dicitur *Lugdunensis prima*, in qua, decem assidentibus Episcopis, sex conditi sunt Canones, quorum primus spectat causam *Stephani* cujusdam incestuosi, quem cum *Placidia* cognata sua, cui nefarie sese conjunxerat, Synodus ab Ecclesiæ liminibus expulit, quam tamen sententiam, rogante Sigismundo Burgundiæ Rege sic temperarunt Episcopi, Canone sexto, ut ei in Ecclesia orare permitterent usque ad orationem plebis, quæ post Evangelium legitur. Alii Canones pertinent ad disciplinam Ecclesiasticam.

Anno DXXIV. *Sanctus Cæsarius* Arelatensis Episcopus convocavit Concilium Arelatense IV. Eo tempore, quo Arelatensis Civitas *Theodorico* Italiæ Regi parebat. Sexdecim huic Concilio interfuerunt Episcopi, qui quatuor Canones disciplinam Ecclesiasticam spectantes condiderunt.

Ad eumdem annum DXXIV. multi Historici Ecclesiastici referunt Epocham Conciliorum *Ilerdensis*, & *Valentini*, quæ in Hispania fuerunt celebrata. At Cardinalis *de Aguirre* tom. 2. Conciliorum Hispaniæ, & *Nicolaus Antonius* Anno MDCLXXXIV. demortuus, tom. 1. Biblioth. Hisp. Veteris, accurate juxta omnes antiquos Codices MSS. utrumque Concilium ad annum usque DXLVI. distulere, quemadmodum etiam *Hieronymus Pujades*

det in Historia Cataloniæ lingua Hispanica scripta lib. 6. cap. 46. dum de Ilerdensi Concilio verba facit. Quapropter de duobus illis Conciliis *Ilerdensi*, & *Valentino* nihil in præsentia dicam, sed ea juxta ordinem Chronologicum, cui restitui debent, infra opportunius recensebo. (*a*).

„ (*a*) P. Joannes Hyacinthus Sbaralea Ord.
„ Min. S. Francisci, quos Conventuales vocant,
„ in suo opere *de sacris pravorum ordinationibus*
„ typis Florentinis excuso an. 1750. diligenti o-
„ pera discutiendam sibi proponens seriem & Ca-
„ nones Conciliorum Arelatensium sæcul. VI.
„ ita rem totam conficit quæsito VI. Ponit ille,
„ ratamque habet adnotationem in cap. *prima*
„ *adnotatio* dist. XVI. a Gratiano relatam, ve-
„ tustissimam esse, & ab auctore ejusdem vel
„ sequentis sæculi scriptam. Ibi vero trium
„ Conciliorum Arelatensium præses, seu Cano-
„ num auctor statuitur S. Cæsarius Arelatensis,
„ eademque sub S. Cæsario Concilia habita cen-
„ set inter annum 502. & 542. quo S. Cæsarius
„ obiit. Igitur, eo Judice II. III. & IV. A-
„ relatensis, I. II. III. S. Cæsarii, respondent
„ in editis Concilio Arelatensi II. IV. de ter-
„ tio vero in editis nulla mentio recurrit. In-
„ ter tres hasce Synodos distribuit Cl. Auctor
„ Canones, qui in editis Canonibus Concilii II.
„ Arelatensis intermiscentur, sicut & singulis at-
„ tribuit eos etiam Canones, quos Gratianus
„ aliique veteres collectores Synodis Arelatensi-
„ bus, sed nullo assignato numero vel etiam
„ cum nota numerali Arelatensis III. afferun-
„ tur. Ita ex Gratiano Arelatensis II. quæ pri-
„ ma est sub Cæsario dat Canones XXXVII. re-
„ jectis iis, qui sub regularum nomine apparent
„ nunc editi, & in Codicibus MSS. ut in vetu-
„ stissimo Parisiensi, teste Harduino, nequaquam
„ apparent. Synodus quarta, in editis S. Cæ-
„ sarii secunda, quatuor tantummodo Canones
„ offert in excusis; sed illi etiam assignat Cano-
„ nes, quos Gratianus recitat ex Concilio Are-
„ latensi III. sicut etiam quos ex eodem Conci-
„ lio habet Martinus Bracharensis.

„ Demum Synodus Tertia sub S. Cæsario suos
„ habuit Canones XI. ut ex eadem adnotatione con-
„ stat, sed quinam sint in tanta Canonum, con-
„ fusione qui ex Arelatensi Concilio, nullo adjecto
„ numero notantur, ignorari profitetur. Non im-
„ probabile tamen censet Canones illos ex Co-
„ dice S. Idavonis vetustissimo, tanquam Arela-
„ tensis Concilii dedit Labbeus eidem assignan-
„ dos esse, sicut ascribi posse judicat geminos
„ illos Canones Arelatenses, quos ego e manu-
„ scripto Lucensi protuli in supplem. ad Concil.
„ Duo tamen hic a me adnotanda occurrunt:
„ in Codice Vaticano 1342. vetustissimo illo qui-
„ dem, & sæculi, quantum ex ejus inspectio-
„ ne judicavi, IX. hanc ipsam adnotationem
„ extare, quæ paulo aliter sonat ac legitur in
„ Gratiano; nam post Arelatensem primam,
„ sic de aliis legit: *Alia Arelatensis, cujus au-*
„ *ctor fuit Cæsarius Arelatensis Episcopus XVIII.*
„ *Patrum. Alia Arelatensis XIX. Patrum. A-*
„ *lia etiam Arelatensis XVIII. Patrum, ubi Cæ-*
„ *sarius prædictus fuit.* Geminæ hic igitur Sy-
„ nodi Arelatenses sub Cæsario commemorantur.
„ Viderit igitur Vir doctissimus quid ex ista ad-
„ notatione inferri possit.

„ Addatur adnotationem persimilem repetisse
„ etiam Dacherium in MS. Cod. Remigiano,
„ annorum, ut ipse censet, 800. nec ibi pariter,
„ nisi Arelatenses geminæ expressæ sub S. Cæsa-
„ rii nomine exhibentur. Vide Spicileg. tom.
„ 1. pag. 507. nov. edit.

„ Quandoquidem vero Vaticana adnotatio a
„ me olim lecta, nondum evulgata est, juvabit
„ hic eam recitare, quemadmodum mihi de-
„ scripsi.

„ *Ancyritana Synodus XVIII. Patrum, cujus*
„ *auctor fuit Vitalis Antiochenus Episcopus. Neo-*
„ *cæsariensis, in qua XIV. Canones a Patribus*
„ *XVII. statuti sunt. Gangrensis contra Eusta-*
„ *chium, qui dicebat neminem posse salvari, si*
„ *non renunciaret omnibus. Sardicensis ubi fuit*
„ *Osius Cordubensis Episcopus LX. Patrum. An-*
„ *tiochena, cujus auctor Eusebius Palæstinus Epi-*
„ *scopus XXX. Patrum. Laodicensis XVII. Pa-*
„ *trum, cujus auctor Theodosius Episcopus. Car-*
„ *thaginensis CCXVIII. Patrum, ubi fuit P. Au-*
„ *gustinus. Africana CCXXXIV. Patrum num.*
„ *CV. statuta Aurelii Episcopi firmata sunt sub*
„ *Theodosio Majore (sic) Augusto. Aurelianen-*
„ *sis I. cui præsedit, Deo mediante, Silvester Pa-*
„ *pa temporibus Constantini. Alia Arelatensis, cu-*
„ *jus auctor fuit Cæsarius Arelatensis Episcopus*
„ *XVIII. Patrum. Alia Arelatensis XIX. Pa-*
„ *trum. Alia etiam Arelatensis XVIII. Patrum,*
„ *ubi Cæsarius prædictus fuit. Arausicana XVII.*
„ *Patrum, cujus auctor fuit Hilarius. Alia A-*
„ *relatensis XVII. Patrum, cujus auctor fuit Sar-*
„ *pidus Arelatensis Episcopus. Euphanensis XXVII.*
„ *Patrum LX. Canonum, ubi præsens Cæsarius*
„ *fuit. Aurelianensis LXXII. Patrum, cujus au-*
„ *ctor fuit Aurelianus Arelatensis Episcopus. Alia*
„ *Arelatensis XXII. Patrum, cujus auctor fuit*
„ *Melianus Episcopus Redonensis.*

„ Cernat vir doctissimus nihil hic haberi de
„ tribus Aurelianensibus sub Cæsario, nihil de
„ Canonibus eisdem assignatis a Gratiano, quem
„ alioqui scimus nonnulla dedisse a se, vel a col-
„ lectoribus ante ipsum interpolata.

D. Nullam hactenus mentionem fecisti de Conciliis, quæ sexto Ecclesiæ sæculo contra Semipelagianos fuisse celebrata, in nostris præcedentibus Colloquiis memini, te jam observasse.

M. Recte & apposite mones. Nam de Conciliis sexto Ecclesiæ sæculo contra Semipelagianos celebratis hic breviter disserere, ordo Chronologiæ postulat. Doctrina itaque Semipelagianorum, quæ in quinto Ecclesiæ sæculo propter multos eruditione & pietate viros, qui ei adhærebant, damnata non fuerat, ac subinde citra fidei crimen licite ac libere fuerat defensa, tandem anno DXXIX. in Synodo Arausicana II. quam Sedis Apostolicæ auctoritas approbavit, penitus explo-

plosa ac rejecta est. Hæc autem Synodus coacta est a Cæsario Arelatensi Episcopo occasione Basilicæ a *Liberio* Patricio constructæ, & in ea conditi sunt Canones viginti quinque, quibus Semipelagianorum sententiæ condemnatæ sunt, ita ut absque Hæreseos nota a quovis deinceps propugnari haud potuerint. *Cassiani* & *Fausti* sententiæ proscriptæ sunt. Fidei initium esse donum Dei decernitur Canone quinto. Gratiam non dari petentibus, quærentibus, pulsantibus, sed dari potius ut velimus, & petamus, & quæramus, & pulsemus, definitur Canone sexto. Adjutorium Dei Sanctis semper implorandum, quo possint in bono perdurare, ac subinde perseverantiam esse Dei donum, sancitur Canone decimo. Demum, humani arbitrii adversus divinam gratiam tumor elidirur Canone XXII. his verbis; *nemo habet de suo nisi mendacium & peccatum*. Hi Canones ex Divi Augustini verbis ac sententiis conflati, a Bonifacio II. Summo Pontifice fuerunt approbati. Quibus tamen cum Semipelagiani acquiescere nollent, *Sanctus Cæsarius* Valentinam in Galliis Synodum eodem anno indixit, ut frequentioribus suffragiis Catholica de Gratia Christi doctrina approbaretur. Huic Synodo Valentinæ *Sanctus Cæsarius* adversa valetudine præpeditus adesse non potuit, ejus tamen vices pro divinæ gratiæ defensione strenue sustinuit *Cyprianus* Episcopus Coloniensis, qui, ut legitur in vita Sancti Cæsarii: *Omnia, quæ dicebat, de divinis utique Scripturis firmans, & de antiquissimis Patrum Constitutionibus probans, nihil per se in divinis profectibus quemquam arripere posse, nisi fuerit primitus Dei gratia præveniente vocatus.* Hujus Synodi Valentinæ Acta perierunt. Tandem Sanctus Cæsarius eodem anno DXXIX. *Vasensem*, seu *Vasionensem*-II. Synodum celebravit, in qua decem consederunt Episcopi, & quinque Canones Ecclesiasticam disciplinam spectantes conditi sunt.

D. Perge, si placet, alia juxta ordinem Chronologicum recensere Concilia Nationalia & Provincialia, quæ sexto Ecclesiæ sæculo fuerunt convocata.

M. Anno DXXXI. habitum est in Hispania Concilium *Toletanum II.* regnante in Hispaniis *Amalarico* Wisigothorum Rege, non vero *Theude*, ut quibusdam Scriptoribus per errorem obrepsit. Legitur quippe Canone quinto illius Concilii: *Gratias agimus Omnipotenti Deo, deinde Domino nostro glorioso Amalarico Regi*. In hoc Concilio quinque Canones editi sunt, quorum *tertius* Clericis cœlibatum districte præcipit, & *quartus* Consanguineorum matrimonia vetat. Inter Episcopos adfuit huic Concilio *Sanctus Justus* Episcopus Urgellitanus, cujus superest Tractatus in Cantica Salomonis, qui in Bibliothecis veterum Patrum fuit insertus.

Anno DXXXIII. Concilium *Aurelianense II.* præcepto trium Regum Francorum, ut in illius Præfatione legitur, convocatum est: *Cum ex præceptione gloriosissimorum Regum in Aurelianensem Urbem convenissemus*. Ex omnibus tamen Franciæ Provinciis non fuit coactum istud Concilium, sed tantum ex quatuor Provinciis Lugdunensibus, & e tribus Aquitaniis, sicut subscriptiones demonstrant. Interfuere Episcopi XXVI. & Presbyteri V. a totidem Episcopis missi, Canonesque XXI. conditi, in quibus multa circa ordinationem Episcoporum, & Presbyterorum, circa ordinationem Diaconissarum, quæ omnino prohibetur, circa honestam Clericorum vitam, & Abbatum erga Episcopos obedientiam, necnon circa alia Ecclesiasticæ disciplinæ capita decernuntur.

Anno DXXXV. Concilium *Arvernense* habitum est, ad quod ex solis *Theodoberti* Francorum Regis ditionibus convenerunt Episcopi quindecim, ex quibus quatuor in Martyrologio Romano coluntur, videlicet *Gallus* Episcopus Arvernensis, *Gregorius* Episcopus Lingonensis, *Hilarius* Episcopus Gabalitanus, & *Nicetius* Episcopus Trevirensis. Sexdecim in Concilio in rem disciplinæ Ecclesiasticæ conditi sunt Canones, quorum septimus vetat, corpus Sacerdotis, cum ad tumulum effertur, *opertorio Dominici Corporis obvolvi, ne, dum honorantur Corpora, Altaria polluantur*.

Anno DXXXVIII. Concilium *Aurelianense III.* juxta Consulatus notam, quam ex probis monumentis restituit doctissimus *Sirmondus* in Conciliis Gallicanis, congregatum est. Ei interfuere Episcopi undeviginti cum Presbyteris septem ex diversis partibus Franciæ, cui tum temporis tres Reges *Childebertus*, *Clotarius*, & *Theodebertus* dominabantur. Triginta tres Canones in hoc Concilio editi sunt, de quibus legendi Cl. *Cointius* Congregationis Oratorii Presbyter in Annalibus Ecclesiæ Francorum ad annum DXXXVIII. num. IX. & sequentibus, & *Natalis Alexander* in sexto Ecclesiæ sæculo.

Anno DXL. coactum est Concilium *Barcinonense*, in quo decem editi sunt Canones, qui publice pœnitentes spectant. Hos inter Octavus obligat eos, qui in infirmitate poscunt pœnitentiam, & a Sacerdote accipiunt, ad eam peragendam si postea convaluerint, ita ut a communione abstineant, donec integram & sceleris puram vitam illorum Sacerdos probaverit.

Anno DXLI. Celebratum est Concilium *Aurelianense* IV. cui ex tripartito Franciæ Regno, *Childeberti* nimirum, *Clotarii*, & *Theodeberti*, interfuerunt Episcopi XXXVIII. cum Presbyteris XI. & Abbate uno, qui totidem Episcoporum nomine interfuerunt. Conditi sunt in eo Canones XXXVIII. quibus præcedentium Synodorum Decreta fuerunt confirmata, & aliquot alia addita.

Anno DXLVI. Concilia *Ilerdense*, & *Valentinum* in Hispaniis habita fuerunt, sicut supra ex Cardinali *de Aguirre* jam observavi. In utroque Concilio egregia Decreta ad instaurandam Ecclesiæ disciplinam condita sunt. In Concilio Ilerdensi sexdecim Canones a novem Episcopis, & in Concilio Valentino Canones tantum sex a totidem Episcopis conditi sunt.

Anno DXLIX. Synodus *Aurelianensis V.* ex tripartito Franciæ Regno, sicut Episcoporum,

rum, qui ei interfuerunt, ſubſcriptiones demonſtrant, indicta eſt; licet in præfatione illius Concilii unus tantum *Childebertus* Rex a Patribus laudetur, quia Aurelianenſis Civitas in ditione *Childeberti* ſita erat. Condidit hæc Synodus Canones viginti quatuor, qui præcedentium Conciliorum Canones confirmant, vel illis quædam addunt, aut explicant. Ex his XXIV. Canonibus Concilii Aurelianenſis quinti fuerunt ſexdecim approbati in Synodo Arvernenſi II. quæ paulo poſt Aurelianenſem quintam fuit in Regno *Theodebaldi* etiam Francorum Regis celebrata. Hujus Synodi Arvernenſis II. non meminit quidem *Baronius*, ſed poſt illius mortem *Sirmondus* eam inter Concilia Gallicana publicavit. Synodo Aurelianenſi V. ſubſcripſerunt Epiſcopi L. & XXI. vel Presbyteri, vel Archidiaconi, vel Diaconi, vel Abbates a ſuis Epiſcopis directi. Decem Epiſcopos ex his, qui iſti Concilio interfuerunt, Sanctorum faſtis adſcribunt Eccleſiaſticæ tabulæ, videlicet *Albinum* Epiſcopum Andegavenſem, *Agricolam* Epiſcopum Cabilonenſem, *Aurelianum* Epiſcopum Arelatenſem, *Gallum* Arvernenſem, *Eleutherium* Altiſiodorenſem, *Sacerdotem* Lugdunenſem, *Leobinum* Carnotenſem, *Lautonem* Conſtantinum, *Firminum* Uticenſem, *Nicetium* Trevirenſem. Præterea, Trajectenſes colunt *Dominianum*, Bituricenſes *Deſideratum*, Lingonenſes *Tetricum*, Burdigalenſes *Leontium*, Æduenſes *Nectarium*, Viennenſes *Eutychium*, Nivernenſes *Aregium*, Ebredunenſes *Gallicanum*, Lugdunenſes *Genebaudum*. (*a*)

(*a*) „ Concilium hoc Arvernenſe approbavit
„ utique Canones Aurelianenſis V. non XVI. tan-
„ tummodo, at omnes, uno excepto Canone XXII.
„ in quo de reddendo ſervo ad aſylum Eccleſiæ
„ confugiente. Nec vero tradit Sirmondus omiſ-
„ ſum eſſe in Arvernenſi Canonem XV. Aure-
„ lianenſem, in quo de Xenodochio Lugdunenſi.
„ Hæc omnia me docuit Synopſis vetuſtiſſima
„ Codicis mei Lucani, quæ ſub titulo *ex Con-*
„ *cilio Arverniæ Franciæ* Canones omnes Aure-
„ lianenſes exhibet uno excepto ut jam admonui.

D. Maxima profecto commendatione digni ſunt Galliarum, Hiſpaniarumve Antiſtites, qui, doctrina, & ſanctitate inſignes, nihil ſecundum Deum antiquius habuerunt, quam ut Synodos ad conſervandam Eccleſiæ diſciplinam frequenter colligerent. Nec dubito, quin alia Concilia Provincialia, præter ea, quæ hactenus enumeraſti, ſexto Eccleſiæ ſæculo celebrarint.

M. Ita eſt; multa alia, præter ea, quæ huc uſque recenſui, Galliarum, & Hiſpaniarum Antiſtites ſexto Eccleſiæ ſæculo Concilia Provincialia celebrarunt, quæ hic breviter, ne tibi faſtidium ingeram, ordine chronologico indigitare pergam.

Anno DLI. Concilium *ſecundum Pariſienſe*; ut optime obſervat *Carolus Cointius* in Annalibus Eccleſiæ Francorum, fuit convocatum, non vero anno DLV. ſicut noviſſimi Conciliorum Collectores notant. Conſtat enim *Firminum* Uticenſem Epiſcopum, qui huic Synodo ſubſcripſit, obiiſſe anno DLIII. habitum eſt iſtud Concilium in cauſa *Saffaraci* Epiſcopi Pariſienſis, qui de graviſſimo crimine accuſatus, propriiſque confeſſione convictus, merito ſecundum ſacros Canones Epiſcopatu amotus in Monaſterium detruſus fuerat; denuo itaque in hoc ſecundo Pariſienſi Concilio diſcuſſa & dijudicata *Saffaraci* cauſa, viginti ſex Epiſcopi, ex quibus complures in Sanctorum numerum fuerunt relati, illius exauctorationem approbarunt, & in ejus locum *Euſebium* ſubrogarunt.

Anno DLIV. Concilium *Arelatenſe V.* a *Sapaudo* illius Urbis Epiſcopo indictum, & ex Codice MS. Lugdunenſi primo in lucem ab erudito Sirmondo datum eſt. Ex Provincia Viennenſi, & ex duabus Provinciis finitimis, ſcilicet Narbonenſi II. & Alpium Maritimarum convocatum eſt iſtud Concilium, & in eo ſeptem conditi ſunt Canones, quibus diſciplinæ tum Eccleſiaſticæ, tum Monaſticæ optime conſultum eſt.

Anno DLVII. habita eſt, regnante in Galliis *Childeberto*, Synodus *Pariſienſis tertia*, quæ decem condidit Canones, eique interfuerunt quindecim Epiſcopi, ex quibus Martyrologio Romano inſcripti ſunt, *Prætextatus* Rotomagenſis, *Euphronius* Turonenſis, *Germanus* Pariſienſis, *Samſon* Dolenſis in Armorica, cujus vitam ab auctore anonymo ipſi coævo ſcriptam doctiſſimus *Mabillonius* ſæculo I. Benedictino publicavit. Præterea, Burdigalenſes *Leontium*, Nannetenſes *Felicem*, & Carnotenſes *Caletricum*, venerantur.

Anno DLX. Concilium *Bracarenſe primum* in Hiſpaniis regnante *Theodemiro* Suevorum Rege, habitum eſt; in quo conſidentes Epiſcopi omnia Capitula, quæ contra Priſcillianum Hæreſiarcham, ejuſque Hæreſim in præcedentibus Conciliis jam conſtituta fuerant, relecta, & approbata ſunt. In eo etiam Eccleſiaſtica diſciplina viginti duobus Canonibus ſancita eſt. Inter Epiſcoporum ſubſcriptiones legitur, *Martinus Epiſcopus ſubſcripſi*, qui alius non eſt, quam *S. Martinus* Epiſcopus Dumienſis, qui poſtea creatus eſt Metropolita Bracarenſis, eoque nomine Concilio Bracarenſi II. ſubſcripſit anno DLXXII.

Anno DLXVII. ſeu anno ſexto *Guntramni* Galliarum Regis, coactum eſt Concilium *Lugdunenſe II.* ex ſolis ditionibus Gunttamni Regis, ſub *Nicetio* Lugdunenſi Epiſcopo, in quo conditi ſunt Canones ſex, eique ſubſcripſere ſua, vel etiam Vicariorum manu, Epiſcopi quatuordecim, quos inter tabulis Eccleſiaſticis inſcripti ſunt *Nicetius* Lugdunenſis, *Agricola* Cabilonenſis, *Syagrius* Auguſtodunenſis. Colitur etiam *Æoladius* a ſuis Nivernenſibus. Eodem anno peractum eſt Concilium Turonenſe II. ex ſolis ditionibus *Cariberti* Galliarum Regis, ſicut ex præfatione iſtius Concilii colligitur. In eo editi ſunt viginti ſeptem Canones, quos perdocte explicant *Carolus Cointius* in Annalibus Eccleſiæ Francorum, & *Natalis Alexander*, in ſexto Hiſtoriæ ſæculo. Subſcripſerunt huic ſynodo Epiſcopi novem ex tribus Provinciis Lugdunenſibus, ſecunda, tertia, & quarta. Aliquot ex illis Epiſcopis, qui huic ſecundo Concilio Turonenſi ſubſcripſerunt, in Sanctorum numerum fuerunt relati, vel in ſuis Eccleſiis coluntur ut Sancti.

Anno

Anno DLXIX. celebratum est in Hispania Concilium *Lucense*, in quo lecta est Epistola *Theodemiri* Regis Hispaniarum, hortantis ut plures in Gallæcia instituerentur Diœceses, ac præterea, ut præter unam Metropolitanam Sedem, *Bracarensem* scilicet, alia designaretur. Quod & factum est. Sedes enim Lucensis erecta in Metropolim. Nunc tamen *Luco*, seu *Lucus*, hodie *Lugo* tantum est Episcopalis Sedes Metropolitæ Compostellano subdita.

Anno DLXXII. ex utraque Gallæciæ Metropoli, *Bracarensi* nimirum & *Lucensi*, congregatum est Concilium *Bracarense II.* in eo decem editi sunt Canones, quibus Episcoporum officia in sacra Visitatione præscribuntur, ipsisque prohibetur, ne munera pro ordinationibus sacris, pro Chrismate, pro consecratione Ecclesiarum, & pro Baptismo quidquam exigant. Decernitur quoque, quosdam Sacerdotes depositione plectendos esse, qui antiquo Priscillianæ Hæreseos fœtore afflati oblationem in Missis pro Defunctis non jejuni consecrabant.

Anno sequenti, seu DLXXIII. indicta est Synodus *Parisiensis quarta*, de qua agit S.Gregorius Turonensis lib. 4. cap. 42. Ad hanc convenere XXII. Episcopi cum uno Presbytero ab Episcopo Aurelianensi misso. Rursus Anno DLXXVII.Parisiis habita est Synodus, quæ est *Parisiensis quinta*, in qua accusante Rege *Chilperico* Sancti *Prætextati* Episcopi Rotomagensis falso accusati, quod *Merovee* filio rebelli ejusdem Regis favisset, causa discussa est. *Prætextatus* ab Ecclesia pulsus, custodiæ traditus, e qua cum fugeret nocte, gravissime cæsus in Insulam prope Constantiam est relegatus, subrogato in ejus locum *Melanio*, cujus meminit *S. Gregorius* Turonensis lib. 7. Hist. Francorum cap. 19. Martyrio tandem anno DLXXXVI. coronatus est *Prætextatus*, agente *Fredegunde* Regina, altera Jezabele, quam S. ille Martyr ad meliorem frugem reducere frustra tentaverat, sicut ex S. Gregorio citato *Baronius* narrat.

Anno DLXXXIII. celebratum est Concilium *Lugdunense tertium*, in quo conditi sunt sex Canones, quibus ea, quæ de mulieribus extraneis a Clericorum societate repellendis, de Puellis Deo consecratis, quæ a Monasterio recedunt, & de incestis matrimoniis, prisci Canones sanxerunt, renovantur & approbantur. Eodem anno coactum est Concilium *Matisconense primum* e ditionibus *Guntramni* Galliarum Regis, & in eo undeviginti conditi sunt Canones, quibus priorum Conciliorum decreta de continentia & modestia Clericorum, de illorum causis, de pœnis infligendis Judæis, qui Christianis insultarent, renovantur & confirmantur. Alterum etiam Concilium *Matisconense* convocatum est anno DLXXXV. in quo conditi sunt viginti Canones, quos doctissimus *Carolus Cointius* in Annalibus Eccl. Francorum ad annum DLXXXV. & *Natalis Alexander* in sexto Ecclesiæ sæculo summarie explicant. Paulo post duo illa Concilia Matisconensia, *Aunacharius* Altisiodorensis Episcopus cum Abbatibus & Presbyteris suæ Diœceseos celebravit Synodum *Altisiodorensem*, in qua editi sunt Canones quadraginta quinque, quorum plerique Synodorum præcedentium, præcipue Matisconensium decreta renovant. Invehitur etiam hæc Synodus Canone I. in eos, qui Gentilium more Kalendas Januarias prophanis ritibus, epularum luxu, spectaculorum insania, & aliis id genus abominandis superstitionibus contaminabant.

D. Hæc sunt igitur omnia Concilia Nationalia & Provincialia, quæ sexto Ecclesiæ sæculo in Galliis & in Hispaniis fuerunt celebrata?

M. Hactenus quidem recensui omnia Concilia Nationalia & Provincialia, quæ sexto sæculo in Ecclesia Gallicana fuerunt celebrata. At supersunt septem alia Concilia Provincialia, quæ in Hispaniis, sive in ditionibus *Reccaredi* religiosissimi Hispaniarum Regis habita sunt, de quibus hic breviter me expediam. Anno DLXXXIX. *Reccaredus* Leovigildi filius Rex Gothorum & Hispaniæ, ejurata cum suis Gothis Ariana Hæresi ad fidem Catholicam conversus *Toletanam tertiam* Synodum congregavit, eique, teste *Joanne Biclariensi*, interfuit, ut ea quæ ad abolendam penitus in suo Regno Arianam Hæresim, quæ in eo diu grassata fuerat, & ad Catholicam fidem propugnandam necessaria erant, sanctis Canonibus optimisque decretis sancirentur. In hac itaque *Toletana tertia* Synodo scripti sunt Anathematismi XXIII. quibus omnino profligatur Ariana Hæresis, & totidem Canones ad restaurandam Disciplinam Ecclesiasticam conditi sunt, quibus subjicitur Edictum ejusdem Regis *Reccaredi* de confirmatione Synodi, quæ omnia concluduntur Homilia *Sancti Leandri* Episcopi Hispalensis in laudem Ecclesiæ ob Gentis Gothorum ad fidem Catholicam conversionem. Eodem anno DLXXXIX. sub *Reccaredo* Hispaniarum Rege, cui tum Provinciæ Narbonensis ora parebat, habitum est Concilium Provinciale *Narbonense*, cui octo adfuerunt Episcopi, & quindecim in eo editi sunt Canones, quibus Disciplinæ Ecclesiasticæ optime consultum est. Hoc autem Concilium Narbonense ideo sub *Reccaredo* Hispaniarum Rege, & non sub Francorum Regibus fuit celebratum, quia Gothi a *Clodoveo* Rege e Gallia ejecti, & in Hispaniam compulsi, Provinciæ Narbonensis oram maritimam sua in potestate retinuerunt usque ad tempora *Caroli Martelli* Galliarum Regis, qui, devictis Gothis, Provinciam Narbonensem Francorum Regno armis adscivit.

Anno DXC. regnante in Hispaniis *Reccaredo* celebratum est a S. Leandro Hispalensi Episcopo cum Antistitibus Provincialibus Concilium Hispalense I. in quo tres conditi sunt Canones, qui missi sunt ad *Pegasium* Astigitanæ Ecclesiæ Episcopum, & Gaudentii successorem. Sub eodem *Reccaredo* Hispaniarum Rege anno DXCII. convocatum est Concilium *Cæsaraugustanum*, in quo tres conditi sunt Canones, qui modum, quo Episcopi, vel Presbyteri ab Ariana Hæresi ad Catholicam fidem revertentes recipi debent, præscribunt. Sub eodem Rege *Reccaredo*, & Gregorii Magni Pontificatu actum est anno DXCVII. Concilium *Toletanum quartum*, in quo duo conditi sunt Canones, & anno sequenti, seu DXCVIII. habitum est Concilium

cilium *Oscense*, in quo duo itidem editi sunt Canones. Erat autem *Osca* in Tarraconensi Provincia Tarraconæ Metropoli subdita, quæ nunc habet Episcopum Cæsaraugustano suffraganeum, ut scribit *Garsias Loaisia* in notis ad Concilium *Lucense* sub Theodomiro Hispaniarum Rege congregatum. Denique, anno DXCIX. habitum est sub sæpius laudato *Reccaredo* Hispaniarum Rege Concilium *Barcinonense*, in quo contra Simoniacos quatuor editi sunt Canones. Sed de Conciliis Nationalibus seu Provincialibus, quæ sexto Ecclesiæ sæculo in Occidente, præsertim in Galliis, & in Hispaniis celebrata sunt, sat superque hactenus dictum sit.

D. Ex tot Conciliis Nationalibus, seu Provincialibus, quæ sexto sæculo in Galliis, & in Hispaniis habita sunt, facile intelligo, Galliarum, & Hispaniarum Antistires de Disciplina Ecclesiastica optime meritos esse, cum ad illam conservandam, vel restaurandam tam ardenti zelo flagraverint. Nunc quales eodem sæculo fuerint præcipuarum Ecclesiæ Sedium Antistites, vehementer scire peropto.

M. Hoc de argumento opportunius differemus in proximo, quod crastina luce habebimus, Colloquio; in quo continuam seriem Episcoporum, qui præcipuas Ecclesiæ Sedes, videlicet Romanam, Alexandrinam, Antiochenam, Herosolymitanam & Constantinopolitanam sexto sæculo occuparunt, exhibebimus.

COLLOQUIUM IV.

De successione Episcoporum, qui sexto sæculo præcipuas Ecclesiæ Sedes, Romanam videlicet, Alexandrinam, Antiochenam, Hierosolymitanam & Constantinopolitanam occuparunt.

D. SEriem Episcoporum, qui quinto Ecclesiæ sæculo Sedem Romanam tenuerunt, terminasti jam, si bene memini, in *Symmacho*, qui, sicut observasti in Colloquio tertio in Historiam quinti Ecclesiæ sæculi, ordinatus fuit Pontifex Romanus die vigesima secunda mensis Novembris anni CCCCXCVIII. De Schismate, quod *Laurentius* Archipresbyrer Ecclesiæ S. Praxedis in electione Symmachi excitavit, & de Conciliis, quæ ad extinguendum illud Schisma sub Symmacho Papa fuerunt Romæ celebrata, plura in præcedentibus nostris Colloquiis dixisti, quæ hic repetere supervacaneum omnino esset. Quapropter his, ne actum agamus, prætermissis; ostende primo, quo pacto Symmachus sese in Pontificatu gesserit, & quot annis Sedem Romanam tenuerit?

M. Sanctissime in suo Pontificatu sese gessit Symmachus, multisque virtutibus emicuit. Manichæos Apostolico zelo insectatus est, eosque Roma expulit. Captivos Christianos per Liguriam, Mediolanum, & per diversas Provincias dispersos pecuniis redemit. Episcopis Africanis in Sardinia exulibus vestes, aliaque id genus ad victum necessaria singulis annis suppeditavit. Basilicas Sanctorum complures Romæ a fundamentis erexit, instauravit, amplificavit, exornavit. *Anastasium* Imperatorem *Acacii* Episcopi olim Constantinopolitani memoriæ, & Hæreticis Concilii Chalcedonensis hostibus communicantem atque aperte faventem excommunicavit. Antiqua Sedis Apostolicæ decreta, præsertim S. Leonis Papæ, circa jura Ecclesiarum Arelatensis, & Viennensis; ad petitionem S. Cæsarii Episcopi Arelatensis, qui Romam ad Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli limina venerat, observari jussit. Varia denique Ecclesiasticæ Disciplinæ sancivit Capita, quæ legi possunt in ejus Epistola ad Cæsarium Arelatensem Episcopum. Sedit *Symmachus* annos quindecim, menses septem, ut testantur Ordericus, Luitprandus, Regino, Catalogus Vaticano-Palatinus, & varii Codices MSS. obiit die decima nona mensis Julii anni DXIV. ejusque nomen sacris Ecclesiæ Fastis adscriptum est XIV. Kalend. mensis Augusti.

D. Quem in Sede Romana successorem habuit Symmachus?

M. Mortuo Symmacho, cessavit Pontificatus dies septem, sicut scribit *Anastasius* Bibliothecarius, & die XXVII. mensis Julii anni DXIV. Symmacho suffectus est *Hormisdas*, qui anno sexto Pontificatus sui, seu anno DXIX. Ecclesiam Orientalem, propter damnationem Acacii Episcopi Constantinopolitani, ab Ecclesia Romana jam diu dissidentem, tedintegrata pace, ad communionem, & unitatem tandem aliquando revocavit. Anno etiam nono sui Pontificatus, seu anno DXXII. ingenti gaudio perfusus est *Hormisdas* quod Africani Episcopi, quos *Trasamundus* Vandalorum Rex in Sardiniam relegaverat, ab *Hilderico* Trasamundi successore, ad natale solum, post annos exilii viginti septem, fuerint revocati, & ab ipsis in integrum restitutus Ecclesiæ Africanæ status. Tumultuantes in Oriente Monachos Scythas, tanquam superbos, pervicaces, & contentiosis seditionibus pacem Ecclesiæ perturbantes, coarguit, & compescuit idem Summus Pontifex, sed tamen nunquam ex Cathedra damnavit hanc propositionem, quam prædicti Monachi acriter propugnabant: *unus e Trinitate crucifixus est*, immo hanc propositionem ne quidem examinare, nedum damnare voluit *Hormisdas*, utpote hanc disceptationem intempestivam judicans, & turbandæ potius Ecclesiæ, quam ædificandæ opportunam. Collapsam in Hispaniis Ecclesiasticam Disciplinam, scripta ad illius Ecclesiæ Episcopos Epistola, reformavit. Ab Episcopo *Possessore* consultus de Doctrina *Fausti* Episcopi Rejensis circa Gratiam, respondit Romanus ille Pontifex avitæ doctrinæ tenax, doctrinam *Fausti* de Gratia non recipi ab Ecclesia, sed standum esse doctrinæ S. Augustini, & ex ejus libris hauriendam esse veram de Gratia Christi doctrinam. Sedit *Hormisdas* annos novem, & dies undecim, ut legitur in multis Catalogis, præsertim in duobus Pontificum Romanorum Catalogis, quos edidit doctissimus *Mabillonius* tom. III. veter. Analect. obiit die sexta mensis Augusti anni DXXIII.

Post mortem Hormisdæ vacavit Sedes septem dies, ut scribit *Ordericus* lib. 2. & die decima

tertia

tertia mensis Augusti anni DXXIII. Joannes I. natione Etruscus ejus successor Pontifex Romanus ordinatus est. Is est, qui, sicut in præcedentibus Colloquiis jam observavimus, jussu *Theodorici* Italiæ Regis, Secta Ariani, Constantinopolim ire, & Legationem apud *Justinum* Imperatorem obire coactus est, ut eum a vexandis in Oriente Arianis deterreret. A Justino Imperatore perhonorifice quidem exceptus est *Joannes*, sed Constantinopoli redux, inhumaniter a Theodorico Rege habitus est, & in carcerem conjectus, ubi ærumnis confectus, Martyr occubuit die XXVIII. Maji anni DXXVI. Sedit igitur Joannes I. annos duos, menses novem, & dies sex, ut tam dies ordinationis, quam dies mortis ejus demonstrant. Duæ Epistolæ Joanni I. tribuuntur, quas tamen periti Critici supposititias esse arbitrantur. Prima est ad *omnes Italiæ Episcopos* scripta. Sed illam genuinam non esse, ex eo maxime probatur, quod hæc Epistola data fingitur III. Idus Junii, ad quem tamen diem Joannes Papa non pervenit, quippe qui mortuus est die XXVIII. Maji. Dicitur etiam hæc Epistola data *Maximo*, & *Olybrio Consulibus*, qui tamen diversis annis consulatum gesserunt. Altera Epistola, quæ Joanni Papæ tribuitur, directa est ad *Zachariam* Archiepiscopum. At illa, non secus ac prior, ceu supposititia exploditur; tum quia data dicitur XV. Kalendas Novembris, *Maximo*, & *Olybrio Consulibus*, qui tamen, ut mox diximus, non simul, sed diversis annis consulatum gesserunt; tum quia etiam hæc Epistola consarcinata est ex variis locis Epistolarum Innocentii, Zosimi, Symmachi Summorum Pontificum, & Ennodii Episcopi Ticinensis, ut jam viris doctis fuit observatum.

Theodoricus Italiæ Rex post mortem Joannis I. Papæ jus eligendi Pontificis Romani sibi attribuit. Unde interjecto ab obitu Joannis Papæ Interpontificio LV. dierum, *Felicem IV.* Clero, Senatui, Populoque Romano proposuit. Diu quidem illi restitit Clerus, sed tandem vitandi Schismatis causa consensit, ut liquet ex *Atbalarici* Italiæ Regis, qui Theodorico successit, Epistola ad Senatum scripta, quam recitat Baronius descriptam ex Cassiodoro lib. VIII. Epist. XV. *Felix* itaque hujus nominis IV. Pontifex Romanus die XII. mensis Julii anni DXXVI. ordinatus est, & præclaris virtutibus exornatus, atque sanctitate insignis Ecclesiam sapientissime rexit. Sedit, juxta accuratiorem doctissimi *Pagii* Chronologiam, annos quatuor, & menses sex, obiitque XIV. Kalendas Octobris, seu die XIII. mensis Septembris anni DXXX. Circumferuntur duæ *Felicis IV.* Epistolæ, quarum prima dicitur data Kalend. Martii, *Lampadio* & *Oreste Coss.* Altera XII. Kalend. Novembr. *Lampadio* & *Oreste Coss.* Verum utramque Epistolam ut supposititiam rejiciunt viri eruditi. Primo, quia ambæ continent phrases posteriorum sæculorum, & sententias ex Epistolis Sancti Gregorii Magni excerptas, vel aliunde emendicatas. Secundo, quia *Felix IV.* in vivis non erat XII. Kalend. Novemb. qua tamen temporali nota inscribitur una ex illis Epistolis. Denique, si quis duas illas Epistolas contulerit cum genuina illa Epistola, quam *Felix IV.* ad Cæsarium Arelatensem Episcopum scripsit, *de Laicis ad Sacerdotium ante probationem non promovendis*, compertum ac exploratum habebit ex styli dissimilitudine hasce duas priores Epistolas *Felici IV.* perperam vindicari. (*a*)

(*a*) „ Agnellus Ravennatensis sæculi IX. Scriptor in suo Pontificali Ravennatensi ad vitam S. Ecclesii Ravennatensis Episcopi affert integram Epistolam Felicis IV. Papæ ad eundem Ecclesium, in qua plura sanciuntur in optimum regimen ejusdem Ecclesiæ. Mandat enim in ea Pontifex promoveri ad ordinem Clericorum vitæ & conversationis probatæ viros; Clericos *volentes dumtaxat*, *& denuntiatos* vocandos esse ad Ordines altiores, nempe Presbyteri, & Diaconi; neve Presbyteri, vel Monachi patrocinium potentium efflagitent ad altiorem ordinem & locum obtinendum. Quarta portio distribuatur in Clericos omnes eos, *quibus erogari est debitum*. Demum districte vetat, ne Clerici spectaculis intersint. Addit insuper Clericos prædia Ecclesiæ urbana, vel rustica conducentes illa habeant sub justa pensionis æstimatione, ita tamen ut quod *modie* (commodis) *suis solent accipere*, *ipsi teneant*; *quod superest Ecclesiasticis inferant compendiis profuturum*. Nonnulla etiam de Notariis edicit, ut integra fide instrumenta de rebus Ecclesiæ conficiant; ut præsto sint ea exhibere, cum res poposcerit. Si qui habent res ab Ecclesia conductas, nec eas tenent, ut egestati suæ provideant; reddant Ecclesiæ, nec retinere sibi audeant. Monasteria utriusque sexus ab Episcopo ordinentur &c.

Post mortem *Felicis IV.* vacavit Sedes dies tres, & *Bonifacius II.* patria Romanus consecratus est die vicesima prima mensis Septembris anni DXXX. De *Dioscori* Schismate adversus Bonifacium II. quod statim Dioscori morte extinctum, est legendus est Baronius, sicuti & de Bonifacii II. Epistola ad *Eulalium* Alexandrinum Episcopum de reconciliatione Carthaginensis Ecclesiæ, quam supposititiam, & adulterinam esse ostendit Eminentissimus ille Annalium parens, non solum quia contexta est ex verbis Romanorum Pontificum S.Leonis, Hormisdæ, & S.Gregorii Magni, sed etiam quia illius Epistolæ consarcinator ineptissime fingit *Aurelium* Carthaginensem Episcopum, & cæteros Ecclesiæ Africanæ Antistites, adeoque & S. Augustinum, Bonifacii I. & Cælestini I. temporibus, instigante Diabolo, contra Ecclesiam Romanam insurrexisse, & eo ab hinc tempore Africanam Ecclesiam a Romanæ communione fuisse divulsam usque ad Pontificatum Bonifacii II. quod sane putidum mendacium esse, nemo est tantisper in Historia Ecclesiastica versatus, qui statim non videat. Quare jure merito prædictam Bonifacii II. Epistolam non solum Card. Baronius, sed omnes, quotquot sunt hujus ætatis viri eruditi, tanquam spuriam rejiciunt. Synodum Arausicanam II. in qua Semipelagiani fuerunt

fuerunt damnati, confirmavit Bonifacius II. & sub illius Pontificatu tres Romæ habitæ sunt Synodi, quarum duas ex Anastasio Bibliothecario explicat Baronius, post cujus mortem *Holstenius* Bibliothecæ Vaticanæ Præfectus in Collectione Romana tertiam Synodum eruit, quæ celebrata est anno DXXXI. Demum, Bonifacius II. sedit annos duos, & dies viginti sex, obiitque die XVII. mensis Octobris anni DXXXII.

Vacavit Sedes post mortem Bonifacii II. dies LXXVI. sicut ex multis vetustis Catalogis ostendit doctissimus *Pagius* ad annum Christi DXXXI. quapropter *Joannes* hujus nominis II. cognomento *Mercurius*, patria Romanus, Anno DXXXII. ordinatus fuit Pontifex die XXXI. mensis Decembris, quæ *S. Sylvestro* Romæ sacra erat. Simoniæ labem, quæ in electionibus Episcoporum, & Romanorum Pontificum grassabatur, omnino tollendam, ac radicitus extirpandam curavit Joannes II. Hanc propositionem, quam Monachi Scythæ mordicus tuebantur: *unus e Trinitate passus est carne*, sua authoritate approbavit, & *Acœmetas* Monachos, qui eam, ceu Hæreticam, acrius insectabantur, habita Romæ Synodo damnavit, atque de illorum damnatione litteras ad Justinianum Imperatorem, & ad Senatores dedit. Pontificatum tenuit *Joannes* II. annos duos, menses quatuor, dies viginti sex; & mortuus est VI. Kalend. Junii, seu die vicesima sexta Maji anni DXXXV. Epistolam Joannis II. ad *Valerium* Episcopum supposititiam esse manifesto probant Ithacii, & S. Leonis sententiæ in illam intrusæ, stylus ab eo, quo aliæ genuinæ ejusdem Pontificis Epistolæ exaratæ sunt, plane diversus, mendax Consulum nota, & summus omnium virorum eruditorum consensus.

Post mortem Joannis II. vacavit Sedes dies sex, unde die tertia mensis Junii anni DXXXV. *Agapetus*, patria Romanus, electus & ordinatus est Pontifex Maximus, qui coactus est a *Theodato* Gothorum Rege Legationem suscipere ad *Justinianum* Imperatorem, eum rogaturus, ut ex Italia exercitum suum summoveret. Nulla affulgente spe conciliandæ pacis, quam Justinianus barbaro Principi concedere noluit; supremæ suæ Ecclesiasticæ potestatis argumentum dedit *Agapetus*, dum Constantinopoli degeret. *Anthimum* quippe Hæreticum Eutychianum, quem, post *Epiphanii* Patriarchæ Constantinopolitani obitum, *Teodora* Augusta Eutychianis partibus addicta, transferri curaverat, e Sede Constantinopolitana auctoritate Apostolica dejecit, & in ejus locum *Mennam* virum maxime orthodoxum subrogavit, sicut narrat *Liberatus* in Breviario cap. 21. Sedit *Agapetus* menses novem, die undeviginti, obiitque Constantinopoli, dum ad reditum in Italiam sese accingeret, die XXII. Aprilis anni DXXXVI. Sanctorum Fastis adscriptus est *Agapetus*, & colitur ad diem XXII. Aprilis in Martyrologiis MSS. Vaticano S. Petri, Barbarino, aliisque, & in Appendice ad Martyrologium Adonis.

Agapeto ad meliorem vitam translato, cessavit Sedes Pontificia dies quadraginta septem, ut ostendit Cl. *Pagius* ad annum DXXXVI. numer. XVI. Quare *Silverius* die octava Junii anni DXXXVI Pontifex Romanus consecratus est. Degebat adhuc Constantinopoli *Vigilius* Agapeti recens defuncti Diaconus & Apocrisarius. Is ambitionis æstu abreptus pollicitus est *Theodoræ* Augustæ, se, si crearetur Pontifex, damnaturum Synodum Chalcedonensem, & *Anthimum* atque *Severum* restituturum. Hujus spe facinoris hamum devoravit *Theodora*, & Vigilium in Sedem Apostolicam intrudere molita est, scripsitque ad *Belisarium* Romani exercitus ducem, qui tum Romæ aderat, ut Vigilium Pontificem eligendum curaret. At jam *Silverio* sedente nihil factum, quam ut Vigilius ambitiosior videretur. Effrænatæ ambitionis suæ consilia non deposuit Vigilius, sed Belisario duo auri centenaria pactus, & ab Imperatrice *Theodora* commendatus obtinuit tandem, ut *Silverius* Patarani in exilium mitteretur, & ipse in ejus locum intruderetur. Verum, hanc injustam depositionem cum non approbasset Justinianus Imperator, sed Silverio legitimo Pontifici Romam redire jussisset, non permisit Belisarius, ut Silverius suam Sedem recuperaret, sed Sanctissimum illum Pontificem Vigilio ipsius æmulo, ejusque Sedis invasori inhumaniter tradidit, a quo in *Palmariam*, vel *Ponticum* Insulam deportatus est, ibique inedia confectus Martyr obiit die XII. Kalend. Julii, seu die XX. mensis Junii anni DXXXVIII. Epistola Silverii Papæ Vigilio inscripta, cujus initium: *multis te transgressionibus irretitum, &c.* suppositititia est, ut facile colligitur ex styli barbarie, ex falsa nota consulari, & ex sententiis emendicatis ex Epistola *Felicis II.* ad Acacium Episcopum Constantinopolitanum. Suppostititia itidem est *Amatoris* Episcopi Augustodunensis ad Silverium Epistola, ut demonstrant mendax consularis nota, styli barbaries, phrases & sententiæ ex legibus Honorii, & Arcadii Imperatorum, ex Leone, & Gregorio Magno Romanis Pontificibus, & ex Bonifacio Episcopo Moguntino depromptæ; quæ tamquam laciniæ huic Epistolæ sunt assutæ. Denique, Epistola Silverii Papæ ad *Amatorem* pariter suppositititia est, ut fatetur ipsemet Baronius, qui eamdem censuram duabus præcedentibus *Silverii* Epistolis inurere debuisset.

D. Qui potuit *Vigilius* Pontificatum tenere, quem tot malis artibus adeptus fuerat?

M. Mortuo *Silverio* vero & legitimo Papa, Clerus Vigilii Pontificatui consensit, & illum, quem antehac, ceu Antipapam, execrabatur, legitimis habitis Comitiis verum Ecclesiæ Pastorem declaravit, tam *Belisarii* potentia coactus, quam Ecclesiasticæ pacis & unitatis studio permotus. Porro, quod mirum est, statim ac *Vigilius* Pontifex Romanus renunciatus est, in alterum virum mutatus est, Spiritus Sancti gratia, quæ tarda molimina nescit, intus in ipso operante. Quapropter omnia, quæ alias contra Synodi Chalcedonensis fidem ad *Theodoram* Augustam sacrilege scripserat, solemni professione delevit, ut videre est in ejus Epistola ad Justinianum Imperatorem scripta, in qua quatuor Synodos Oecumenicas, & S. Leonis Epistolas se recipere, & secundum eas credere

dere professus est. Hac fidei professione *Vigilius* Papa *Theodoræ* Augustæ, quæ se delusam vidit, odium sibi conflavit, & occasione trium Capitulorum, quæ in quinta Synodo generali fuerunt proscripta, gravissima incommoda passus est, quæ in præcedentibus nostris Colloquiis jam a nobis sat superque descripta denuo hic attingere superfluum omnino esset. Mortuus est Vigilius Papa in Sicilia, dum Romam rediret, oppressus dolore calculi anno DLIV. ut colligitur ex *Marcellini* continuatore, qui mortem Vigilii Papæ illigat anno post *Basilii* Consulatum decimo tertio, qui concurrit cum prædicto anno DLIV. (*a*)

„ (*a*) Catalogus vetustissimus Romanorum „ Pontificum, ceptus ab Hormisda & cum Vigi„ lio absolutus, verbis istis clauditur: *Vigilius se„ dit annos decem & octo, menses duos, dies no„ vem. Moritur in Syracusis secunda feria, nocte, „ septimo Idus Junias indictione tertia.* Quibus ex „ verbis censet Blanchinus in enarrat. *Pseudo„ Athanasiana*, qui hunc correctiorem evulgavit; „ cum antea luce publica donatus fuisset ab ejus „ Patruo Francisco Blanchino, censet, inquam, „ authorem hujus vixisse circa annum DLV. Por„ ro hinc discimus locum, annum, mensem, „ diemque emortualem Vigilii: obiit enim Sy„ racusis an. DLV. die & mense ibi indicatis. In„ de pariter inferre licet Vigilium dies Sedis suæ „ computare cepisse ab anno, quo ordinatus est „ Silverio adhuc vivente, die postera, qua il„ le (Silverius scilicet) in exilium actus est.

Vigilium Papam excepit *Pelagius* hujus nominis I. die undecima mensis Aprilis anni DLV. sedit annos quatuor, menses decem, dies decem & octo, obiitque die I. mensis Martii anni DLX. Recte observat Cardinalis Baronius, Epistolam Pelagii ad *Vigilium* Episcopum suspectam esse, tum quia ex Ithacii, Sanctique Leonis verbis contexta est; tum quia etiam falsa est consularis nota.

Post Pelagii Papæ mortem cessavit Sedes menses quatuor, dies XVII. & *Joannes* hujus nominis III. Pontificatum iniit die XVIII. mensis Julii anni DLX. Ecclesiam Romanam gubernavit annos XII. menses XI. & dies XXVI. obiitque die XIII. mensis Julii anni DLXXIII. Epistolam *Episcopis per Germaniæ, & Galliæ Provincias constitutis*, quæ dicitur a Joanne Papa III. scripta, commentitiam esse post Baronium omnis eruditorum natio profitetur.

Joanne III. e vivis sublato, fuit Interpontificium mensium decem, viginti & unius dierum, ac die tertia mensis Junii anni DLXXIV. *Benedictus* hujus nominis I. a Græcis *Bonosus* nuncupatus, natione Romanus, ordinatus est Pontifex. Tam diuturni Interpontificii causa in tumultus a Longobardis Italiam tum temporis turbantibus excitatos referenda videtur. Sedit *Benedictus* annos IV. mensem I. dies XVIII. & e vivis excessit, die XXX. mensis Julii anni DLXXVIII. Existimavit Card. Baronius, Epistolam, quæ tribuitur *Benedicto I.* & directa est ad *Davidem* Episcopum, genuinam esse; quam tamen adulterinam & Pseudepigrapham esse, utpote falsa consulatus nota obsignatam, fatentur periti hujus temporis Critici.

Post mortem *Benedicti I.* vacavit Sedes menses quatuor, & die tricesima mensis Novembris anni DLXXVIII. Divo Andreæ Apostolo sacra *Pelagius II.* Pontifex Romanus fuit ordinatus. Sedit annos XI. menses II. dies X. & migravit e vita die octava mensis Februarii anni DXC. Epistola Pelagii II. ad *Episcopos per Campaniæ, & Italiæ Provincias* scripta, supposititia est, & conflata ex variis sententiis *Prosperi*, *Hilarii*, *Acacii*, *Ennodii*, Conciliorumque, *Romani* sub Symmacho, *Toletani* VIII. & *Lateranensis* sub Martino I. Ejusdem farinæ esse fragmentum Epistolæ ejusdem Pelagii ad *Benignum* Archiepiscopum, Epistolam ad *Joannem* Constantinopolitanum, & Epistolam ad Episcopos Germaniæ, & Galliæ *de novem Præfationibus inter Missarum solemnia decantandis*, censent viri eruditi.

Denique, post Pelagii II. obitum, cessavit Pontificatus menses VI. dies XXV. & die tertia mensis Septembris anni DXC. *Gregorius Magnus* hujus nominis I. consecratus est Pontifex Romanus. Is est, qui Donatistas in Africa compressit, Schisma in Ecclesia occasione damnationis trium Capitulorum exortum abolere pro viribus studuit, *Joannis* Constantinopolitani Episcopi, se *Oecumenicum*, seu *universalem* Episcopum inscribentis, fastum coercuit; nec voluit ipse Episcopus *universalis* appellari. Salutis animarum sitientissimus, *Augustino* viro sanctissimo, aliisque Monachis in Angliam missis, Gentis hujus conversionem adgressus est, & ad optatum exitum feliciter perduxit. Disciplinæ Ecclesiasticæ instaurandæ cupidissimus, sedulo curavit ut digniores ad Episcopatus & Beneficia promoverentur; Simoniæ labes, quæ instar cancri longe lateque serpebat, in electionibus penitus extirparetur, Beneficiorum pluralitas tolleretur, Viduæ, Pauperes, & Pupilli non opprimerentur; Episcoporum jura illæsa servarentur, & Disciplina Monastica in omnibus Cœnobiis perfecte vigeret. Is denique fuit, qui totus germanæ pietati alendæ & avitæ fidei tuendæ deditus, Officia Ecclesiastica, cantum, & Missæ ordinem in meliorem formam redegit, stationes per Basilicas & Cæmeteria Martyrum sollicitus ordinavit; in admonendis de officio Principibus, eorumque legibus temperandis Apostolicam prodidit libertatem; *Serenum* Massiliensem Episcopum, ob confractas Imagines, redarguit; dumque Constantinopoli, antequam Pontifex eligeretur, munere Nuncii Apostolici sub Pelagio II. fungeretur, cum *Eutychio* illius urbis Episcopo, qui corporum resurrectionem negabat, congressus est, eumque egregie confutavit, ac palam erroris convicit. Uno verbo, S. Gregorius sanctimoniæ & doctrinæ fama adeo claruit, ut *Magni* cognomento decoratus, Ecclesiæ Sanctissimus Doctor habeatur. Eum fuisse Monachum in confesso est apud omnes, sed an *S. Equitii*, vel S. Benedicti Regulam fuerit professus? lis adhuc sub judice est. *Baronius* in Annalibus, *Henschenius & Papebrochius* Societ. Jesu in Prolegomenis ad Vitam S. Gregorii in Actis Sanctorum mensis Martii ad diem

diem XII. negant, S. Gregorium fuisse professum Regulam S. Benedicti; affirmat vero doctissimus *P. Joannes Mabillonius* tom. I. sæculi Benedictini, tom. 2. veterum Analect. in Dissertatione *de Vita Monastica Gregorii Papæ I.* & in Appendice secunda in calce tom. I. Annalium Benedictinorum. Tot inter viros eruditos, quos impense veneror, nolo meum interponere judicium. Nec certe is sum, qui tantam velim, aut possim componere litem. Sedit S. Gregorius annos tredecim, menses sex, dies decem, & ad Deum migravit die XII. mensis Martii anni DCIV. qua die a fidelibus colitur. Plura legesis in Vita S. Gregorii Magni, quam accurate & eleganter descriptam doctissimi Patres Benedictini Congregationis S. Mauri præfixerunt quarto tomo recentis illius Operum Editionis, quam secundis curis adornarunt. Nos vero de Operibus, quæ edidit S. Gregorius Magnus Papa, data opera in proximo Colloquio disseremus.

D. In hac serie Pontificum, qui sexto sæculo Sedem Romanam tenuerunt, nihil obscurum & implexum apparet, sed potius anni Ordinationum & obitus singulorum Pontificum suis locis accurato ordine digeruntur ac disponuntur. Exhibe nunc seriem Episcoporum, qui sexto sæculo præfuerunt Ecclesiæ Alexandrinæ, quorum successionem in Colloquio tertio in Historiam quinti Ecclesiæ sæculi terminasti in *Joanne Mela*, seu *Hemula* Episcopo Alexandrino, Hæretico Eutychiano, qui vita functus est anno circiter quingentesimo sexto?

M. In texenda serie Episcoporum, qui sexto sæculo præfuerunt Ecclesiæ Alexandrinæ, sequar Chronotaxim doctissimi *Pagii*, quæ mihi præ cæteris aliis magis probatur. *Joannem* itaque *Melam*, seu *Hemulam* Episcopum Alexandrinum Hæreticum Eutychianum circa annum DVI. defunctum excepit *Joannes Nicæota* Hæreticus etiam Eutychianus, qui præfuit Ecclesiæ Alexandrinæ annis XI. & obiit anno DXVII. Joanne Nicæota demortuo, *Dioscorus junior* Hæreticus quoque Eutychianus, Episcopus Alexandrinus renunciatus est, qui, postquam sedisset duos annos, menses duos, & dies viginti, discessit e vivis die octava mensis Octobris anni DXIX. Dioscoro juniori in Sede Alexandrina suffectus est *Timotheus* Hæreticus itidem Eutychianus, qui Ecclesiæ Alexandrinæ præfuit annos XVII. menses duos, & dies XIV. obiitque die septima Februarii anni DXXXVII.

Post Timothei Alexandrini Episcopi obitum, *Theodosius*, & *Gajanus* Hæretici Eutychiani de Sede Alexandrina altercati sunt. *Gajanus* stabat ab iis, qui Corpus Christi Domini ante resurrectionem incorruptibile fuisse pertendebant. *Theodosius* vero Chalcedonensem Synodum Oecumenicam non recipiebat; indeque Alexandrina civitas duas in Sectas divisa est, *Gajanitarum* videlicet, & *Theodosianorum*, seu *Incorrupticolarum*, & *Corrupticolarum*, sicut testatur *Liberatus* in *Breviario* cap. 20. ubi hoc Schisma egregie describit. Verum, *Gajanus* per annum dumtaxat tenuit Episcopatum, & *Theodosius* post annum & quatuor menses Sede Alexandrina ab Imperatore Justiniano dejectus est, & in exilium relegatus mense Novembri an. DXXXVIII. Theodosio in Sede Alexandrina successit *Paulus*, qui anno circiter quingentesimo quadragesimo primo homicidii convictus e Sede pulsus est, & successorem habuit *Zoilum*, qui anno DLI. Sede quoque depositus est, & in ejus locum substitutus *S. Apollinaris*, qui annis XIX. Ecclesiam Alexandrinam rexit, & ad Deum migravit anno DLXIX. S. Apollinari successit *Joannes*, qui, postquam sedisset annos novem, abiit e vivis anno DLXXX. habuitque successorem *S. Eulogium*, qui XXVII. annis præfuit Ecclesiæ Alexandrinæ, ac diem extremum clausit anno DCVII. Colitur S. ille Patriarcha die XII. mensis Septembris. Non minus doctrina, quam sanctitate claruit, ut videre est in Bibliotheca Photii Cod. CCVIII. CCXXV. CCXXVI. CCXXVII. CCXXX. & CCLXX. ubi multa ejus Operum fragmenta recitantur. Doctissimus etiam noster *Combefisius* tom. I. Auctarii Bibliothecæ Græco-Latinæ pag. 651. publicavit Sermonem S. Eulogii Patriarchæ Alexandrini in *diem Festum Palmarum, & in pullum Asini*. Hæc est series Episcoporum, qui sexto nominis Christiani sæculo Alexandrinam Sedem tenuerunt.

Advertere tamen debes, Cardinalem Baronium Catalogo Episcoporum, qui sexto sæculo Ecclesiam Alexandrinam rexerunt, accensere quemdam *Asterium* Catholicum, quem anno DXXI. Ecclesiæ Alexandrinæ præfuisse affirmat. Verum, doctissimus *Pagius* ad annum DXXI. num. XVIII. probat, *Asterium* non fuisse Episcopum Alexandrinum, quia nec in Chronico Nicephori, nec in Tabulis Theophanis, nec in Historia Patriarcharum Coptitarum, nec in Chronico Victoris Tununensis, nec in Breviario *Liberati*, nec in libro Leontii de Sectis Act. 5. qui Episcoporum Alexandrinorum seriem accurate digesserunt, nulla omnino *Asterii* Episcopi Alexandrini mentio fit. Præterea, ex serie Episcoporum Alexandrinorum, quam mox texui, constat *Timotheum* Eutychianum Hæreticum præfuisse Ecclesiæ Alexandrinæ ab anno DXIX. usque ad annum DXXXVII. non potuit ergo *Asterius* Sedem Alexandrinam occupare anno DXXI. ut sibi persuasit Baronius. Non improbabilis tamen est conjectura eruditi *Garnerii* Soc. Jesu, qui in Notis in *Liberatum* cap. 19. autumat, Timotheum Episcopum Alexandrinum Hæreticum Eutychianum cognominatum fuisse *Asterium*, eo quod Alexandrini post S. Cyrilli obitum cognomines Episcopos agnominibus discernere soliti essent; sicque *Timotheum* unum *Ælurum*, & alterum *Salofaciolum* nominasse, a quibus, ut tertium ejusdem nominis distinguerent, *Asterium* appellarunt. (*a*)

„ (*a*) Garnerii animadversionem de duplici appellatione unius ejusdemque viri commentitiam „ reputat Assemanus, & ex eo ego in nota „ ad Colloq. II. hujus seculi; ubi & potiorem „ reputavi ejusdem Assemani conjecturam, quod „ scilicet duo essent eodem tempore Alexandrinorum „ Patriarchæ; alterquidem ab Eutychianis as-

sum-

„ sumptus, nempe Timotheus; alter vero, Asterius nomine, datus Alexandrinis orthodoxis a Justino Imp. Patriarcha. Constanter enim Asterius Patriarcha dicitur a Metaphraste in Vita S. Aretæ.

D. In Colloquio tertio, quod habuimus in Historiam quinti Ecclesiæ sæculi, exhibuisti seriem Episcoporum, qui Ecclesiam Antiochenam in quinto sæculo gubernarunt usque ad annum DXII. quo *Flavianus* Episcopus orthodoxus ab *Anastasio* Imperatore Sede Antiochena dejectus in exilium missus est, atque in ejus locum intrusus *Severus* Hæreticus Eutychianus: nunc producere debes seriem Episcoporum, qui ab anno DXII. usque ad finem sexti sæculi eidem Ecclesiæ Antiochenæ præfuerunt.

M. Flaviano orthodoxo Episcopo anno DXII. ab Anastasio Imperatore Sede Antiochena dejecto, *Severus* Hæreticus die sexta Novembris ejusdem anni Sedem Antiochenam occupavit, & ipso ordinationis suæ die conscenso pulpito, Concilium Chalcedonense damnavit. Verum, iste Hæreticus Antiochiæ Antistes damnatus in Synodo Constantinopolitana anno DXVIII. congregata, Sedem Antiochenam deserere coactus est mense Septembri anni DXVIII. postquam illam occupasset annos quinque, ac menses decem; indeque venit in Ægyptum, & postea Alexandriam adiit. *Severo* Sede Antiochena, quam invaserat, abdicato, in ejus locum *Paulus* mense Junio anni DXIX. substitutus est, qui, postquam tribus annis incompletis sedisset, Episcopatui Antiocheno cessit, anno DXXI. eique successit *Euphrasius*, de quo *Theophanes* hæc habet: *Euphrasius Antiochenus Chalcedonensis Synodi Patrum, & ipsius Papæ Romani nomina Diptychis expunxit. Postmodum metu pœnitens redditus, quatuor Synodos publice promulgavit.* Justinus quippe Imperator initio Imperii sui lege lata sanxerat, ut Episcopi, qui Synodum Chalcedonensem suscipere detrectarent, Sedibus suis pellerentur. Hujus legis Imperialis meminit *Liberatus* in Breviario cap. 19. *Euphrasius* rexit Ecclesiam Antiochenam annis quinque, & obiit anno DXXVI. successorem habuit *Euphremium*, qui Episcopus Antiochenus ordinatus est anno DXXVII. & præfuit Ecclesiæ Antiochenæ septemdecim annis, hoc est, usque ad annum quingentesimum quadragesimum quintum. Euphremio eodem anno DXLV. successit in Sede Antiochena *Domnus*, seu *Domninus*, qui quatuordecim annos sedit, & vita functus est anno quingentesimo quinquagesimo nono. *Domnum*, seu *Domninum*, excepit *Anastasius I.* qui, ut mox ostendam, diversus fuit ab *Anastasio Sinaita*, cum quo tamen Baronius perperam illum confudit. Hic *Anastasius I.* Sedem Antiochenam rexit annos undecim, hoc est, usque ad annum DLXX. quo anno a Justino juniore Imperatore Antiochena Sede dejectus est, & in ejus locum provectus est *Gregorius* Monachus, & Byzantinorum Monasterii Apocrisarius. At mortuo Gregorio anno DXCIII. postquam annos XXIII. Antiochiæ sedisset, rursus Anastasius I. *Mauritio* Imperatore in Sedem Antiochenam restitutus est die XXV. mensis Martii anni DXCIII. seditque post restitutionem suam sex annis incompletis, hoc est, usque ad finem anni quingentesimi nonagesimi octavi, quo anno mortuus est, eique successit *Anastasius II.* Martyr nuncupatus, eo quod in Judæorum conversionem ardentissimo zelo incumbens, ab illis per summam crudelitatem fuerit excarnificatus anno ineunte duodecimo Episcopatus sui Antiocheni, idest, anno DCIX. sub *Phoca* Imperatore. Hæc est series Episcoporum, qui sexto sæculo Ecclesiæ Antiochenæ præfuerunt.

Verum, quia nonnulli post Card. Baronium confundere solent *Anastasium* Patriarcham Antiochenum hujus nominis primum cum *Anastasio Sinaita*; ad istum præcavendum errorem non abs re erit, quatuor hic distinguere *Anastasios*, qui pietatis laude in Ecclesia celeberrimi fuerunt, quorum primus est *S. Anastasius* Presbyter Monachus Sinaita in Arabia, qui vixit in monte Sinai, & Monachorum Asceteriis circumquaque obsitus fuit. Ejus memoria celebratur a Græcis die XX. mensis Aprilis, & in quibusdam Menologiis die XXI. ejusdem mensis. Quantum pro Ecclesia Dei usque ad senectutem S. ille Monachus Anastasius Sinaita laboraverit, ostendunt varia ejus scripta, quæ, ut in proximo Colloquio videbimus, immerito Baronius, aliique viri doctissimi tribuunt Anastasio Patriarchæ Antiocheno hujus nominis primo, quem male *Sinaitam* appellant, cum tamen Anastasius Patriarcha Antiochenus hujus nominis primus fuerit plane diversus ab Anastasio Sinaita, ut docent *Leo Allatius* in Diatriba *de Simeonum scriptis*, *Henschenius* ad diem XXI. mensis Aprilis in vita Sancti Anastasii Sinaitæ, & Sancti Anastasii Patriarchæ Antiocheni hujus nominis primi, aliique recentiores doctissimi. Tertius Anastasius pietatis laude insignis, fuit *Sanctus Anastasius* Patriarcha Antiochenus, hujus nominis secundus, qui, ut mox observatum est, a Judæis per summam immanitatem excarnificatus est. Postremus Anastasius, qui sanctitatis fama commendatur, est *Sanctus Anastasius* Persa, qui anno DCXXVII. ad *Chosroen* Persarum Regem, quod Fidem Christianam negare nollet, perductus, illius jussu variis modis cruciatus, martyrio tandem coronatus est, multisque miraculis claruit. Ex hac itaque quatuor Anastasiorum distinctione, liquido patet, errasse illos Scriptores, qui Anastasium Patriarcham Antiochenum hujus nominis primum, cum Anastasio Sinaita confuderunt, & unum eumdemque fecerunt.

D. Breviter, sed accurate descripsisti seriem Episcoporum, qui sexto sæculo Antiochenæ Ecclesiæ præfuerunt. Veniamus nunc ad Episcopos, qui eodem sæculo Ecclesiam Hierosolymitanam gubernarunt.

M. Seriem Episcoporum, qui Ecclesiam Hierosolymitanam quinto sæculo gubernarunt, perduxi usque ad *Eliam* Orthodoxum Episcopum, qui sicut jam commonstravi in Colloquium III. in Historiam quinti Ecclesiæ sæculi, jussu Anastasii Imperatoris, instigante *Severo* Episcopo Antio-

chena

cheno Hæretico Eutychiano, Sede Hierosolymitana anno DXIII. dejectus est, & in ejus locum subrogatus *Joannes* Marciani filius, quod sponderet, se in suam communionem admissurum *Severum* Hæreticum. Sed promissis tamen non stetit. Ordinatus quippe Hierosolymorum Episcopus *Joannes*, & a *S. Saba* Abbate a *Severi* communione, ad Synodi Chalcedonensis professionem adductus, coegit anno DXVIII. imperante Justino, Synodum Hierosolymitanam, in qua *Severus* cum impiis ejus dogmatibus damnatus est. Hic *Joannes* hujus nominis III. rexit Ecclesiam Hierosolymitanam annis undecim, hoc est, ab anno DXIII. quo *Elias* depositus est, usque ad annum DXXIV. Joanni in Sede Hierosolymitana successit eodem anno DXXIV. *Petrus Eleutheropolita*, qui, ut videre est tam in tabulis Theophanis, quam in Chronico Nicephori, sedit annos viginti, ac subinde mortuus est anno DXLIV. mortuo. Petro Eleutheropolitæ suffectus est *Macarius* hujus nominis II. qui anno DLII. accusatus tanquam errorum Origenis assertor ac defensor, Sede privatus est, & in ejus locum substitutus fuit *Eustochius*, qui annis XI. præfuit Ecclesiæ Hierosolymitanæ, superstite adhuc Macario. Verum anno DLXIII. Eustochio e Sede Hierosolymitana pulso, iterum Macarius, postquam Origenem, Didymum, atque Evagrium damnasset, ac Fidei Catholicæ professionem exhibuisset, in pristinam Sedem restitutus est, eamque tenuit usque ad annum DLXXII. ex quo recte doctissimus *Pagius* duos corrigit errores, in quos circa Macarium Episcopum Hierosolymitanum impegit Card. Baronius. Primus error in hoc consistit, quod Eminentissimus Annalium parens affirmet, Macarium in Sedem Hierosolymitanam restitutum fuisse ante quintam Synodum generalem, quæ celebrata est anno DLIII. Alter error in hoc versatur, quod velit idem Annalium Scriptor, *Joannem* hujus nominis IV. Episcopum Hierosolymitanum successisse Eustochio anno DLXI. Utrumque Baronii errorem refellit *Pagius*. Testimonio Evagrii auctoris coævi, qui lib. 4. Histor. Ecclesiast. cap. 39. diserte asserit, Macario in Sedem Hierosolymitanam restituto, Imperatorem Justinianum publicasse Edictum de incorruptibilitate Corporis Christi. Porro, certum est, istud Edictum ab Imperatore Justiniano promulgatum dumtaxat fuisse initio anni DLXV. Unde sequitur primo, Macarium in Sedem Hierosolymitanam fuisse tantummodo restitutum circa annum DLXIII. ac subinde post quintam Synodum generalem. Secundo, sequitur, Joannem hujus nominis IV. Episcopum Hierosolymitanum non successisse Eustochio anno DLXI. ut putat Baronius, quia Eustochius fuit dumtaxat Sede Hierosolymitana dejectus anno DLXIII. quo anno Macarius in Sedem Hierosolymitanam restitutus est, eamque, ut mox dixi, tenuit usque ad annum DLXXII. Quapropter, juxta accuratiorem Chronologiam dicendum est, Macario Episcopo Hierosolymitano an. DLXXII. defuncto, successisse Joannem hujus nominis IV. qui, teste Nicephoro in Chronico, sedit annos viginti duos, & ex hac vita migravit an. DXCIV. Denique, Joanni suffectus est *Amos*, qui, juxta Nicephorum in Chronico, & tabulas Teophanis insertas, Ecclesiam Hierosolymitanam rexit annos octo, & ex hac vita migravit an. DCI. Habes hic breviter descriptam seriem Episcoporum, qui sexto sæculo Hierosolymitanæ Ecclesiæ præfuerunt.

D. Hic tantummodo desideratur series Episcoporum, qui sexto sæculo Sedem Constantinopolitanam occuparunt; quam semel cum descripseris, perspectam habebo seriem Episcoporum, qui sexto nominis Christiani sæculo præcipuas Ecclesiæ Sedes, Romanam videlicet, Alexandrinam, Antiochenam, Hierosolymitanam, & Constantinopolitanam tenuerunt.

M. *Macedonius* hujus nominis II. qui, sicut jam observavimus in Colloquio III. in Historiam quinti Ecclesiæ sæculi, Sedem Constantinopolitanam inierat anno quadringentesimo nonagesimo sexto, rexit Constantinopolitanam Ecclesiam annos quindecim, ut habet Baronius, idest, usque ad annum quingentesimum undecimum, quo anno ab Imperatore Anastasio Sede expulsus in exilium missus est, eo quod istud additamentum: *Unus e Trinitate crucifixus est*, Trisagio ab eodem Imperatore factum approbare renueret. Hunc Macedonium *Zenonis* Imperatoris Henotico subscripsisse negat Baronius, & *Theodorum* Lectorem lib. 2. qui illud diserte asserit, non esse audiendum contendit. At id non tantum Theodorus, sed & *Theophanes* & *Liberatus* in Breviario litteris consignarunt. Quo fit ut negari haud possit, Macedonium Episcopum Constantinopolitanum Zenonis Henotico subscripsisse. Cæterum, nec Schismaticus, nec Hæreticus ob id dici potest *Macedonius*. Chalcedonensem siquidem Synodum generalem summa veneratione excepit, & ab illius decretis, quæ fidem spectant, nunquam recessit; quamvis ad majora vitanda incommoda *Diodorum* Tarsensem, *Theodorum* Mopsuestenum, *Theodoretum* Cyrensem, & quosdam alios Episcopos, qui in Concilio Chalcedonensi tanquam Catholici habiti fuerant, anathematizarit. Qua in re culpa vacasse Macedonium satis ostendit quinta Synodus generalis, quæ tria Capitula damnavit. Macedonio demortuo in exilio anno DXV. multisque calamitatibus pro Fide Catholica oppresso sacrum cultum a Græcis exhibitum indicant MS. Synaxarium, quod in Collegio Claromontano Soc. Jesu Parisiis asservatur, varia Menæa Græca MSS. & excusa, quæ habentur apud *Maximum* Cytheorum Episcopum pro Ecclesiis Orthodoxis. Ablatum quidem fuit ad tempus Macedonii nomen e sacris Diptychis, sed in ea postea fuit restitutum. Plura de Sancto Macedonio Episcopo Costantinopolitano legi possunt in ejus vita, quam *Henschenius* in Actis Sanctorum scripsit ad diem XXV. mensis Aprilis.

Sede Constantinopolitana ab Imperatore Anastasio dejecto Macedonio, & in exilium misso anno quingentesimo undecimo suffectus est *Timotheus* Hæreticus Eutychianus, qui, ut scribit

Theo-

Theophanes; *primum Ecclesias ingressus Macedonii depofuit imagines, atque ita demum facris operam demit: Joannemque Nickutam Alexandrinum Epifcopum* (Hæreticum pariter Eutychianum) *in Ecclesiæ tabulas recenfuit, Synodicafque literas ad eum fcripfit*. Præfuit hic Hæreticus *Timotheus* Ecclesiæ Conftantinopolitanæ annos fex, hoc eft, a fine anni DXI. quo depofitus, & in exilium miffus eft Macedonius, ufque ad an. DXVII. ut videre eft in Chronico Nicephori, & in tabulis Theophanis. Poft mortem Timothei *Joannes* Cappadox die XVII. Aprilis anni DXVIII. ordinatus eft Epifcopus Conftantinopolitanus, & ab eo populus confeftim petiit, ut excommunicatis Eutychianis, eorumque defenforibus, Chalcedonenfe Concilium cum Sancti Leonis Papæ, & *Euphrafii*, ac *Macedonii* Epifcoporum Conftantinopolitanorum nominibus facris Diptychis reftitueretur; quod cum importunis populi clamoribus convictus *Joannes* præftitiffet, collecta eft Conftantinopoli Synodus, in cujus principio oblatus eft libellus a Monachis Orthodoxis quinque petitiones continens, quarum prima erat, ut Euphemius, & Macedonius in exilio mortui facris Diptychis inferiberentur: II. ut qui propter eorum caufam relegati fuerant, propriis gradibus reftituerentur. III. ut Synodi Conftantinopolitana, Nicæna, & Ephefina Diptychis prædicarentur. IV. ut Sanctus Leo Papa in iifdem enumeraretur. V. ut attentata contra Chalcedonenfem Synodum removerentur, & blafphema verba contra ipfam per *Severum* Hæreticum prolata anathemati fubjicerentur. Cognitis itaque & examinatis quinque hujus libelli petitionibus, Epifcopi in hac Synodo congregati *Severum* anathemate perculerunt, quinque decreta ediderunt, quorum exemplaria ad omnes Orientis Epifcopos mifit *Joannes* Patriarcha Conftantinopolitanus. Recte autem obfervat Cl. *Pagius* ad annum DXX. hunc Joannem Epifcopum Conftantinopolitanum primum fuiffe, qui Patriarchæ *Oecumenici*, feu *univerfalis* nomen aufus eft ufurpare. Sedem Conftantinopolitanam unum duntaxat tenuit annum, menfes decem, & aliquot dies, obiitque die XXV. menfis Februarii anni DXX. Joanni Epifcopo Conftantinopolitano e vivis erepto fucceffit *Epiphanius*, qui fedit annos quindecim, & menfes tres, mortemque oppetiit die quinta menfis Junii anni DXXXV. Defuncto Epiphanio, *Anthimus* Epifcopus Trapezuntinus Hæreticus Eutychianus, agente *Theodora* Augufta Eutychianis partibus vehementer addicta, ad Sedem Conftantinopolitanam translatus eft. Sed *Anthimum*, poftquam hanc Sedem menfibus decem tenuiffet, *Agapetus* Summus Pontifex tum temporis Conftantinopoli degens tanquam Hæreticum & injuftum invaforem exauctoravit, & in ejus locum *Mennam* fubrogavit. Rem geftam narrat *Liberatus* in Breviario cap. 21. his verbis, quæ ad ftabiliendum Romani Pontificis Primatum maxime funt obfervanda: *Petentibus*, inquit, *Principibus*, *ut Anthimum Papa*, fcilicet Agapetus, *in falutatione & communione fufciperet, illa fieri inquit poffe, fi fe libello probaret Orthodoxum, & ad Cathedram fuam reverteretur. Impoffibile effe ajebat translatitium hominem in illa Sede permanere: Augufta vero clam promittente munera multa, in hoc Papa perftitit ne ejus audiret petitionem; Anthimus vero videns fe Sede pulfum, quod habuit, Imperatoribus reddidit, & difceffit, ubi eum Augufta patrocinio fuo tuetur. Tunc Papa Principis favore Mennam pro eo ordinavit Antiftitem, confecrans eum manu fua in Bafilica Sanctæ Mariæ*. Mennas itaque a Summo Pontifice Agapeto die XIII. menfis Martii anni DXXXVI. fuit confecratus Epifcopus Conftantinopolitanus, feditque annos XVI. menfes fex, ut teftatur *Nicephorus* in Chronico, & mortuus eft ineunte menfe Augufto anni DLII. (*a*). Colitur *Mennas* in Martyrologio Romano die XXV. menfis Augufti, quemadmodum in Menologio Græcorum. Mortuo Menna, confeftim *Eutychius* electus eft Epifcopus Conftantinopolitanus, qui anno fequenti, feu DLIII. Vigilio Papæ fidei fuæ profeffionem exhibuit, eumque Epiftola a fe & ab *Apollinari* Alexandrino, *Domno* Antiocheno, & *Elia* Theffalonicenfi Patriarchis fubfcripta, rogavit ut Concilium ad trium Capitulorum caufam terminandam tandem inchoaret. Eutychius Ecclefiam Conftantinopolitanam rexit annos XII. & menfes circiter quinque, id eft, ufque ad annum DLXV. quo anno Sede fua ab Imperatore Juftiniano depofitus eft, & in exilium miffus, eo quod fubfcribere nollet Edicto, quod eodem anno publicavit ad ftabiliendam cum Eutychianis incorruptibilitatem Corporis Chrifti ante Refurrectionem. Amoto a Sede Conftantinopolitana Eutychio, *Joannes Scholafticus* die XII. menfis Aprilis ejufdem anni DLXV. ordinatus eft Epifcopus Conftantinopolitanus qui annos duodecim & menfes quinque utrimque incompletos præfuit Ecclefiæ Conftantinopolitanæ, & obiit anno DLXXVII. Mortuo *Joanne Scholaftico*, Eutychius, poft annos duodecim exilii, ab Imperatore Tiberio revocatus eft, & in Sedem Conftantinopolitanam, die III. Octobris ejufdem anni DLXXVII. reftitutus, quam tenuit ufque ad annum DLXXXII. quo vita functus eft die VI. menfis Aprilis, quatuor fcilicet menfibus ante mortem Tiberii Imperatoris, quam ipfe prænunciavit, tefte *Euftathio* Presbytero in vita Sancti illius Præfulis, cujus fuit familiaris domefticus, & ab ejus latere nunquam difceffit. Hæc vita extat apud *Henfchenium* in Actis Sanctorum ad diem VI. Aprilis. Eutychium in Sede Conftantinopolitana excepit *Joannes* dictus *Jejunator* die XII. Aprilis ejufdem anni DLXXXII. Synodum Conftantinopoli indixit anno DLXXXVIII. ut titulum Epifcopi *Oecumenici*, feu *univerfalis*, quem immerito ufurpaverat, fibi Synodali decreto adfcifceret ac confirmaret; fed ei ftrenue obftitit Sanctus Gregorius M. Papa, ut videre eft in pluribus ejus Epiftolis, in quarum principio fuperbos titulos rara modeftia repudians, fe *Servum Servorum Dei* appellat. Græci hunc *Joannem* dictum *Jejunatorem* magnis exornant encomiis. *Theophilactus* lib. 7. cap. 6. pluribus eum laudat a voluptatum contemptu, a domitis animi perturbationibus, a jejuniis, a mifericordia in egenos,

nos, a studio paupertatis, ostenditque, *Mauricium* Imperatorem ejus lecto ligneo, stragulo, & penulæ maximum honorem detulisse. *Sophronius* Patriarcha Hierosolymitanus apud Photium in Bibliotheca Cod. ccxxxi. appellat Joannem Jejunatorem, *virtutis domicilium*. Colitur etiam a Græcis *Joannes Jejunator* die II. mensis Septembris, ut videre est in eorum Menologiis, & Synaxariis. At paulo durius a Latinis idem *Joannes Jejunator* habitus est, eo solo nomine, quod a Sancto Gregorio Summo Pontifice, ob usurpatum Episcopi *universalis* titulum, reprehensus sit. Verum, id sanctitati *Joannis*, dicti *Jejunatoris*, officere non debere, agnovit ipsemet Sanctus Gregorius Papa, quippe qui prædictum Joannem jam defunctum appellat *Sanctissimum* in Epistola LXIV. lib. 5. doctissimus etiam P. *Thomassinus* lib. I. *de Vetere, & nova Ecclesiæ Disciplina* ostendit, qua ratione possit ex Sanctorum Patrum Regulis Joannis Jejunatoris fama conciliari cum iis, quæ aculeatissime in eum a Sancto Gregorio Papa dicta sunt. De doctrina *Joannis Jejunatoris*, & de libris ab ipso editis, in proximo nostro Colloquio, quod erit *de Viris Illustribus*, opportunius differemus. Sufficiat hic observare, Joannem Jejunatorem sedisse annos undecim, menses quinque, & ad Deum migrasse anno DXCV. eique successisse *Cyriacum* Presbyterum, & Ecclesiæ Constantinopolitanæ Œconomum, cui Nicephorus in Chronico attribuit annos undecim. Quare *Cyriacus* Episcopus Constantinopolitanus, & Joannis Jejunatoris successor rexit Ecclesiam Constantinopolitanam, ab anno DXCV. usque ad annum DCVI. quo mortuus est. Sed de Episcopis, qui sexto sæculo præcipuas Ecclesiæ Sedes, Romanam videlicet, Alexandrinam, Antiochenam, Hierosolymitanam, & Constantinopolitanam tenuerunt, sat superque dictum sit.

COLLOQUIUM V.

De Viris Illustribus, qui sexto Ecclesiæ sæculo doctrina, & pietate claruerunt.

D. Legi nuperrime in aureo, omnibusque numeris absoluto libro, quem edidit doctissimus *Melchior Canus* de locis Theologicis, neminem posse esse Theologum omni laude cumulatum, nisi in Sanctorum Patrum, Scriptorumve Ecclesiasticorum Operibus diu fuerit exercitatus, atque ex jugi eorum lectione promptum & expeditum sibi paraverit argumentandi usum. Quapropter, te etiam atque etiam rogo, ut sicut Sanctorum Patrum, Scriptorumve Ecclesiasticorum, qui in præcedentibus sæculis floruerunt, genuina jam indicasti Opera, eaque a spuriis, vel dubiis accurate secrevisti, ita nunc Opera Sanctorum Patrum, & Scriptorum Ecclesiasticorum, qui sextum Ecclesiæ sæculum sanctitate, & eruditione illustrarunt, percensere ne graveris, ut postea ingenium meum in eorum lectione acuere, excolere, atque pro meo modulo exercere possim.

M. Quamvis Scriptores, qui sexto Ecclesiæ sæculo tam in Occidente, quam in Oriente claruerunt, ea nominis celebritate contendere haud possint cum illis, qui in præcedentibus sæculis floruerunt; negari tamen non potest, eorum doctrina & pietate Ecclesiam plurimum fuisse illustratam. In primis, ut auspicemur ab his Scriptoribus, qui in Occidente floruerunt, quatuor potissimum insignes Galliarum Episcopi sanctitatis palmam litteris excultæ sexto Ecclesiæ sæculo tulerunt, *Avitus* Viennensis, *Remigius* Remensis, *Gregorius* Turonensis, & *Cæsarius* Arelatensis, de quorum vita & scriptis breviter hic differemus.

Sanctus Avitus ex Illustrissima Prosapia ortus, utpote *Aviti* Imperatoris nepos, & *Isicii* Senatoris, ac postea Viennensis Episcopi filius, & *Apollinaris* Valentini Episcopi frater, electus est post mortem patris sui Isicii Ecclesiæ Viennensis Episcopus, quam sanctissime rexit, totamque Galliam ab infestatione Arianæ Hæreseos defendit. *Gundabodum* Burgundionum Regem Arianum ut ab Hæresi ad fidem Catholicam adduceret, Collationem in Burgundia habuit cum Arianis anno quingentesimo primo, in qua convicti fuere Ariani, & ex illis plures ad veram fidem conversi; Gundabodus tamen Rex pervicax in errore perstitit, sed *Sigismundus* ejus filius Catholicam Fidem amplexus est. Hæc Collatio Aviti Episcopi Viennensis coram Rege Gundabodo adversus Arianos habita legitur tomo IV. Conciliorum pag. 1318. Colitur S. Avitus die v. mensis Februarii, ut videre est in Martyrologio Romano, ad quam diem *Henschenius* Vitam S. Aviti recitat, quæ tamen, teste Cl. *Pagio* ad annum DXVI. num. V. cum tardius scripta fuerit, non magna ei fides adhiberi potest. Sancti Aviti Epistolas, Homiliarum, & Opusculorum fragmenta, atque poemata luce publica donavit, & eruditis notis illustravit *Sirmondus*, quæ inserta sunt tomo IX. Bibliothecæ maximæ Patrum Lugdunensis.

„ (a) Animadvertendum hic judico desiisse „ olim in Collectione Sirmondi epistolas quatuor „ Aviti, quas Baluzius dedit in suis Miscellaneis, „ quamquam antea Ferrandus minus tamen correcte primus dederat. Ex Sirmondo Epistolæ „ Aviti transierunt in Bibliothecam PP. Lugduni anno 1677. vulgatam; ideoque & ibi quatuor istæ desunt. At in Collectione omnium „ Operum Sirmondi, quæ Parisiis prodiit anno „ 1696. iterumque recusa est Venetiis anno 1740. „ quatuor istæ Epistolæ adjectæ sunt, additis fragmentis nonnullis Aviti de divinitate S. Spiritus.

Sanctus Remigius Episcopus Remensis, & Galliarum Apostolus nonnullas scripsit Epistolas. De initio illius Episcopatus, & de anno ejus obitus constans non est Scriptorum opinio. Probabilius tamen *Henschenius* ad diem VI. Februarii in Vita Sancti *Vedasti* Episcopi Atrebatensis, qui eodem, quo Remigius, floruit tempore, initium Episcopatus Remigii illigat Anno CCCCLVII. illius vero mortem consignat anno DXXX. ex quo sequitur, Remigium septuaginta tres annos in Episcopatu explevisse, quod innuere videtur Gregorius

rius Turonensis, qui in lib. *de Gloria Confessorum* c. 79. ait, Remigium *septuaginta, aut eo amplius in Episcopatu annos transegisse*, Remigius non est auctor *Explanationum*, seu *Commentariorum in Epistolas Pauli*, quia in his citatur Beatus *Benedictus*, *Sanctus Gregorius* Papa, & vita *Sancti Cesarii* Episcopi Arelatensis a Sancto Cypriano Tolonensi Episcopo post annum quingentesimum quadragesimum quartum elucubrata, quam Vitam Remigius Remensis Episcopus citare non potuit, quippe qui, ut mox observatum est, e vivis excessit anno quingentesimo tricesimo. Hinc *Labbeus* in Dissertatione de Scriptoribus Ecclesiasticis hanc explanationem, seu Commentarium in Epistolas Pauli foetum esse suspicatur *Haymonis* Alberstatensis Episcopi. *Usserius* vero in Historia Gottescalchi, & quidam alii, hunc Commentarium Remigio Lugdunensi Episcopo tribuunt. *Albertinus* tandem lib. de Sacram. Eucharistiæ pag. 886. & seq. illius Commentarii auctorem putat esse *Remigium* in Abbatia Sancti Germani Antisiodorensis Monachum, qui sub finem sæculi noni floruit, quique ad scholas instaurandas Remos evocatus est, ut scribit *Flodoardus* lib. 4. Hist. Ecclesiæ Remensis cap. 9. Hæc *Albertini* conjectura pluribus viris doctis probata est, de qua, sicut & de auctore illius Commentarii in Epistolas Sancti Pauli legendus est doctissimus *Carolus Cointius* in Annalibus Francorum ad Annum DXXXII. num. XLIX. *Testamenti* Sancti Remigii Episcopi Remensis meminit *Baronius* & ex eo aliqua loca recitat. Verum, Baronii ætate istud Sancti Remigii Testamentum extabat tantum in Historia Flodoardi cap. 18. variis auctum interpolationibus, quæ, cum a temporibus, & genio Sancti Remigii abhorreant, multis eruditis viris suppostitium jure merito visum est. Tandem genuinum hujus Testamenti exemplar prodiit in nova disquisitione *de Ampulla Remensi* in tom. 1. Bibliothecæ Labbeanæ, & in Annalibus *Cointii* ad annum DXXXIII. num. L. & seq. apparuitque vere, hoc Testamentum a Sancto Remigio conditum, eoque Ecclesiam Remensem, *Lupum* Episcopum Suessionensem fratris sui filium, & *Agricolam* Presbyterum nepotem suum a Sancto Remigio Hæredes fuisse institutos. Vitam Sancti Remigii Episcopi Remensis legesis apud Hincmarum, & Flodoardum 1. Histor. Ecclesiæ Remensis. (*a*)

„ (*a*) Inter recentiores de vita & scriptis S. „ Remigii diligenter disseruerunt doctissimi Mo- „ nachi Benedictini Congregationis S. Mauri in „ historia literaria Gallicana tom. 3. a pag. 155. „ ad 163. quorum de testamento S. Remigii sen- „ tentia plane illi minime favet; testanturque „ ex tribus ejus testamenti vulgatis formulis ge- „ minas priores abjiciendas absque cunctatione esse; „ quæ vero contractior est multa continere, quæ se- „ culo S. Remigii non conveniunt, adeoque apud „ plerosque suspiciosam esse. De authore commen- „ tarii in epistolas S. Pauli idem judicant, ac Grave- „ sonius hic, nempe adjudicandum esse opus istud „ Remigio Monacho S. Germani Altisioderensis.

„ Hujus ergo S. Remigii nihil extat aliud, „ quam epistolæ quatuor in collectionibus Conci- „ liorum legendæ.

„ Proderit tyronibus scire alium extitisse S. Re- „ migium Archiepiscopum Lugdunensem opuscu- „ lorum quorundam, de quibus suo loco, scripto- „ rem, qui seculo IX. florebat.

Sanctus Gregorius Patria Arvernus, & nobili genere oriundus, Episcopus Turonensis consecratus est anno DLXXII. ad Deum migravit anno DXCIV. Scripsit decem libros *Historiæ*, sive *Annalium* Francorum, in quibus Historiam ab initio Mundi ad conditam usque Francorum Monarchiam brevissime perduxit. Dein, lato calamo Historiam ad annum usque quingentesimum nonagesimum primum prosecutus est. Vulgata tamen hujus Operis exemplaria insigniter esse depravata, non modo conqueritur, sed infinitis exemplis probat sæpe laudatus *Carolus Cointius* tom. 1. Annalium Francorum. Extant adhuc alii libri editi a Sancto Gregorio Turonensi Episcopo, videlicet *Epitome de rebus gestis Francorum*. *Liber de Vitis Patrum*. *Libri Miraculorum VII.* hoc est, *IV. Libri de Virtutibus & Miraculis Sancti Martini*. *De Gloria Martyrum libri duo*. *De Gloria Confessorum liber unus*. Præterea, duos libros composuit Gregorius Turonensis, qui injuria temporum perierunt, scilicet librum *de Cursibus Ecclesiasticis*, & *Commentarium in Psalmos*, cujus bina fragmenta exhibet doctissimus *Mabillonius* tom. 1. Analect. pag. 7. Denique, observant periti Critici, hallucinari nonnullos, qui *Librum de Septem Dormientibus* in Monasterio prope Turonos quiescentibus, Gregorio Turonensi adscribunt, eo quod Gregorius Turonensis prædictum librum *Sulpicio* Bituricensi Episcopo dedicarit, & sub Gregorii Turonensis nomine, editores hunc librum publicarint. At dubium non est, quin in hoc fallantur. Nam præterquamquod hujus libri *de Septem Dormientibus* nullatenus meminit Sanctus Gregorius Turonensis in Epilogo Historiæ suæ, ubi omnes libros a se editos recenset, affirmat insuper idem S. Pater in Præfatione, se hunc librum *de Septem Dormientibus* repertum in Archivo Majori prope Turonos, dignum judicasse, qui publicam in lucem ederetur. Hic igitur liber *de Septem Dormientibus* non est genuinus S. Gregorii Turonensis foetus. (*a*)

„ (*a*) Historia Francorum S. Gregorii Turo- „ nensis, quæ paruit in novissima editione cura- „ ta a P. Ruinart Benedictino nihil passa est in- „ terpolationis. Quæ enim contra eandem oppo- „ sita olim sunt a Cointio, vindicata sunt egre- „ gie a Ruinart, adeo ut nihil in illum suspicio- „ nis remaneat judicibus Historiæ Literariæ Gal- „ licanæ scriptoribus. Fateamur tamen oportet „ Turonensem bis in sua historia insudasse, semel „ quidem prioribus sex libris Evulgatis & in obi- „ tum Chilperici Regis absolutis. Iterum vero „ quatuor postremis libris auctiorem dedit ad obi- „ tum usque Gontradi Regis perductam Codices „ plures MSS. priorem tantummodo continent; „ in aliis vero totum opus absolutum continetur.

„ Inter

„ Inter opera sincera S. Gregorii recensent etiam „ Authores illi libellum de miraculis S. Andreæ, „ qui sub ejus nomine exhibetur in MS. Codi„ ce S. Germani Pratensis ante sexcentos annos „ scriptus. Ejus præfationem adjectis duobus capi„ tulis additisque titulis omnium ceterorum ca„ pitulorum, quæ ad 35. pertingunt, dedit P. „ Ruinart. In eo opere elucere ubique sty„ lum & genium Turonensis idem Ruinartius „ testatur.

Sanctus Cæsarius Arelatensis Episcopus ordinatus fuit anno quingentesimo secundo, & postquam per 40. annos Arelatensi Ecclesiæ sanctissime præfuisset, mortuus est anno DXLII. Cœnobium sanctimonialium, Arelate, pro sorore sua *Cæsaria* ædificavit, quod etiamnum vetustate venerandum, & Monialium, quæ in eo Virginitatem suam Deo vovent, nobilitate illustratum subsistit. Sanctus Cæsarius doctrinæ Sancti Augustini invictissimus assertor Semipelagianorum errores strenue oppugnavit, variaque Opuscula & Homilias composuit cum duabus Regulis, quarum unam, quæ spectat ad Moniales, ipse scripsit; alteram, quæ pertinet ad Monachos, *Teridius* Presbyter ipsius Cæsarii nepos ab eo dictatam, & per diversa Monasteria fuisse transmissam, affirmat. Vitam Sancti Cæsarii duobus libris descriptam sæculo I. Benedictino inseruit doctissimus Pater Mabillonius. *Prioris* auctor est *S. Cyprianus* Episcopus Tolonensis; *Posterioris*, Messianus Presbyter, & Stephanus Diaconus. Dedicata est Sancti Cæsarii Vita *Cæsariæ*, non quidem seniori, quæ Sancti Cæsarii soror erat, eoque adhuc superstite decessit; sed *Cæsariæ juniori*, quæ alteri in Abbatiam Monasterii Arelatensis successit. (*a*)

„ (*a*) PP. Martene & Durand Anecd. tom. „ I. pagin. 3. Cæsariæ hujus Junioris proli„ xiorem epistolam ad Richildem & S. Rade„ gundem sanctimoniales dederunt piam oppido „ & luce dignissimam. In ea enim religiosa mo„ nita suggerit, ac præsertim ut secularium con„ suetudines evitent ac ciborum nimietatem, ita „ tamen ut & immodicam ab alimoniis abstinentiam „ prudenti moderatione temperent. Demum ad „ eas transmittit regula, *Quam nobis*, ait, *bea„ tæ & sanctæ recordationis Domnus Papa Cæsa„ rius fecit*. In nota vero ad infimam pagellæ „ oram animadvertunt Anecdoti hujus editores, „ vidisse se hujus regulæ MS. Cod. Augustodu„ nensem, in cujus fine hæc legerunt, quæ in „ edita ab Holstenio ea regula non extant: *Cæ„ sarius peccator Regulam hanc Sanctarum Virgi„ num texit & scripsit sub die* x. *Kalend. Julii „ Paulino Consule tempore* (Christi 534.)
„ *Simplicius peccator consensi & signavi.*
„ *Severus Episcopus consensi & signavi.*
„ *Lupercianus Episcopus consensi & signavi.*
„ *Johannes consensi & signavi.*
„ *Cyprianus Episcopus consensi & signavi.*
„ *Montanus consensi & signavi.*
„ *Firminus peccator consensi & signavi.*
„ Ne cogar novam adnotationem hic addere, „ monendos lectores censeo epistolam Evantii, de „ qua hic alterius esse authoris ab Evantio Vien„ nensi, tribuendamque alteri Evantio Abbati „ Monasterii cujusdam in Diœcesi Albigensi, „ qui seculo VII. florebat, Mabillonius in a„ ctis SS. Ord. S. Benedicti tom. 2. judicat.

His quatuor Galliarum Episcopis doctrina & dignitate inclytis merito adjungere possum *S. Sulpicium* Bituricensem Episcopum, qui *virtutibus & eruditione* conspicuus, ut legitur in Martyrologio Romano ad IV. Kalend. Februarias, excessit e vivis anno quingentesimo nonagesimo primo; *Ruricium* seniorem Episcopum Lemovicensem, cujus Epistolarum ad varios scriptarum libros duos publici juris fecit *Henricus Canisius* tom. v. antiq. lect. qui etiam inserti sunt tomo VIII. Bibliothecæ maximæ Patrum Lugdunensis; *Evantium* Viennensem Episcopum, qui interfuit Concilio Matisconensi I. Lugdunensi III. Valentino II. & Matisconensi II. edidítque Epistolam contra eos, qui sanguinem animalium immundum esse judicant, & carnem mundam esse dicunt, apud *Canisium* antiq. lect. tom. 5. part. 2. *Venantium Fortunatum*, qui relicta Italia, unde oriundus erat, in Galliam profectus est, ut Reliquias Sancti Martini Turonensis Episcopi, cujus ope gravissimis oculorum doloribus fuerat liberatus, in Urbe Turonensi depositas inviseret. Inde in Urbe Pictaviensem se contulit, ubi Presbyteratus honorem meruit, ac tandem ejusdem Urbis Episcopus ordinatus est. Scripsit Poematum libros XI. quos Sancto Gregorio Turonensi nuncupavit. Edidit etiam libros quatuor de Vita Sancti Martini, & Vitas aliquot Sanctorum Galliæ Episcoporum. Vitam Venantii Fortunati scripsit P. *Browerus* Soc. Jesu, quam illius Operibus præfixit. Demum, inter Scriptores, qui sexto Ecclesiæ sæculo doctrina & pietate in Galliis claruerunt, recensetur *Sanctus Gildas* Abbas Monasterii Ruyensis, in Diœcesi Venetensi, cognomento *Sapiens*, cujus extant Opera to. VIII. Bibliothecæ maximæ Patrum Editionis Lugdunensis. Sunt qui distinguunt eumdem Gildam in duos, quorum unus *Badonicus*, alter *Albanius* dictus fuerit, sed eos, qui ita sentiunt, a vero abludere ostendunt *Bollandus* ad diem XXIX. mensis Januarii, & *Mabillonius* sæculo I. Benedictino, ubi Sancti Gildæ vitam refert. Natus erat S. Gildas in magna Britannia, sed in Armoricam, seu in minorem Britanniam postea secessit, ubi Cœnobium Ruyense extruxit, quod nunc gallice nuncupatur: *Sainct Gildas de Ruye*.

D. Cedo, si placet, alios Scriptores Ecclesiasticos, qui sexto nominis Christiani sæculo in aliis Orbis partibus floruerunt?

M. Plurimi Scriptores sexto Ecclesiæ sæculo celebres fuerunt in Africa, Hispania, & Italia. Inter Scriptores Africanos primas tenet *Sanctus Fulgentius* Ruspensis Episcopus in Scriptura Sacra, & in doctrina SS. Patrum, præcipue S. Augustini, versatissimus. Decem libros pro defensione Gratiæ Christi lucubravit, quorum septem adversus libros a *Fausto* Rejensi Episcopo Semipelagiano

giano editos, composuit, & universa, quæ hic Semipelagianorum Coriphæus contra doctrinam S. Augustini scripturierat, omni argumentorum genere funditus subvertit. Reliquos tres libros ad *Fausti* Sectatores expugnandos Monachis Scythis acerrimis gratiæ defensoribus inscripsit. Libri septem, quos Fulgentius edidit contra *Faustum*, perierunt; eos tamen se legisse testatur *S. Isidorus* Archiepiscopus Hispalensis in lib. de Illustribus Scriptoribus. Tres alios libros *de veritate prædestinationis & gratiæ inscriptos* edidit Fulgentius, sicut testatur auctor vitæ ejus cap. 29. Præterea, a *Monimo* viro laico, sibique amicissimo, ad scribendum *de divina prædestinatione* iterum compulsus, tres libros procudit Fulgentius, in quibus eum in scopum collimat, ut ostendat, Deum prædestinare homines ad bona, non ad mala perpetranda; Sanctumque Augustinum intellexisse Dei prædestinationem ad malum pœnæ, non ad malum culpæ. Hos tres libros ad *Eugippum* Abbatem Augustinianæ doctrinæ per Italiam propagatorem transmisit Fulgentius. Præter illos recensitos libros, quos pro defensione gratiæ Christi juxta mentem Sancti Augustini exaravit Sanctus ille Doctor, alii adhuc extant ab illo concinnati, videlicet *adversus Arianos liber*. *Ad Donatum liber de Fide Orthodoxa ex diversis erroribus Hæreticorum*. *Ad Petrum Diaconum de Fide liber*. *Adversus Trasamundum Regem libri tres*. *Pro Fide Catholica adversus Pintam Arianum liber*, a Chiffletio primum editus. *De quinque Quæstionibus ad Ferrandum liber*. *Variæ Epistolæ Morales & dogmaticæ*. Plura de Sancti Fulgentii libris legi possunt apud *Labbeum* in Dissertatione de Scriptoribus Ecclesiasticis. Sanctum Fulgentium omnia Latinorum Martyrologia memorant, ejusque vitam gravi stylo quidam ejus Discipulus scripsit, quam exhibet *Bollandus* ad diem primam mensis Januarii. Inter Sancti Fulgentii Discipulos eminuit *Fulgentius Ferrandus* Carthaginensis Ecclesiæ Diaconus, qui vixit usque ad annum DXLVIII. de quo plura habet *Facundus* Hermianensis in Africa Episcopus lib. 4. cap. 3. pro defensione trium Capitulorum. Hujus *Ferrandi* omnia Opera *Petrus Franciscus Chiffletius* publicavit *Divione* in Gallis anno MDCXLIX. *Facundus* mox a me laudatus, Hermianensis in Africa Episcopus, doctissimus quidem fuit, sed in defensione trium Capitulorum adeo pertinax, ut in Schismate occubuerit, sicut facile colligitur ex illius *Epistola Fidei Catholicæ in defensionem trium Capitulorum*, quam publica luce primus donavit *Lucas Dacherius* Benedictinus Congregationis Sancti Mauri tomo III. *Spicilegii*. Duodecim etiam libros scripsit idem *Facundus* pro defensione trium Capitulorum, quodque gravius est, in ipsummet Vigilium Papam, qui tria Capitula damnavit, adeo acriter invectus est, ut illum proditionis, collusionis cum Acephalis, ambitionis & venalitatis arguerit, ut videre est præsertim in libro, quem edidit contra *Mocianum*, qui Africanos Antistites merito redarguebat, quod sese a Vigilio Papa, & ab Ecclesia, trium Capitulorum causa, segregarent. In eadem trium Capitulorum defensione perstitit *Liberatus* Ecclesiæ Carthaginensis Diaconus, qui libellum scripsit de *Hæresi Nestoriana*, cui *Breviarii* titulum indidit, quod emendatissimum edidit, notisque elegantissimis illustravit eruditus *P. Garnerius* Soc. Jesu. Pro defensione itidem trium Capitulorum *Victor* Tununensis in Africa Episcopus plurimas ac gravissimas ærumnas pertulit, & ab Imperatore Justiniano variis exiliis afflictus est. Scripsit hic *Victor* Chronicon rerum gestarum ab orbe condito usque ad annum DLXVI. quo *Justinus Junior* Imperium auspicatus est. Sed hujus Chronici prima pars interiit, superest tantum posterior, quæ ab anno CCCCXLIV. quo desiit Prosper, orditur; & ad annum DLXVI. progreditur. (*a*) Denique inter Afros Episcopos, qui sexto sæculo floruerunt, numerantur *Vigilius* Tapsensis in Bizacena Africæ Provincia Episcopus, qui libros quinque contra Nestorianam, & Eutychianam Hæresim edidit, insuper, *Disputationem cum Sabellio, Photino, & Ario*, sub nomine Sancti Athanasii, & undecim libros *de Trinitate*, eidem Sancto Athanasio perperam adscriptos. Multi eruditi viri existimant, hunc Vigilium Tapsensem esse auctorem Symboli, quod sic incipit: *Quicumque vult salvus esse &c.* quod vulgo attribuitur Sancto Athanasio; *Primasius* Adrumetinæ Ecclesiæ in Bizacena Africæ Provincia Episcopus, qui libros quinque Expositionum in Apocalypsim, commentarios in Epistolas Sancti Pauli scripsit, & librum unum sic inscriptum: *Quid faciat hæreticum?* Primasio coævus fuit *Junilius* Africanus Episcopus, qui libros duos per modum Quæstionum & Responsionum *de partibus divinæ Legis* ad ipsum Primasium scripsit. Hic *Junilius* non est auctor Commentarioli in tria priora Capita Geneseos, sed potius Venerabilis *Beda*, ut modo convenit inter viros eruditos, *Eugippus* Abbas Africanus thesaurum sententiarum ex diversis S. Augustini Operibus defloratarum collegit, eumque duos in libros distributum nuncupavit *Probæ* Virgini Sacræ. Hi sunt celebriores Scriptores, qui in Africa præfulserunt.

„ (*a*) Inter opera, quæ extant, Victoris Tununensis adjiciendus est liber *de Pœnitentia* publici juris factus a PP. Maurinis in append. ad tomum secundum ad opera Sancti Ambrosii.

D. Quinam sunt illustriores Scriptores, qui sexto sæculo in Hispania floruerunt?

M. Multos in Hispania egregios Scriptores recenset *S. Isidorus* Hispalensis Episcopus in lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis, quos hic breviter indicabo. Agmen illorum ducet *Orontius* gente Hispanus, patria Tarraconensis, Episcopus Eliberitanus, qui Synodo Tarraconensi anno DXVI. adfuit, scripsitque *Commonitorium Fidelium* metro heroico, cujus mentionem facit Sigebertus in Catalogo cap. 34. (*a*) *Justinianus* Ecclesiæ Valentinæ Episcopus librum edidit *Responsionum ad quemdam Rusticum de interrogatis Quæstionibus quinque*, ut videre est apud Isidorum cap. 20. lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis. *Justus* Justiniani frater, Urgellensis, sive Orgellitanus in Catalunia Episcopus interfuit Concilio Toletano secun-

secundo celebrato anno DXXXI. scripsit expositionem mysticam in Cantica Canticorum, cujus meminit Isidorus cap. 21. lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis. Duas præterea ejusdem *Justi* Epistolas evulgavit *Lucas Dacherius* tom. 3. Spicilegii, *Aprigius* Ecclesiæ Pacensis in Hispania Episcopus, vir fuit lingua disertus, & scientia eruditus. Scripsit *Explicationem Apocalypseos B. Joannis*, sed illud Opus interiit. Alia quædam Opera, teste Isidoro cap. 17. lib. de Script. Eccles. edidit idem Aprigius, quorum nec nomina quidem supersunt. *Leander*, post diuturnam vitæ Monasticæ professionem Hispalensis Ecclesiæ Archiepiscopus factus, vir fuit, teste Isidoro ejus fratre cap. 28. lib. de Script. Eccles. suavis eloquio, ingenio præstantissimus, & vita non minus quam doctrina clarissimus. Scripsit ad *Florentiam* sororem suam, *Regulam de Institutione Virginum & contemptu Mundi*, quam primus in lucem edidit Lucas Holstenius in Collectione Regularum Parisiis Anno MDCLXIII. Extat ejusdem Leandri Homilia, quam ipse in laudem Ecclesiæ, ob conversionem Gothorum, habuit post finitam Synodum Toletanam III. cujus magna pars ipse fuit, & orthodoxam fidem, extincta in Hispaniis Ariana Hæresi, totius Gentis Gothicæ consensione confirmari fecit, adeo ut Gothorum Apostolus jure merito audiat. Tanti Leandrum Hispalensem Episcopum fecit Sanctus Gregorius M. Papa, ut ipsis libros suos Moralium in Job nuncupaverit. Alia Leandri adversus Arianam Hæresim Opuscula, plures Homilias, multaque ad Officii Ecclesiastici incrementum & decorem spectantia refert Sanctus Isidorus cap. 28. lib. de Scriptur. Eccles. Zelum Sancti Leandri in profliganda Ariana Hæresi in Hispania, imitati sunt *Licinianus*, *Severus & Joannes* dictus *Biclariensis*. Prior, seu *Licinianus* Carthaginensis Spartariæ in Hispania Episcopus, cujus meminit Sanctus Isidorus cap. 29. lib. de Script. Eccles. ob Fidei Catholicæ studium a Leovigildo Hispaniæ Rege in exilium missus obiit Constantinopoli, scripsitque nonnullas Epistolas, quarum unica duntaxat extat ad Gregorium Magnum Papam data. Alter seu *Severus* Malacitanus in Hispania Episcopus, de quo agit Isidorus cap. 30. lib. de Script. Eccles. ob fidem itidem Catholicam a Leovigildo Rege, exilio mulctatus est, scripsitque librum adversus Vincentium Cæsaraugustanum Episcopum, qui a Catholicis ad Arianorum castra transierat; composuit etiam alium librum *de Virginitate*, cui *Annuli* nomen dedit. Utrumque Opus periit, vel in Bibliothecarum angulis delitescit. Tertius, seu *Joannes* dictus *Biclarienus*, cum Arianæ Hæresi, quæ in Hispania id ætatis latissime grassabatur, nullo pacto consentire vellet, a Leovigildo Rege Ariano Barcinonem relegatus est, ubi integro decennio multas ab Arianis insidias & persecutiones invicta animi constantia passus est. Postea, Monasterium *Biclarense* ad Pirenei montis radices extruxit, ex quo eductus est, ut Episcopus Gerundensis consecraretur. Scripsit Joannes Biclariensis *Chronicon* ab anno DLXVI. quo Victor Tununensis desiit usque ad annum DXC. Composuit etiam Joannes Biclariensis *Regulam* in sui Monasterii usum, atque nonnulla alia Opera, ut refert Isidorus cap. 21. lib. de Script. Eccles. ubi Joannis Biclariensis cum laude meminit. Sed de Scriptoribus, qui sexto Ecclesiæ sæculo doctrina & pietate conspicui in Hispania floruerunt, satis dictum sit.

„ (*a*) De S. Orensio plura modo scimus (de „ illo loquar qui *Commonitorium Fidelium dedit*). „ Num vero idem sit Orentius Eliberitanus Epi„ scopus qui Synodo Tarraconensi interfuit anno „ 516. ambiguum est, nunquam enim se Episco„ pum sive in titulo, sive in operis decursu ap„ pellat. Integrum ejus opus, cum antea liber „ tantummodo primus prodiisset, vulgavit P. Mar„ tene primo quidem anno 1700. iterum vero „ cum castigationibus & notis in tom. V. Anec„ dot. an. 1717. In utraque editione edita sunt „ etiam alia ejusdem Auctoris carmina.

D. Habuitne Italia in sexto Ecclesiæ sæculo Scriptores, qui sanctitate & eruditione conferri possint cum illis Viris illustribus, quos jam in medium protulisti?

M. Habuit Italia in sexto Ecclesiæ sæculo præclarissimos Scriptores, qui doctrinæ & pietatis fama illis Auctoribus, quos jam memoravi, aut æquales aut superiores fuerunt, quos inter hi celebriores fuerunt: *Ennodius* Episcopus Ticinensis, *Boetius*, *Cassiodorus*, *Victor* Capuanus Episcopus, *Rusticus*, *Dacius* Mediolanensis Episcopus, *Agnellus* Ravennatensis Episcopus, *Arator*, *Paschasius*, *Dionysius Exiguus* & *S. Gregorius* Magnus Pontifex Maximus quorum Opera hic breviter assignabo.

Ennodius Episcopus Ticinensis, quem ut Sanctum Confessorem laudant Summi Pontifices *Nicolaus I.* in Epistola ad *Michaelem* Imperatorem, *Joannes VIII.* in Epistolam ad *Berchairum* Abbatem, & *Gregorius VII.* in *Dictatu*, si tamen hujus Dictatus ille sit auctor; gemina Legatione ad *Anastasium* Augustum functus est, & Symmachi decessoris Hormisdæ causam egregie peroravit, ac propugnavit. Mortuus est anno DXXI. ejusque variarum Epistolarum libros novem, necnon Opuscula in lucem edidit atque eruditis Notis illustravit Sirmondus, suntque inserta tom. IX. Bibliothecæ maximæ Patrum Editionis Lugdunensis.

Boetius ex illustrissima Romæ familia ortus, vir fuit doctissimus, juxta ac religiosissimus. Tempore Anastasii Imperatoris, & Theodorici Gothorum Regis, qui tum temporis Italiæ dominabatur, claruit. Verum, illius Regis Ariani inimicitias expertus, Ticinum in exilium abductus est, ubi inter diuturni carceris tædia & squallores, præter aliquot Opuscula Philosophica, libros quinque edidit *de Consolatione Philosophiæ*, & librum *de Trinitate*, quem Doctor Angelicus S. Thomas Commentariis illustravit. Crescentibus postea cum tyrannide Theodorici Regis suspicionibus, immisso carnifice, Boetius fuit in carcere decollatus anno DXXIV. Indicem Operum Boe-

Boetii exhibent *Possevinus* in Apparatu sacro, *Bellarminus*, & *Labbeus* in Dissertatione de Scriptoribus Ecclesiasticis. Observant etiam periti Critici, librum, cui titulus est: *de Disciplina Scholarium*, falso adscriptum esse Boetio, quippe qui pluribus ineptiis scatet, sicut eum legenti confestim patebit.

Cassiodorus Senator & Patricius Romanus Theodorico Italiæ Regi carissimus fuit, & ad varias ac primarias dignitates ab ipso evectus. Plurima scripsit Opera, inter quæ primum obtinent locum *Commentarii in Psalmos*. *Epistolarum libri XII*. *Institutionum Divinarum libri duo*. *De Orthographia ex veteribus Grammaticis excerpta*. *Chronicon* a conditu Mundi incipiens & desinens in annum Christi DXIX. *Historia Ecclesiastica*, quæ *Tripartita* dicitur, quam ex Græcis Auctoribus *Socrate*, *Sozomeno*, ac *Theodoreto* per amicum suum *Epiphanium Scholasticum* latine redditis concinnavit. *Liber de Anima*. *Libri* XII. *de rebus gestis Gothorum*, qui amplius non extant, sed illos *Jornandes* Ravennæ Episcopus in Epitomen redegit, quam nunc habemus. Alia Opera edidit *Cassiodorus*, quæ mox deperdita sunt. At Commentarium in Cantica Canticorum non esse genuinum Cassiodori fœtum luculenter ostendit eruditus *P. Joannes Garetius* Monachus Benedictinus Congreg. S. Mauri in Præfatione in Cassiodorum, cujus Opera in duos Tomos distributa in lucem emisit, una cum vita ejusdem Cassiodori, quem Clarissimis parentibus natum *Scyllacii*, quæ urbs Brutiorum tum erat primaria, eumque anno ætatis suo 60. vel 70. sæculo nuncium remisisse, & Sancti Benedicti Regulam in Cœnobio prope Scyllacium a se constructo professum fuisse, perdocta dissertatione evincit mox laudatus *Garetius*.

Victor Capuanus Episcopus anno DL. Cyclum Paschalem condidit adversus Victorem Aquitanum. De quo Cyclo egregie edisserit *Bucherius* in Opere de Doctrina Temporum cap. XI.

Rusticus S. R. E. Diaconus *Judicatum* Vigilii Papæ, quo tria Capitula erant proscripta, maximis laudibus primum extulit, at, mutata postmodum sententia, scripsit adversus Vigilium. Quapropter a Summo illo Pontifice damnatus, & propter Schisma exauctoratus fuit. Scripsit etiam Rusticus librum contra Acephalos.

Sunt nonnulli, qui *Dacium* Mediolanensem Episcopum inter Scriptores, qui sexto sæculo in Italia floruerunt, reponunt; quia existimant illum esse Auctorem *Chronici rerum Mediolanensium*, quod hactenus ineditum asservatur in Bibliotheca Mediolanensi. Verum doctissimus Mabillonius tom. 1. vet. Analect. pag. 3. recte observat, *Dacium*, qui sexto Ecclesiæ sæculo Mediolanensi præfuit Ecclesiæ, non posse esse Auctorem illius Chronici, quia in eo narrantur res Mediolanensis Ecclesiæ ab octavo sæculo ad tempus Alexandri II. Papæ, definitque prædictum Chronicon in anno MLXVII. ex quo luculenter constat, illud non fuisse editum a *Dacio*, qui sexto sæculo Ecclesiam Mediolanensem regebat. Cæterum, quamvis *Dacius* non sit Auctor istius Chronici, inter viros tamen, qui sexto sæculo in Italia celebres fuerunt, sedem habere debet, quia Cassiodorus, vir hujus sæculi, ut mox ostendi, insignis, ad ipsum scripsit Epistolam, quæ libro duodecimo ejus Epistolarum ordine est vicesima septima (*a*).

„(*a*) Alibi in his notis admonuisse succurrit „Chronicon, quod sub Dacii nomine ad annum „usque 1067. perducitur, publici juris factum „fuisse a Cl. Muratorio Rer. Italic. tom. IV. „& auctori suo Landulpho Seniori sæculi XI. „scriptori restitutum. In eo quidem opere Landulphus memorat Dacii *expositionem Ordinum* „*S. Ambrosii*, itemque *de Chrismate*, & *de Antiphona Crucis*; sed quænam sint ea, & a „quonam Dacio scripta, cum opera ipsa non extent, plane ignoramus.

Agnellus Ravennæ Episcopus Templa ab Arianis extructa purgavit, & ad verum Dei cultum traduxit, scripsitque Epistolam ad *Arminium* de ratione Fidei, quæ extat tom. VIII. Bibliothecæ Patrum.

Arator natione Ligur a Vigilio Papa, cui apprime charus fuit, inter Subdiaconos Ecclesiæ Romanæ sublectus, scripsit carmine heroico Historiam Actuum Apostolorum a S. Luca Evangelista descriptam, & duobus libris comprehensam, quæ habetur tomo X. Biblioth. Patrum.

Paschasius S. R. E. Diaconus libros edidit duos *de Spiritu Sancto*, qui inserti sunt tom. VIII. Biblioth. Patrum. *Laurentio* Antipapæ ex ignorantia favit Paschasius contra Symmachum legitimum Pontificem, & ob id ejus animam piacularibus Purgatorii pœnis addictam vidit *S. Germanus* Capuanus Episcopus.

Dionysius Exiguus natione quidem Scytha, sed Monasterii Romani Abbas, ut multi post Venerabilem Bedam asserunt, Auctor est *Æræ Christianæ*, qua in putandis annis a Natali Christi Domini etiamnum utitur Ecclesia Romana. At Dionysius in consignando initio illius Æræ anno quadragesimo quinto Imperii Augusti, quadriennio integro a vero Natali Christi aberravit. Christus enim, ut late ostendi in Tractatu *de Mysteriis & Annis Christi*, natus est anno quadragesimo Imperii Augusti. Alia Opera lucubravit Dionysius, sed præsertim novam Canonum Collectionem adornavit, quæ statim ab Ecclesia Romana obviis ulnis excepta est, de qua legendus est doctissimus *Petrus de Marca* Archiepiscopus Parisiensis cap. 4. lib. 3. *de concordia Sacerdotii & imperii*.

Postremo, *S. Gregorius Magnus*, de quo in superiori Colloquio multa jam diximus, patria Romanus, *Gordiani* Senatoris, & *Sylviæ* filius, splendidissimum fuit Italiæ ac totius Ecclesiæ lumen. Ad supremum Pontificatum, invitus quidem anno DXC. evectus, omnes suas vires & cogitationes ad Ecclesiæ ornamentum, ad Religionis propagationem, & ad omnium Christianarum virtutum contulit incrementum. Mala licet & adversa valetudine diu afflictus, necnon gravi, atque diuturna vexatus podagra, edendis tamen ad Christianorum institutionem libris, qui sanctitatem

tem ac eruditionem ubique spirant, jugiter incubuit. Opera genuina S. Gregorii M. Papæ sunt ista: *Expositio Moralis in Job* in triginta quinque libros distincta. *Liber Pastoralis*, seu de Cura Pastorali quatuor in partes distributus. *Homiliæ super Prophetam Ezechielem viginti duæ*. *Homiliæ quadraginta in Evangelia*. *Epistolarum libri duodecim*. *Antiphonarium*. *Sacramentarium*, quod ex venerandæ antiquitatis Codice MS. edidit *Hugo Menardus* Benedictinus Congreg. S. Mauri. *Quatuor libri Dialogorum*, quos Hæretici, & nonnulli Catholici intemperantioris Critices viri Gregorio Magno abjudicant, dictitantes, quatuor illos libros Dialogorum ineptiis fabulis, & innumeris miraculis, quæ ab omni veri specie abhorrent, esse infartos. Sed istos Aristarchos merito doctissimus noster *Melchior Canus* lib. XI. de locis cap. 6. castigat his verbis: *Magnis, præclarisque virtutibus viri sanctissimi atque optimi id consequi meruerunt, ut in rebus ejusmodi, quas vel spectasse, vel ab aliis fide dignis, qui spectarint, se vidisse testati sunt, fides omnino illis habeatur. Qua in re Erasmus Roterodamus, aliique juniores quidam sæpe ac licenter errarunt*. Addo etiam, quod licet hæc miracula, quæ Sanctus Gregorius in his quatuor Dialogorum libris narrat, si ad debilis rationis humanæ trutinam expendantur, incredibilia videri possint, nihilosecius spectata omnipotentia Dei, cui omnia parent, creditu facilia erunt. Sed hac de re plura legesis apud Mabillonium tom. 2. Annalium, & sæculo 1. Benedictino. Inter Opera dubia S. Gregorii Magni collocant periti Critici *Commentarium in libros Regum*, & *Commentarium in septem Psalmos Pœnitentiales*. Rejicitur autem a viris eruditis tamquam spurius & supposititius *Commentarius in Cantica Canticorum*, qui sub nomine S. Gregorii Magni circumfertur; tum quia non extat in MSS. Codicibus melioris notæ; tum quia etiam Paterio S. Gregorii Magni discipulo, ejusque Operum studiosissimo, fuit omnino incognitus. Novam, & accuratissimam omnium S. Gregorii Operum editionem adornarunt eruditissimi Monachi Benedictini Congreg. S. Mauri, quam doctissimis Præfationibus, & Notis, atque Sanctissimi illius Pontificis Vita elegantissime descripta, illustrarunt, & S. Gregorii Magni Opera in quatuor Tomos distribuerunt. Priori Tomo continentur Exegetica in sacram Scripturam, scilicet Moralium in Job libri triginta quinque, Homiliarum in Ezechielem Prophetam libri duo & totidem Homiliarum in Evangelia.

Secundus Tomus continet cætera S. Gregorii indubitata & germana Opera, sive ad Historiam, sive ad Ecclesiasticam spectent Disciplinam; scilicet librum Regulæ Pastoralis, quatuor Dialogorum libros, & Registrum Epistolarum.

Tertius Tomus bipartitus est. Prior pars exhibet librum Sacramentorum, Antiphonarium, & cætera liturgica cum eruditissimis Notis *Hugonis Menardi* Congreg. S. Mauri Benedictini. Altera ejusdem Tomi pars complectitur Commentarium in lib. 1. Regum, Expositionem in Cantica Canticorum, magna ex parte auctam, aliam in septem Psalmos expositionem, & concordiam quorumdam sacræ Scripturæ testimoniorum.

Quartus Tomus duas etiam in partes divisus est. Prior pars continet S. Gregorii Vitam, tum a *Paulo Warnefridi*, tum a *Joanne Diacono* scriptam, & aliam recentem, quam ex Gregorianis præsertim scriptis adornarunt doctissimi Patres Benedictini Congreg. S. Mauri. Secunda pars ejusdem Tomi exhibet genuinum *Paterium* S. Gregorii Magni discipulum, qualis habetur in quamplurimis optimæ Notæ MSS. & *Alulfi* Tornacensis Monachi Expositionem in Novum Testamentum ex Gregorianis sententiis, quæ *Paterii* nomen in superioribus Editionibus immerito præferebat.

D. Nihil hactenus dixisti de Scriptoribus Græcis, qui sexto Ecclesiæ sæculo magnam eruditionis famam sibi in Oriente compararunt, quorum nomina, patriam, & Opera scire percupio.

M. Sæculum sextum singulari eruditione in Oriente nobilitarunt *Basilius* gente Cilix, & Presbyter Ecclesiæ Antiochenæ, qui scripsit tres libros *Historiæ Ecclesiasticæ*, quorum primus incipit ab anno CCCCL. & desinit in *Simplicii* Papæ morte anno CCCCLXXXIII. Secundus initium inde sumens, Historiæ filum perduxit usque ad annum DXVIII. Tertius res gestas ab Imperatore *Justino* complectitur. Alia ejusdem Basilii Opera refert *Photius* in Bibliotheca Cod. 95. & 107. *Theodorus* Ecclesiæ Constantinopolitanæ Lector collegit ex Socrate, Sozomeno, & Theodorico Historiam tripartitam duobus libris comprehensam a vicesimo Constantini Magni Imp. anno, usque ad Imperium *Juliani* pertingentem. Huic Operi postea Theodorus duos alios Historiæ Ecclesiasticæ libros addidit, proprio marte conscriptos, a tempore videlicet, quo Socrates Historiæ finem imposuit, ad principium usque Imperii *Justini* senioris, idest, usque ad an. DXVIII. *Jobius* Monachus Orientalis scripsit librum adversus *Severum* Hæreticum, cujus nulla supersunt hodie vestigia, & libros novem *de Incarnatione Domini*, quorum fragmenta legi possunt in Bibliotheca Photii Cod. CCXXII. *Joannes Scythopolitanus* scripsit contra Eutychianos, & Acephalos. *Cyrillus Scythopolitanus* scripsit Vitam *S. Joannis Silentiarii*, Vitam *S. Euthymii* Abbatis, & Vitam *S. Sabæ*. His Scriptoribus Græcis addi possunt *Procopius Gazæus*, qui in plurimos Scripturæ sacræ libros edidit Commentarios, ut videre est in Bibliotheca Photii Cod. 160. 206. & 207. *Aretas* Cæsareæ in Cappadocia Episcopus, qui scripsit explanationem in Apocalypsim; *Zacharias* Mytilenus Episcopus, qui calamum strinxit in Manichæos; *Ephremius*, seu *Euphræmius* Episcopus Antiochenus, multos composuit Tractatus pro defensione Concilii Chalcedonensis; *Joannes* natione Cappadox, Episcopus Constantinopolitanus, ob singularem vitæ abstinentiam dictus *Jejunator* scripsit librum *de Baptismo*, quem S. Leandro Hispalensi Episcopo dicavit, ut testatur Sanctus Isidorus Hispalensis in lib. de Script. Ecclesiasticis, aliosque *de Pœnitentia* composuit libros, de quibus viden-

dendus est doctissimus *Joannes Morinus* Congreg. Oratorii Presbyter in fine libri, quem edidit *de Pœnitentia*. Inter libros, quos *Joannes* dictus *Jejunator* de Pœnitentia scripsit, præcipuus est *liber Pœnitentialis*, ex quo Græci multa in suis scriptis testimonia excerpserunt. *Eulogius* Patriarcha Alexandrinus libros quinque scripsit contra Novatianos apud Photium in Bibliotheca Cod. ccxxv. item librum contra *Theodosium*, *&* *Severum*, de quo idem Photius Cod. ccxxvi. item *Invectivam Orationem contra unitatem subito exortam inter Theodosianos*, *&* *Gajanitas Acephalos*, de qua idem Photius Cod. ccxxvii. Præterea, Orationes XI. quarum argumenta perstringit Photius Cod. ccxix. ejusdem Eulogii Patriarchæ Alexandrini Sermonem in diem Festum Palmarum publicavit doctissimus *Combefisius* tom. I. Auctarii Bibliothecæ Græco-latinæ, sicut jam observavimus in superiori Colloquio. Inter nobiles Scriptores Græcos jure censetur *Evagrius Scholasticus*, qui Epiphania Syriæ urbe oriundus, post Eusebium, Socratem, Sozomenum & Theodoretum, libros sex Historiæ Ecclesiasticæ concinnavit, ab anno scilicet ccccxxxi. quo Nestoriana impietas in Concilio Ephesino confixa est, usque ad duodecimum annum Mauricii Imperatoris, idest usque ad annum DXCIII. Omnia, quæ ad suum argumentum digne tractandum conducere poterant, summa diligentia ex optimis Scriptoribus collegit, puta ex Prisco, Joanne, Zacharia, Eustachio & Procopio Rhetoribus. Evagrii Historiam Ecclesiasticam doctissimus *Valesius* e Græco in Latinum sermonem vertit, & egregiis Notis illustravit. Versio quippe Christophorsoni, qua usus est Baronius, variis in locis, non satis viris eruditis accurata videtur. Scripsit etiam idem Evagrius volumen Epistolarum, Orationum & Relationum, imperante *Tiberio Constantino*, a quo *Quæstoris* dignitate donatus est; nec multo post, cum Orationem composuisset de laudibus *Mauricii* Augusti ob Natalem Theodosii nobilissimi pueri, codicillos præfecturæ ab eodem Mauricio accepit, ut ipsemet testatur in Epilogo Historiæ suæ.

D. Percensuistine omnes Scriptores Græcos, qui sexto sæculo floruerunt?

M. Supersunt adhuc nonnulli, quos hic breviter subjiciam. *Dorotheus* Archimandrita, & *Sanctus Joannes Climacus* de moribus præclare scripserunt. Dorothei virtutes gravissimis testimoniis *Theodori* Studitæ, & *Tarasii* Patriarchæ Constantinopolitani celebratæ sunt, ut liquet ex Prologo ad ipsius Dorothei *Asceticas Institutiones*, quæ extant in Biblioth. Patrum. *Joannes* vero dictus est *Climacus* ob librum quem edidit, *Scala Cæli* inscriptum, & in triginta Capita distinctum, quibus tamquam totidem gradibus, seu scalis, ad perfectionis religiosæ culmen ascenditur. Vitæ S. Joannis Climaci aliquod Compendium a Daniele Monacho Raythuno elucubratum libro ipsius, *Scala Cæli* inscripto, præfixum est, quod etiam recitat Bollandus ad diem xxx. mensis Martii, qua colitur Sanctus Joannes Climacus. Scripsit etiam idem Sanctus *librum ad Pastorem*. *Leontius Bizantinus* Monachus in Laura Sancti Sabæ prope Hierosolymam scripsit librum *de Sectis Hæreticorum*, *ac de Synodo Chalcedonensi* in X. Actiones distinctum: *Tres libros adversus Eutychianos & Nestorianos*: Libros duos *contra fraudes Apollinaristarum*: Item *Solutiones Argumentorum Severi*, & alia Opera, quæ sive edita, sive inedita, versione latina donata & accuratissime repurgata in lucem propediem emissurus est doctissimus noster *Michael le Quien*. Denique, in sexto Ecclesiæ sæculo duo *Anastasii* celebres fuerunt in Oriente, quos, sicut jam in superiori Colloquio observavimus, nonnulli inscite confundunt. Alius quippe fuit *Anastasius senior* Ecclesiæ Antiochenæ Patriarcha, qui composuit tres Orationes, quas noster *Combefisius* inseruit tom. 2. Bibliothecæ Græco-latinæ Sanctorum Patrum. Prima Oratio est *de Annunciatione Beatissimæ Virginis*, sicuti & secunda; Tertia vero est *de Transfiguratione Domini nostri Jesu Christi*. Extant etiam sub nomine Anastasii Patriarchæ Antiocheni quinque Orationes Dogmaticæ manuscriptæ in Bibliotheca Cæsarea, ut refert *Lambecius* tom. 7. Commentariorum de eadem Bibliotheca pag. 167. Alter *Anastasius* fuit Monachus, qui vixit in Monte Sinai, & ideo *Sinaita* appellatus. Hic Auctor est librorum XI. *Anagogicarum contemplationum in Hexameron*, quos tamen Baronius putavit esse fœtus Anastasii Patriarchæ Antiocheni. Citantur enim hi libri in Annalibus *Michaelis Glicæ* viginti circiter vicibus, ibique nunquam eorum Auctor Episcopus, aut Patriarcha Antiochenus appellatur, sed sæpius *Anastasius Sinaita*, ex quo colligitur, Anastasium Monachum Sinaitam legitimum esse horumce librorum parentem, non vero Anastasium Patriarcham Antiochenum. Liber, cui titulus: *Responsio Anastasii Episcopi ad Orthodoxorum aliquorum Christianorum interrogationes de diversis Capitibus Ecclesiasticis*, quem Baronius tribuit Anastasio Sinaitæ, neque ab hoc, neque ab Anastasio Patriarcha Antiocheno editus est; tum quia plures errores Græcorum inserti sunt in his Quæstionibus, & Responsionibus; tum quia etiam in illis citantur *Olympiodorus*, qui decimo sæculo floruit, & alii juniores Scriptores. Liber inscriptus *Dux viæ adversus Acephalos* editus est ab Anastasio Monacho Sinaita, non vero ab Anastasio Patriarcha Antiocheno, ut visum est Baronio. Titulus enim in MS. Codice sic habet: *Exordium libri Sancti Anastasii Monachi Sinaitæ*. Similiter, Oratio *de sacra Synaxi*, & Expositio *in Psalmum sextum*, quæ a Baronio adscribuntur Anastasio Episcopo Antiocheno, sunt Anastasii Monachi Sinaitæ, & Notis a nostro *Combefisio* illustrantur tom. 2. Bibliothecæ Græco-latinæ Sanctorum Patrum. Ausus est *Albertinus* Sectæ Calvinianæ Pseudo-Minister asserere in libro, quem edidit, de Sacramento Eucharistiæ, Anastasium Monachum Sinaitam credidisse, Eucharistiam esse meram figuram Corporis Christi virtutis ejus, & efficaciæ plenam. At

G 2 Ana-

Anastasium Monachum ab hoc errore vindicant *Petrus de Marca* Archiepiscopus Parisiensis in Epistola ad *Lucam Dacherium*, *Arnaldus* Doctor Sorbonicus lib. 7. tom. 1. *de perpetuitate fidei Catholicæ Ecclesiæ circa Eucharistiam* capit. 2. & *Natalis Alexander* in sexto Ecclesiæ sæculo cap. 13. ubi doctissimi illi Scriptores pluribus probant, Anastasium Sinaitam Monachum, realem Corporis Christi in Augustissimo Eucharistiæ Sacramento præsentiam constanter docuisse, quamvis errore sibi proprio, & in explicandis hujus Mysterii circumstantiis lapsus, opinatus sit, Corpus Christi in Eucharistia esse corruptibile, & affectiones, quæ conveniunt accidentibus, puta frangi, dividi, dentibus conteri, stomacho digeri, alterari, & corrumpi, Corpori Domini convenire. Qua in re licet erraverit Anastasius Sinaita Monachus, nunquam tamen deflexit a fide, qua semper, ubique, & ab omnibus creditum est, Corpus Christi esse realiter præsens in Eucharistiæ Sacramento. Sed de Scriptoribus Ecclesiasticis qui sextum sæculum doctrina, & pietate illustrarunt, hæc prælibasse, sufficiat.

COLLOQUIUM VI.

De Doctrina, Disciplina, & Morali Christiana sexti Ecclesiæ sæculi.

D. CUm Ecclesiæ Catholicæ veritas in Doctrina, Disciplina, & Morali potissimum splendescat, hoc unum dumtaxat ad rerum, quæ ad Historiam sexti Ecclesiæ sæculi spectant, plenam notitiam desiderari videtur, ut de Doctrina, Disciplina, & Morali hujus sæculi breviter in isto Colloquio disseramus. Agedum, & ostende primo, quænam fuerit Doctrina sexti Ecclesiæ sæculi.

M. Doctrina sexti sæculi eadem plane fuit, quæ nunc obtinet in Ecclesia Catholica, & quæ ab Apostolis profecta invariabili sæculorum serie ad nos usque, constanti, perpetuaque traditione propagata est. Profitebantur omnes fideles sexti Ecclesiæ sæculi unam divinam Essentiam, & tres Personas contra Arianos, & Sabellianos; duas in Christo naturas, divinam scilicet, & humanam, contra Eutychianos; unam personam, seu divinam, contra Nestorianos. Circa hæc duo præcipua fidei Orthodoxæ dogmata nulla prorsus Catholicos inter sexti Ecclesiæ sæculi fuit controversia. Quapropter, jure merito observat doctissimus Cardinalis *Norisius* in Dissertatione Historica *de uno ex Trinitate carne passo*, contentionem illam, quæ sæculo sexto inter Catholicos exorta est, circa hanc propositionem: *Unus e Trinitate, carne passus est*, fuisse puram, putamque inter Catholicos Logomachiam, qualis olim fuerat de hac voce *Hypostasis*, quæstio tanta opinionum discrepantia Latinam inter, & Græcam Ecclesiam agitata. Latina siquidem, ut jam observavimus in sexto Colloquio in Historiam quarti Ecclesiæ sæculi, tres personas, & unam Hypostasim in Sancta Trinitate esse, affirmabant; ipsis enim Hypostasis idem erat ac substantia, natura, & essentia. Ex adverso Græci tres Hypostases in Sanctissima Triade admittendas esse, pertendebant, quia Hypostasis apud illos idem erat ac persona. Magno certe animorum æstu Latinos inter, & Græcos diu multumque disceptatum fuit, priusquam Latini, re maturo examine ponderata, nomen Hypostasis in eadem cum Græcis significatione reciperent, quamvis utrique, idest, tam Latini, quam Græci, essent in re significata plane concordes, nempe unam Essentiam esse divinam, tresque Personas, atque pro Catholico isto dogmate contra Hæreticos se strenue depugnare utrique palam gloriarentur. Huic igitur de significatione vocis *Hypostasis* contentioni, in quarto sæculo acerrime ventilatæ, persimilis fuit ista controversia Catholicos inter sexti sæculi enata circa hanc propositionem: *Unus e Trinitate carne passus est*, hanc quippe Monachi Scythæ cum quibusdam aliis Catholicis constanter propugnabant; alii vero Catholici eam Eutychianæ Hæreseos insimulabant, hincque tot clamosæ disputationes, & tot contra se factitatæ hinc inde accusationes. Hæc tamen pura erat quæstio de nomine, quia utraque litigantium pars in fidei dogmate consentiebat, duas in Christo naturas indivise adversus Eutychianos admittens, & unam in eodem Personam, contra Nestorianos adstruens. Crediderim ipse, huic controversiæ inter Catholicos sexti sæculi obortæ locum dedisse errorem facti in hoc positum, quod multi Catholici hanc Scytharum Monachorum propositionem: *Unus e Trinitate carne passus est*, a blasphemia *Petri* Fullonis Hæretici Eutychiani non differre, autumarent. Hic enim Hæreticus Trisagio addiderat hæc verba: *Qui crucifixus es pro nobis*, cum quibus ista propositio: *Unus e Trinitate crucifixus est*, sensu convenire videbatur. Verum errore facti in hoc hallucinabantur illi Catholici; nam *Petrus Fullo* hæc verba: *Qui crucifixus es pro nobis*, Trisagio, quo Deus ter Sanctus proclamatur addiderat; ut innueret, Filium Dei in substantia Deitatis, vel Trinitatem, totam passam esse. Duas siquidem in Christo naturas negabat impius ille Eutychianus. At Scythæ Monachi duas in Christo naturas inconfusas conceptis verbis profitebantur, & *unum e Trinitate*, scilicet Filium Dei, non in substantia Deitatis, sed carne passum ac crucifixum propugnabant. Suam, sociorumque suorum Scytharum Monachorum super hac re sententiam dilucide exponit *Maxentius* in Professione *Fidei de Christo*, eamque Sancti *Procli* Constantinopolitani Episcopi, cujus doctrinam recepit Synodus Chalcedonensis, auctoritate confirmat in Tomo ad Armenios, ut legere est apud *Natalem Alexandrum* in selectis Historiæ Ecclesiasticæ Capitibus sæculo VI. Dissertatione secunda. Mirum igitur non est, si Joannes II. Summus Pontifex, postquam accurate examinasset, hanc propositionem: *Unus e Trinitate carne passus est*, & Scytharum Monachorum doctrinam de duabus in Chri-

Christo naturis perspectam, exploratamque habuisset; tanquam Catholicam approbaverit, & Acœmates Monachos, qui prædictam propositionem, ceu Hæreticam, reprobabant, damnaverit; ut jam a nobis observatum est in superioribus Colloquiis, Nulla igitur in sexto sæculo dissensio aut controversia fuit inter Catholicos circa dogmata Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis Verbi Divini, sed potius concors omnium doctrina, animorumque consensio.

D. Quænam fuit doctrina sexti sæculi circa alia fidei dogmata, quæ credenda proponit Ecclesia Catholica, & ab Hæreticis nostri temporis reprobantur?

M. Circa alia fidei dogmata, quæ credenda proponit Ecclesia Catholica, eadem prorsus fuit sæculi sexti doctrina ac nostra. Hæretici quippe velint nolint, fateri coguntur, Christianos sexti Ecclesiæ sæculi cultum detulisse Sanctis, eosque invocasse; Martyrum sepulchra, & Reliquias in maximo honore habuisse; Cœlibatum observatum, & Monasticum Institutum late in eo fuisse propagatum; Primatum Romani Pontificis micuisse, præsertim in persona Agapeti Papæ, qui ut in superiori Colloquio diximus, Constantinopoli degens, *Anthimum* Patriarcham Constantinopolitanum, cui impensius favebat *Theodora* Augusta, Sede Patriarchali propria sua auctoritate, nulloque coacto Concilio, dejecit, & in ejus locum *Mennam* substituit. Præterea, Ecclesiam in Conciliis generalibus congregatam in definiendis rebus fidei infallibili pollere auctoritate Christiani sexti Ecclesiæ sæculi firmiter crediderunt cum S. Gregorio Magno, qui eodem sæculo Pontificatum gessit, & in Epistola Synodica ad Patriarchas, quæ est XXV. lib. 1. testatur, se quatuor Concilia Oecumenica suscipere, & venerari, sicut Sancti Evangelii quatuor libros. Quintum pariter Concilium generale, in quo tria damnata sunt Capitula, se pariter venerari profitetur idem Summus Pontifex, eique qui aliter sapit, anathema dicit, his verbis: *Quisquis ergo aliud sapit, anathema sit, quisquis vero prædictarum Synodorum fidem tenet, pax ei sit a Deo Patre, &c.* Quapropter, quando Sanctus ille Pontifex mitius egit cum *Theodelinda* Longobardorum Regina, & cum nonnullis, qui Concilii quinti generalis auctoritati in damnatione trium Capitulorum damnatione obtemperare detrectabant, nec eos pro Schismaticis habuit, usus est Sanctissimus ille Pontifex prudenti quadam Œconomia, forte quod eos ignorantia laborare potius, quam prava voluntate noverat, cumque doceri non refugerent, sperabat futurum, ut tandem aliquando resipiscerent, maxime postquam illis fuisset ostensum, Synodo Chalcedonensi nullum a quinta Synodo vulnus esse illatum, ut perperam sibi persuadebant. Sed prudentis Œconomiæ elapso tempore, cum pauci superessent trium Capitulorum defensores, summo jure cum illis egit S. Gregorius, nec prius ipsos ad communionem recepit, quam professi fuissent se quintam Synodum pari cum a-

liis quatuor Œcumenicis veneratione suscipere. Hanc supremam Ecclesiæ auctoritatem in Conciliis Œcumenicis adstruens Sanctus Gregorius Magnus, omnes contra Catholicam Fidem aut jam exortos errores, aut in postremum orituros, simul oppressit.

Sacrificia, Orationes, Vigilias, Eleemosynas, aliaque id genus pietatis officia, Defunctis admodum prodesse, eosque subsidiis illis vel levari, vel ex toto liberari, constans erat in VI. sæculo utriusque Ecclesiæ tam Orientalis, quam Occidentalis doctrina, perspicuis, invictisque omnium sæculorum testimoniis confirmata, sicut testatur *Eustratius* Scriptor sexti Ecclesiæ sæculi, Magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ Presbyter, in libro, cui titulus est: *Refutatio eorum, qui dicunt, animas Corporibus suis solutas non operari, nec precibus sacrificiisque, quæ pro iis offeruntur, adjuvari*. Quem librum *Leo Allatius* græce latineque edidit. Sanctus etiam Gregorius M. qui sexto sæculo universalem regebat Ecclesiam, pluribus in locis eamdem doctrinam tradit, sed præcipue libr. 4. Dialogorum cap. 39. ubi interroganti discipulo: *An post mortem Purgatorius ignis sit?* Respondet Sanctus Doctor: *pro quibusdam levibus culpis tergendis esse ante Judicium purgatorium ignem*. Quod infra diserte probat. Et cap. 55. sic scribit: *Multorum solet animas etiam post mortem sacra oblatio hostiæ adjuvare; ita, ut hanc nonnumquam ipsæ defunctorum animæ expetere videantur*.

Confessionis, & Absolutionis Sacerdotalis necessitatem pluribus in locis probat idem Gregorius, maxime libr. 22. Moralium in Job. num. 31. & Homilia 26. in Evangelia, ubi sub Schemate *Lazari* ex mortuis a Christo revocati, & ab ejus Apostolis soluti, explicat peccatoris per Confessionem peccatorum e sepulchro prodeuntis resurrectionem, & solutionem. Sic enim habet: *Lazaro ergo dicitur: Veni foras: ac si aperte cuilibet mortuo in culpa diceretur: Cur reatum tuum intra conscientiam abscondis? foras jam per Confessionem egredere, qui apud te per negationem lates. Veniat itaque foras mortuus, idest, culpam confiteatur peccator. Venientem vero foras solvant discipuli, ut Pastores Ecclesiæ ei pœnam debeant amovere, quam meruit, qui non erubuit confiteri quod fecit. Hæc de solutionis ordine breviter dixerim, ut sub magno moderamine Pastores Ecclesiæ vel solvere studeant, vel ligare*.

Missarum solemnia in sexto sæculo fuisse celebrata, passim legimus in Operibus S. Gregorii Magni præsertim in Homiliis in Evangelia, ex quibus facile colligitur, fideles hujus sæculi constanter credidisse, Missam esse verum, & proprie dictum Sacrificium, & in augustissimo Eucharistiæ Sacramento vere, & realiter contineri Corpus, & Sanguinem Christi Domini. Quod etiam S. Gregorius Magnus cap. 58. lib. 4. Dialog. his perspicuis verbis confirmat: *Ejus quippe ibi corpus sumitur, ejus caro in populi salutem partitur, ejus sanguis non jam in manus infidelium, sed in ora fidelium funditur*. Refert quoque Jo-

annes Diaconus in Vita ejusdem S. Gregorii Papæ l. 2. c. 4. quod *Matrona quædam Beato Gregorio per stationes publicas Missarum solemnia celebranti solitas oblationes obtulerat. Cui post Mysteria traditurus cum diceret: Corpus Domini Nostri Jesu Christi conservet animam tuam, lasciva subrisit. Ille continuo dexteram ab ejus ore convertens, partem illam Domini Corporis super Altare reposuit. Expletis vero Missarum solemniis, Matronam coram populo inquisivit, quamobrem Corpus Dominicum sumptura ridere præsumpserit? At illa diu mussitans tandem prorupit: quia panem, quem propriis manibus me fecisse cognoveram, tu Corpus Dominicum perhibebas. Tum Gregorius pro incredulitate mulieris cum tota plebe se in orationem prostravit, & post paulum surgens, particulam panis, quam super Altare posuerat, carnem factam reperit; quam coram cunctis increduke Matronæ demonstrans, ad credulitatis gratiam tum illam revocare potuit, quam totum populum confirmare curavit. Rursus itaque in orationem cum eisdem prostratus, carnis frustum in panis primordia reformavit*. Hoc longiusculum licet Joannis Diaconi testimonium producere operæ pretium duxi, ut manifesto constet, Christianos sexti Ecclesiæ sæculi firma fide credidisse realem præsentiam Corporis, & Sanguinis Christi Domini in Eucharistiæ Sacramento, sicque retundatur effrenis audacia *Albertini* Sectæ Calvinianæ Pseudo-Ministri, qui in libro, quem edidit, *de Sacramento Eucharistiæ*, duos adducit Scriptores sexti sæculi, videlicet *Anastasium Sinaitam* Monachum in l. qui inscribitur, *Dux viæ*, & *Facundum* Hermianensem Episcopum l. 9. c. 19. a quibus negatam esse ait realem præsentiam Corporis Christi in Eucharistiæ Sacramento. At Anastasium Sinaitam, sicut in superiori Colloquio vidimus, ab hoc errore viri doctissimi vindicant, sicut & *Facundum* Hermianensem Episcopum, ut videre est apud *Natalem Alexandrum* c. 4. art. 6. §. 2. Hist. Eccl. sexti sæculi. Præterquam quod nulla omnino est *Facundi* Hermianensis Episcopi in Ecclesia authoritas, utpote qui Schismaticus fuit, in Schismate scripsit, & obiit. Sed quæ, amabo, major vesania esse potest, quam obscura quædam testimonia in horumce duorum sexti sæculi Scriptorum libris expiscari velle, & luculentissima nolle recipere testimonia deprompta ex Operibus S. Gregorii Magni, qui eodem sæculo universæ Ecclesiæ clavum regebat, ex quibus Sole clarius colligitur, omnes sæculi sexti Christianos præsentiæ realis Corporis, & Sanguinis Christi Fidem constantissime tenuisse? legesis *Confessionem Gregorianam* typis Coloniæ editam apud *Arnoldum Quentelium* anno MDIV. Auctore *Theduro-Petrejo* Campensi Colonensis Carthusiæ alumno, qui invicte demonstrat, omnes fidei articulos, de quibus nobis impræsentiarum cum Lutheranis, & Calvinistis, aliisque novis Hæreticis controversia est, a Sancto Gregorio Magno probatos, & assertos esse eorumque errores in antecessum a S. illo Doctore fuisse præfocatos.

D. Sine, quæso, ut te paululum interpellem, & a te percontér, an vera sit illa Historia, quæ circumfertur de anima *Trajani* Imperatoris in infidelitate defuncti ab inferis precibus Sancti Gregorii Magni liberata? Si enim hæc narratio vera sit, sequitur plane, Christianos sexti Ecclesiæ sæculi non consensisse nobiscum in hoc dogmate fidei, quo credimus, licitum non esse orare pro his qui in sua impietate, & in infidelitate demortui æternis sunt cruciatibus addicti, quia, ut inquit Scriptura Sacra, *in Inferno nulla est redemptio*.

M. Hæc narratiuncula, quam audisti, de liberatione Trajani ab Inferis, & de fusis ad eam impetrandam a Sancto Gregorio Magno precibus, jure merito a viris eruditis fabulæ loco habetur. Enimvero, ut bene multa prætermittam momenta a peritis Criticis adducta, quæ rem plane conficiunt; qui credibile est, Sanctum Gregorium orare voluisse pro liberatione Trajani, quem sciebat in infidelitate mortuum, adeoque æternis flammis addictum, cum ipsemet l. 4. Dialogorum c. 44. & l. 34. Moralium c. 16. cum universa Ecclesia doceat, pœnas Inferni esse æternas, nullamque in Inferno redemptionem; ex quo infert S. ille Ecclesiæ Doctor, justos orare nec debere, nec posse pro hominibus in infidelitate, vel impietate defunctis, aut si pro illis oraverint, irritas plane esse eorum orationes. Legi potest super hac re caput decimum libri tertii de Vita Sancti Gregorii Magni quam tomo quarto recentis illius Operum editionis inseruerunt doctissimi Patres Benedictini Congregationis Sancti Mauri, ubi hanc, quæ vulgo jactatur, narratiunculam solidis momentis exsufflant. Habetur quidem illius narratiunculæ de liberatione animæ Trajani ab Inferis precibus Sancti Gregorii Magni aliqua mentio in oratione, quæ adscribitur Sancto Joanni Damasceno, *de iis qui in fide obdormierunt*; sed hanc orationem genuinum non esse Sancti Joannis Damasceni fœtum aperte demonstrant periti Critici *Bellarminus*, *Leo Allatius*, & noster doctissimus *P. Michael le Quien* in Dissertatione quinta inter Damascenicas, quas præfixit tomo 1. recentis Editionis Operum Sancti Damasceni, quem eruditis ac pulcherrimis Notis illustratam nupertime publicavit. Addo etiam cum Sancto Thoma in supplemento quæst. 73. articul. 5. ad 5. quod, posita veritate illius Historiæ de liberatione Trajani ab Inferis obtenta precibus Sancti Gregorii, dici tantum posset, *Trajanum non fuisse in Inferno finaliter deputatum, sicut*, inquit Angelicus ille Doctor, *apparet ex omnibus illis, qui fuerunt miraculose a mortuis suscitati, quorum plures constat Idololatras, & damnatos fuisse. De omnibus enim talibus similiter dici oportet, quod non erant in Inferno finaliter deputati, sed secundum præsentem propriorum meritorum justitiam; secundum autem superiores causas, quibus prævidebantur ad vitam revocandi, erat aliter de eis disponendum &c.* Patet itaque, sive hæc narratio de liberatione Trajani ab Inferis, precibus Sancti Gregorii impetrata, vera, vel falsa sit,

Chri-

Christianos sexti sæculi credidisse, sicut & nos in præsentia credimus, nefas omnino esse preces fundere pro his, qui in impietate, vel infidelitate mortui decretorio Dei judicio in Inferno sunt finaliter deputati, quod perpetuo ab ipsis Ecclesiæ primordiis fuit Christianæ Fidei dogma.

D. Maximo sane rubore Hæretici, nisi omnem frontem exuissent, suffundi deberent, dum ea tanto ardore oppugnant fidei Dogmata, quæ tamen omni Ecclesiæ ævo unanimi Catholicorum consensione firmata, & approbata fuerunt. Sed expendamus modo ea, quæ spectant Disciplinam tam Ecclesiasticam quam Monasticam, quæ viguit sexto sæculo.

M. Disciplinam Ecclesiasticam sexti sæculi expressam habemus in Canonibus Conciliorum, quæ eodem sæculo celebrata sunt, de quibus jam superius disseruimus. Nihilosecius pauca, quæ ad Disciplinam erga Episcopos, & Clericos in sexto sæculo observatam attinent, hic subnectere non erit a proposito nostro alienum. In primis, Episcopatus in Regionibus recens ad Christianam Fidem conversis, Romanorum Pontificum authoritate instituebantur. Sic S. Gregorius Magnus, misso ad Sanctum Augustinum Anglorum Apostolum Pallio, præcepit ei, ut Metropoles duas institueret, *Londini* unam, alteram *Eboraci*; & sub unaquaque duodecim Episcopos consecraret, ut videre est in ejus Epistola XV. lib.VIII. At in Regnis Christianis novi non instituebantur Episcopatus absque Metropolitanorum consensu. Occasione Schismatis Episcoporum Istriæ, qui trium Capitulorum damnationi subscribere noluerunt, Aquilejensi Metropolita ab Episcopis Schismaticis, qui quatuor Patriarchalium Sedium jurisdictioni parere renuebant, Patriarcha fuit institutus. Sed extincto Schismate, nudum Patriarchæ nomen retinuit Aquilejensis Episcopus. Progressu tamen temporis Patriarchatus honorem, & primum locum supra omnes Italiæ Metropolitanos ei concesserunt Leo VIII. Clemens II. & Alexander II. De Patriarchatu Aquilejensi legendus est doctissimus Card. *Norisius* capit. 10. Dissert. *de quinta Synodo*, ubi fuse ac docte de eo agit. Electiones Episcoporum fiebant a Coepiscopis, a Clero, & populo, non tamen eodem jure, nec eodem semper modo; summa autem eligendi potestas erat penes Clerum, Episcopos, & Metropolitanum. In his Episcoporum electionibus, quæ sexto Ecclesiæ sæculo fiebant, cœpit Ecclesia multum Imperatoribus, & Regibus indulgere, ut eorum patrocinium promereretur ad comprimendos Hæreticos, ad executionem Canonum, ad Ecclesiæ bona sarta tecta conservanda maxime necessarium (*a*). Translationes Episcoporum, nisi postulante Ecclesiæ utilitate, non permittebantur. Coadjutores cum futura successione sibi designabant Episcopi, si id necessitas, aut Ecclesiæ commodum exigerent. Sic *Sanctus Augustinus* Anglorum Apostolus sibi successorem ordinavit *Laurentium* & *S. Sacerdos* Lugdunensis Episcopus *S. Nicetium* nepotem suum a Childeberto Galliarum Rege obtinuit. Cessiones Episcoporum, nisi gravissimas ob causas, non admittebantur, Episcopos tamen, qui propter continuam ægritudinem obeundo muneri impares erant, cedere posse Episcopatu, & ad cessionem consiliis inducendos esse, non tamen compellendos, docet S. Gregorius Magnus, ut videre est in pluribus ejus Epistolis, præsertim, juxta veterem editionem, 50. 51. 52. lib. 7. Quin, & viri sanctissimi ducti solitudinis amore, Episcopatum quandoque abdicarunt. Sic in Occidente *S. Sulpitius* Bituricensem, *Bonnitus* Arvernensem, & *Leodegarius* Augustodunensem Ecclesias dimiserunt; alii vero Episcopatus honorem totis viribus fugiendum, & solo charitatis, obedientiæ motu suscipiendum esse, exemplo, & scriptis docuerunt, quos inter potissimum censentur S. Cæsarius, Fulgentius, & Gregorius Magnus, quos sacram dignitatem coactos suscepisse, testantur hi, qui Vitas illorum scripserunt, *Cyprianus*, videlicet, *Ferrandus Diaconus*, & *Joannes Diaconus*. Episcopi ad residentiam in suis Ecclesiis tam juxta statuta Ecclesiæ, quam juxta leges ab Imperatore Justiniano promulgatas obstringebantur. A residentiæ tamen lege censebantur legitime dispensati, qui a suis Ecclesiis ideo aberant, ut Synodis interessent, vel, ut nomine Principum Legationes maximi momenti ad alios Principes obirent, ut multis exemplis constat, potissimum S. Leandri Episcopi Hispalensis, qui Wisigothorum Hispaniæ Regum nomine, Legationem obiit Constantinopoli; & *Joannis* atque *Agapeti* Summorum Pontificum, qui Gothorum in Italia regnantium Legatione apud Imperatorem Orientis functi sunt. Episcoporum jurisdictio sæculo sexto erat amplissima, ipsosque de omnibus Monachorum, & Monialium causis judicare voluit Imperator Justinianus, earum cognitione Judicibus civilibus interdicta, ut videre est in ejus Novella 79. cap. 1. & 2. Bonorum Ecclesiasticorum suprema administratio penes Episcopos erat, qui tamen Oeconomos instituebant, qui bona Ecclesiæ diligenter curarent, & deinde Episcopis administrationis suæ curam redderent. Ecclesiæ bona quatuor in partes erant distributa, quarum una Episcopo; altera Clericis; tertia Pauperibus; quarta Fabricæ Ecclesiæ erat destinata. Non licebat Episcopis post consecrationem bona acquisita transmittere ad hæredes, sed solum bona, quæ ante Episcopatum possederant, vel quæ ipsis postea ex consanguineorum usque ad quartum gradum hæreditate obvenerant. Poterant tamen Episcopi bonorum, quæ propria comparaverant industria, non vero ex oblationibus fidelium, vel ex reditibus Ecclesiasticis congregaverant, quem vellent scribere hæredem. Demum, sexto Ecclesiæ sæculo Episcoporum judicia, & depositiones fiebant in Synodis Provincialibus, ita tamen, ut possent Episcopi his in Synodis damnati, vel depositi provocare ad Romanum Pontificem, ad quem de jure spectabat delegare Judices, qui ejusdem negotii examen in Provincia instaurarent, vel, si mallet, sen-

sententiam definitivam pronunciare; quod jus Romano Pontifici ratione Primatus, quem in universa obtinet Ecclesia, assertum est, & in Concilio Sardicensi vindicatum. Sed de his plura legesis apud Clarissimum Patrem *Thomassinum* in sua *veteri*, & *nova Ecclesiæ Disciplina*, ex qua hæc pauca excerpsisse sufficiat.

„ (*a*) Addendum censeo Ecclesiæ vacantis „ administrationem committi tunc consuevisse „ uni, vel alteri, Metropolitani judicio deligendo; sed plerumque id muneris vicinioris Episcopi erat. Exempla habes frequentissime in „ Epistolis S. Gregorii Magni, præsertim lib. 1. „ Epist. 15. Epist. 53. Epist. 78. lib. 2. Epist. „ 15. Epist. 25. & 26. &c. Plurima etiam quæ „ ad Disciplinam Ecclesiasticam hujus ætatis pertinent curiosum lectorem docebit Opusculum „ inscriptum: *Index titulorum ex regesto Epistolarum S. Gregorii Magni excerptus*, quem Cardinalis Antonius Carafa plurimo labore, & „ singulari industria confecit, iterumque editus „ legitur in fine Epistolarum S. Gregorii novæ „ editionis a PP. Maurinis confectæ.

Venio nunc ad Disciplinam, quæ sexto Ecclesiæ sæculo circa Clericos fuit observata. Et primo, ætas ad suscipiendum Clericatum nec dum hoc sæculo erat præfixa, sed parentes offerebant Deo pueros suos, Cleroque devovebant, sicut patet exemplo S. Cæsarii Episcopi Arelatensis, qui inter ipsa infantiæ rudimenta Clericus factus est, teste Cypriano in ejus Vita. At Episcopi, & Presbyteri ante annum ætatis trigesimum, Diaconi vero ante vigesimum quintum non ordinabantur ex illius sæculi disciplina, ut colligitur ex Concilio Agathensi Can. 16. & 17. Arelatensi IV. Can. 1. Aurelianensi III. Can. 6. In Seminariis instituebantur juniores Clerici, Majores etiam plerisque in Ecclesiis sub Episcopi disciplina in iisdem ædibus degebant, & communibus stipendiis alebantur. Hæc sanctissima disciplina ad bene informandos Clericorum mores maxime necessaria in Galliis, & in Hispaniis præsertim viguit. Clerici non solum vestibus a Laicorum habitu distinctis utebantur, sed etiam tonsura, & corona, quam palam gestabant, ab illis omnino secernebantur. Non licebat Clericis ab Ecclesiis, quibus per ordinationem Episcopis erant addicti, ad alias migrare Ecclesias; & qui hanc legem violabant, tamquam desertores, vagi, & instabiles puniebantur. Non poterant etiam Episcopi Clericos a suis beneficiis ad nutum amovere. Lex cœlibatus sexto dumtaxat sæculo Subdiaconis in Ecclesia Latina imposita est, & ut Clericorum vita omni ex parte, sicut decet, irreprehensibilis esset, antiquis Canonibus, quibus Clericis districte vetitum est ne in ædibus suis extraneas mulieres contubernales habeant, novum robur additum est. Rectæ etiam consultum est distributioni, & administrationi bonorum Ecclesiasticorum, quorum Clerici Proprietarii, seu Domini non erant, sed tantum Œconomi, & dispensatores, itaut, detractis his, quæ ad honestam vitæ sustentationem necessaria erant, omne superfluum Pauperibus erogare tenerentur. Clerici multis immunitatibus sexto sæculo fruebantur, erantque liberi a fori sæcularis judicio, & quoties de fide, vel turpi vita, vel ob aliud crimen contra sacros Canones admissum accusabantur, non ad Laicæ Judicis Tribunal vocabantur, sed coram Episcopo, vel alio Judice Ecclesiastico tota lis dirimi debebat. Quam Clericorum immunitatem strenue tuitus est S. Gregorius Magnus, monens *Januarium* Calaritanum Episcopum Epist. 24. lib. 3. ne Sacerdotes a Laicis Judicibus in Sardinia opprimi pateretur, prohibuitque Clericis, & Monachis Diœceseos Neapolitanæ, ne ad aliud quam Episcopi tribunal convenirent. Ad eamdem Clericorum propugnandam immunitatem multa in Galliis, & in Hispaniis celebrata Concilia sub pœnis gravissimis inhibuerunt, ne Clerici quemquam apud sæculares Judices, Episcopo non permittente, pulsarent; & ne Laici, inconsulto Episcopo, Clericum ad sæculare tribunal vocarent. Hæc est, in summa, Ecclesiæ Disciplina, quæ sexto sæculo erga Episcopos, & Clericos fuit observata.

D. Viguitne in sexto Ecclesiæ sæculo, præcipue in Occidente Monasticum Institutum, quod tantopere Hæretici execrantur?

M. Monasticum Institutum sexto Ecclesiæ sæculo floruisse, & in Occidente præsertim longe lateque fuisse propagatum, liquido colligitur ex bene multis Monasteriis, quæ eodem sæculo in Italia, Gallia, & Hispania condita sunt, de quibus legendus est doctissimus *Joannes Mabillonius* tom. 1. Annalium Benedictinorum, ubi data opera de tempore, quo isthæc Monasteria fundata sunt, & de Disciplina Monastica, quæ in illis adamussim observabatur, accurate juxta ac elegantet edisserit.

D. Quinam potissimum in VI. Ecclesiæ sæculo Monasticum Institutum in Occidente propagarunt?

M. Monasticum Institutum sexto Ecclesiæ sæculo propagarunt in Occidente viri sanctissimi, *Cæsarius* Arelatensis Episcopus, *Aurelianus* ejusdem urbis Episcopus, *Columbanus*, *Ferreolus* Ucecensis Episcopus, *Benedictus*, *Donatus*, *Isidorus*, & *Fructuosus*, de quibus singillatim pauca hic dicemus.

S. Cæsarius duplicem, ut jam observavimus, Regulam scripsit: Unam Sanctimonialibus, in gratiam Cæsariæ sororis suæ, & Monialium, quibus præerat in Monasterio Arelatensi ejus sumptibus extructo, & fundato. Hæc S. Cæsarii Regula, quam doctissimus *Mabillonius* asserit primam fuisse Regulam pro Monialibus scriptam, legi potest in Codice Regularum *Holstenii*, & apud eruditum *Cointium* in Annalibus Ecclesiæ Francorum, ubi describitur, & prolixis atque eruditis Notis illustratur. Alteram S. Cæsarius pro Monachis scripsit Regulam, quæ in plerisque Monasteriis vigebat, præsertim in Gallia Narbonensi. Hanc etiam *Holstenius* in Codice Regularum edidit, illamque descripsit *Cointius* in Annalibus Francorum ad annum DXXXVI. & eruditis

Com-

Commentariis exposuit. Præter has duas Regulas, S. Cæsarius etiam exhortationes Sanctimonialibus scripto direxit, in quibus superbiam, invidiam, virorum colloquia, & familiaritatem, vestium elegantiam, splendidumve colorem, opera manuum vana, & superflua præ cæteris cavenda monet, aitque, non sufficere vestem mutasse, & religionis habitum suscepisse, nisi & mores mutentur, & contra male dulces voluptates dimicetur. Præclara sunt quoque S. Cæsarii monita ad *Oratoriam* Abbatissam, quibus eam adhortatur, ut prior in Ecclesia inveniatur, postrema exeat; prima itidem suscipiat laborem, posterior solvat; communibus cibis utatur in communi mensa; non sit vestibus ornatior cæteris, sed moribus; Sorores omnes diligat, ac parem eis charitatem impertiat; nomen ejus complures noverint, beneficia plurimi sentiant, vultum rari cognoscant; omnis denique actio sit propter Deum, sermo de Deo, cogitatio in Deum. Hos mores in Abbatissis Beatus ille Pontifex exigebat.

Sanctus Aurelianus duplicem itidem scripsit Regulam, unam Monachis, alteram sacris Virginibus inscriptam. Utramque publicavit *Holstenius* in Codice Regularum, & utramque pariter descripsit *Cointius*, notisque illustravit in Annalibus Ecclesiæ Francorum ad annum DXLVIII. Regula Sancti Aureliani in multis concordat cum Regula Sancti Cæsarii, in multis cum Regula Sancti Benedicti, quam uti Cæsarianam præ oculis videtur habuisse *Aurelianus*, sicut ostendit Mabillonius tom. 1. Annal. Benedictinorum.

Sanctus Columbanus, cujus opera tam in Gallia, quam in Italia Monasticum Institutum propagatum est, relicta Hiberniæ Insula in Galliam venit anno DLXXXV. ut luculenter evincit Mabillonius in Vita *Waldeberti* Abbatis Luxoviensis, quæ extat parte II. sæculi III. Benedictini. Regulam, quam Monachi sequerentur, condidit, quæ etiamnum extat apud Holstenium *in Codice veterum Regularum*. Multa Monasteria extruxit Sanctus Columbanus, quorum præcipua fuere *Luxoviense*, *Angratense*, & *Fontanense* in Gallia, & in Italia *Bobiense*, ubi & sepultus fuit, & reliquiæ ejus multis pollent virtutibus, sicut narrat *Jonas* in ejus vita. Clariores Sancti Columbani Discipuli fuerunt *Gallus*, *Eustasius*, *Walaricus*, *Attala*, Sancti Columbani in Bobiensis Monasterii regiminis successor, itemque *Deicolus*, *Leobardus*, *Sigisbertus* Abbates. Monachos enim omnes, qui sub Sancti Columbani Regula militantes Deo servierunt, commemorare non licet.

Sanctus Ferreolus Ansberti filius Sancto Firmino Episcopo Ucetiæ patruo suo successit anno DLIII. ut ex ejus Vita a se ex veteri MS. publicata colligit *Marcus Antonius Dominicius*. In hac Urbe Monasterium excitavit, quod de suo nomine *Ferriolacense* nuncupavit. Extat ejus Regula, quam pro Monachis scripsit apud Holstenium, cujus Capitula pleraque conformia sunt Statutis S. Cæsarii Episcopi Arelatensis sicut ostendit sæpe laudatus *Cointius* in Annalibus Ecclesiæ Francorum ad annum DLVIII. numer. IX. & sequentibus.

Sanctus Benedictus Monachorum in Occidente parens, Nursiæ in Diœcesi Spoletana natus, & Romæ liberalibus disciplinis excultus, ad eum locum, qui *Sublacus* dicitur, in altissimam speluncam secessit, ubi per triennium nemini notus detulit, sed sparsa illius Sanctitatis fama, bene multi Monachi se illi instituendos tradiderunt, quorum mores cum probare non posset, ab illis, non sine periculo vitæ suæ discessit, & in solitudinem se recepit, ubi, ob innumeram multitudinem discipulorum, qui ad ipsum quotidie confluebant, duodecim Monasteria ædificavit; Dein, Montem Cassinum petiit, quem ex Dæmonum, & Idololatriæ receptaculo illustre sanctitatis sacrarium fecit, ibique clarissimi sui Ordinis fundamenta jecit, condendo Regulam, quæ Vitam Monasticam in Italia informavit ac propagavit, & postea in Galliam a Sancto Mauro ejus Discipulo illata est. Adeo posteris probata est hæc Sancti Benedicti Regula, ut Sancto Gregorio Magno lib. 2. Dialog. cap. 36. *Discretione præcipua*, *sermone luculenta*, Patribus vero, & Conciliis *Sancta*, atque eodem spiritu, quo sacri Canones condita haberetur. Nullo discrimine quosvis admittit hæc Regula, pueros, adolescentes, adultos, pauperes æque ac divites; nobiles, & ignobiles; servos, & ingenuos, doctos pariter ac literarum expertes, Laicos, & Clericos. Pueri oblati Monasteriis a parentibus. Vitæ Monasticæ jugum, ubi ætatem adultam attigissent, excutere non poterant. Sed de præstantia, & propagatione Regulæ Sancti Benedicti in sexto Ecclesiæ sæculo, & de Monastica disciplina, quæ in ea præscribitur, legendus est doctissimus Mabillonius tom. 1. Annalium Benedictinorum.

Sanctus Donatus Vesontiensis Episcopus, cum ex ordine Monachorum Sancti Columbani, ad Episcopatum fuisset provectus, Monasterium sub ejus Regula construxit, quod *Palatium* vocabatur, & Monasterio puellarum, quod mater ejus fundaverat, Regulam scripsit ex SS. Augustini, Cæsarii, Columbani, & Benedictini Regulis, maximam partem defloratam, quam edidit *Holstenius* in Codice Regularum.

Quandonam in Hispanias invecta fuerit Monastica disciplina, non est omnino certum. Multi asserunt, *Donatum* Monachum coævum S. Gregorio Turonensi, qui adjunctis LXX. sociis, ex Africa venit in Hispaniam, primum in hanc Regionem intulisse Monasticam disciplinam. Sed doctissimus sæpe citatus Mabillonius probat, Monasticam disciplinam ante hunc Donatum, qui sexto sæculo vixit, in Hispaniis jam viguisse. Ut ut sit, certum est, Sanctum Isidorum Hispalensem Episcopum Regulam Hispaniensibus Monasteriis ex priorum Patrum Regulis concinnatam, tradidisse. *S. Leander* Episcopus itidem Hispalensis, frater Sancti Isidori, librum ad *Florentinam* sororem suam *de Institutione Virginis* scripsit, qui sacrarum Virginum Regula merito nuncupatur, & ab Holstenio descriptus est *in Co-*

Codice Regularum. Denique *S. Fructuosus* Complutensis Abbas, Dumiensis deinde Episcopus, & ab Bracarensem Episcopatum postea translatus, Monasticum Institutum in Hispaniis maxime propagavit, ac duplicem pro Monachis condidit Regulam. Prior XXIII. altera XX. dumtaxat constat capitibus. Utraque S. Fructuosi Regula edita est ab Holstenio in Codice Regularum. Hi sunt Sanctissimi Viri, qui sæculo sexto Monasticum Institutum in Occidente late propagarunt, & Regulas pro Monachis, & Monialibus mirifica Spiritus Sancti unctione perfusas, condiderunt.

Obiter tamen cum doctissimo Mabillonio Præfatione in primum Tomum Annalium Benedictinorum hic advertere debes, Monachos sexti sæculi, sicut & in aliis præcedentibus, non uni peculiari Regulæ fuisse addictos, sed aliquando plures insimul Regulas uno in Monasterio fuisse observatas. Nam cum istæ Monasticæ Regulæ in unum scopum collimarent, ut scilicet, abdicata rerum omnium proprietate, Monachi vitam communem, laboriosam, abstinentem, & a sæculi tumultu alienam, in summo silentio sub præpositi obedientia transigerent, statisque horis ad divina Officia, ad lectionem, ad curandum corpus convenirent; in promptu erat, quæ moralia sunt in omnibus Regulis proponere Monasteriis: Quæ vero ad Officia divina, jejuniorum, ac laboris pensum, aliaque id genus pertinent, pro nutu, & arbitrio Abbatis, seu Præpositi, ex illis Regulis desumerentur. Quapropter in tanta Regularum diversitate maxima erat Monachos inter omnes animorum consensio, una societas, unumque corpus nulla vestis quantavis diversitate discretum. Facilis etiam erat ac promiscuus ex uno in aliud Monasterium transitus, mutuusque commeatus, non modo Latinorum inter sese, sed etiam Latinos inter ac Græcos, quibus sat erat stabilitatem in novo Monasterio firmasse. Ratio hujus est, quia in sexto sæculo, sicut & in aliis præcedentibus, unus tantum erat Monasticus Ordo, necdum in varias Classes divisus, sicut in præsentia divisus est in Religiosis, exempli gratia, Mendicantibus, quorum universæ, quamvis late sparsæ familiæ sub uno peculiari capite, certis, & cuique propriis Officiis ac legibus Deo militant. At sæculo sexto unus erat in commune omnium ubique Monachorum tam Græcorum, quam Latinorum modus, & usus religionis profitendæ; nec isti Monastici Ordinis unitati officiebant diversæ illæ Regulæ, quæ aliquando in eodem Monasterio observabantur, quia, ut inquit *Lucas Holstenius* in Præfatione *ad Codicem Regularum* cap. 3. diversæ illæ Regulæ in commune proponebantur, ut ex his Monachi pro locorum & nationum differentia, vitam uniformi, quoad præcipua, disciplina temperarent. Primaria quippe & quasi fundamentalis Monachorum Regula, Evangelium erat; illa scilicet Christi consilia, quæ castrare se ipsum propter Regnum Cælorum, quæ abnegare se & crucem tollere, quæ patrem, & matrem, uxorem & agros propter Christum relinquere; quæ vendere patrimonia & dare pauperibus; sicque nudos Christum sequi, suadebant. Regulæ autem particulares nihil nisi ejus primæ ac universalis Regulæ applicationes, aut declarationes locis aut personis plerumque aptatæ habebantur. Hinc optime infert Mabillonius, mirum non esse, si Regula Sancti Benedicti non solum in novis, quæ sexto sæculo condebantur, Monasteriis fuerit admissa, sed etiam in antiquioribus Cœnobiis, quæ jam suam habebant Regulam, fuerit adoptata, cum familiare esset illis temporibus, ut plures simul Regulæ in unoquoque Monasterio receptæ essent, & unitati Ordinis Monastici, qui tum ubique unus erat, diversitas, varietasve Regularum non obstaret. Legesis etiam super hac re *Ludovicum Thomassinum* Oratorii Gallicani eruditum Presbyterum 1. parte lib. 1. c. 24. *de veteri & nova Ecclesiæ Disciplina*.

D. Præscributurne in his Regulis, quas superius memorasti, severa Monastica disciplina?

M. Severa in istis Regulis indicitur Monachis disciplina, quæ ad ista Capita revocari potest. Tenebantur Monachi Abbatibus prompte obtemperare, Christum per arctam viam sequi, abdicationem omnium bonorum temporalium perpetuo profiteri; jugem a carnibus abstinentiam, interioris vestitus asperitatem, silentium quocumque tempore, sed præsertim horis nocturnis observare, longa jejunia protrahere, vilibus cibis vesci, lamentis peccata sua plangere, corpus abstinentiis atterere, lectioni & meditationi Sacrarum Scripturarum vacare, brevem somnum carpere, noctu diuque divinas laudes in Ecclesia celebrare, vitam solitariam ducere, & quotidie operari manibus suis, ut non solum vitæ necessaria sibi procurarent, sed etiam indigentiæ aliorum propriis laboribus consulerent. His sanctissimis legibus adstricti Monachi, soli Deo intenti serviebant, & angelicam vitam in terris agentes, cupiebant cum Apostolo dissolvi & esse cum Christo, ut cælestibus delitiis, ad quas continuo anhelabant, æternum potirentur. Sed de Monastica sexti sæculi disciplina satis, pro suscepti operis nostri brevitate, dictum sit, de qua, si plura scire aveas, legesis *Holstenium*, *Cointium*, & *Mabillonium* locis supra citatis, ubi sitim tuam ad satietatem usque explere poteris.

D. Explanatis his, quæ ad fidei doctrinam, & disciplinam tam Ecclesiasticam, quam Monasticam sexti Ecclesiæ sæculi spectant, hoc unum tantum impræsentiarum superest, ut doctrinam Moralem ejusdem sæculi exponas, atque summatim perstringas præcepta bene vivendi, quæ SS. Patres fidelibus tradiderunt.

M. Patres sexti Ecclesiæ sæculi aliorum, qui ipsos præcesserant, vestigiis insistentes, doctrinam Moralem tum in Operibus Asceticis, tum in Homiliis, quas ad populum habebant, diligenter juxta ac erudite exposuerunt. In hoc tamen genere duo præcipue excelluerunt, videlicet *Sanctus Joannes Climacus* apud Græcos, & *Sanctus* Gre-

Gregorius Magnus Papa apud Latinos. In libris Moralibus Sancti Gregorii Magni, qui habentur Tomo I. recentis ejus Operum Editionis adornatæ a Patribus Benedictinis Congregationis Sancti Mauri, extant optima morum præcepta omni ætati, sexui, & conditioni consentanea, ex quibus, velut e totius Evangelicæ Moralis promptuariis, Verbi Divini Præcones, & animarum Curatores tutissimam & saluberrimam haurire possunt moralem doctrinam, ad dirigendas animas suæ curæ concreditas in viam salutis. Tot inter præcepta moralia non pigebit aliqua ex Sanctissimi illius Pontificis Operibus excerpta seligere, hicque subnectere, ut specimen aliquod moralis doctrinæ sexti sæculi habere possis.

In primis, lib. XIX. in Caput XXIX. in Job num. 30. docet Sanctus Gregorius Magnus, in Ecclesiæ Rectoribus, quod de Confessariis præsertim intelligendum est, nec vigorem debere esse rigidum, nec mansuetudinem dissolutam. *Sunt namque*, inquit Sanctus ille Doctor, *nonnulli ita districti, ut omnem mansuetudinem benignitatis amittant: & sunt nonnulli ita mansueti, ut perdant districti jura regiminis. Unde cunctis Rectoribus utraque summopere sunt tenenda, ut nec in disciplinæ vigore benignitatem mansuetudinis, nec rursum in mansuetudine districtionem deserant disciplinæ; quatenus nec a compassione pietatis obdurescant, cum contumaces corrigunt, nec disciplinæ vigorem molliant, cum infirmorum animos consolantur. Regat ergo vigor mansuetudinem, & mansuetudo ornet vigorem, & sic alterum commendetur ex altero, ut nec vigor sit rigidus, nec mansuetudo dissoluta.* Juxta hanc sapientissimam S. Gregorii Magni Regulam debent Pastores, & Rectores animarum a rigidiori, sicut & a molliori morum disciplina ex æquo abhorrere, & in medio consistere, ne ad extrema impingentes, auctores sint ruinæ, & damnationis multorum. Sunt enim nonnulli, ut obiter dicam, qui in regimine animarum, quod Sanctus Gregorius Magnus *Artem artium* appellat, sese ingeniosos præbent in evellendis spinis pœnitentiæ, in dissipanda lege Christi, in excutiendis conscientiæ scrupulis; solertes in excogitandis lenociniis, & flexibilibus quibusdam regulis, quo peccatores sarcina licet criminum gravati commodiorem vitam agere, & in utramvis, ut ajunt, aurem dormire possint; sagaces in præscribendis vivendi formulis, quæ in malis bona, in ambiguis certa, in laboribus otium, in dubiis securitatem, in periculis promittunt tranquillitatem; quin, stupenda rerum mutatione efficiunt, ut dulcescat quod amarum est, blandiatur quod horrendum est, formosum fiat, & suave, quod deforme, & fœtidum est. Sunt vero ex adverso alii nonnulli, qui nimia morum asperitate peccatores adeo terrent, ut in causa sint, cur in desperationem suæ salutis adducti prorumpant ad præcipitium, & cum infelice Juda ad funestum laqueum confugiant. Ab utroque itaque extremo saluti animarum perinde noxio, ut sibi caveant Rectores animarum, debent, juxta hanc Regulam a S. Gregorio Magno prudentissime statutam, esse erga peccatores mansueti æque ac severi, ut possint infirmos lacte nutrire ne periclitentur, robustis solidiorem cibum porrigere ut in virtute adolescant, alios mansuetudine allicere, alios rigidioris disciplinæ virga a vitiis deterrere, sicque omnibus omnia facti omnes peccatores Christo lucrifaciant.

Præterea, S. Gregorius Magnus Homilia XXV. in Evangelia docet Pastores, & eos, quibus incumbit cura animarum, quo pacto ligandi atque solvendi potestate uti debeant: *videndum est*, inquit, *quæ culpa præcessit, aut quæ sit pœnitentia secuta post culpam; ut quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam visitat, illos Pastoris sententia absolvat. Tunc enim vera est absolutio præsidentis, cum interni arbitrium sequitur judicis*. Qua altera Sanctissimi Pontificis Regula damnantur laxi illi animarum Rectores, qui consuetudinariis, & inveteratis peccatoribus toties impendunt absolutionis beneficium, quoties ipsi, quasi canes ad vomitum revertentes, peccata sua confitentur, etiamsi nulla in illis veræ pœnitentiæ, ac sinceræ conversionis signa appareant.

Tertio, S. Gregorius Magnus Homilia XX. in Evangelia peccatoribus jam ad meliorem frugem conversis modum constantem ac veram pœnitentiam agendi præscribit his verbis: *Aliud namque est pœnitentiæ fructum facere, aliud dignum pœnitentiæ fructum facere. Ut enim secundum dignos pœnitentiæ fructus loquamur, sciendum est, quia quisquis illicita nulla commisit, huic jure conceditur ut licitis utatur, sicque pietatis opera faciat, ut tamen, si noluerit, ea, quæ mundi sunt, non relinquat. At siquis in fornicationis culpam, vel fortasse, quod gravius est, in adulterium lapsus est, tanto a se licita debet abscindere quanto se meminit & illicita perpetrasse*. Item, S. Doctor Homilia XXIV. in Evangelia, ait, Artes, quæ vix absque peccato exerceri possunt, omnino post conversionem esse relinquendas: *Sunt enim*, inquit, *pleraque negotia, quæ sine peccatis exhibere aut vix aut nullatenus possunt. Quæ ergo ad peccatum implicant, ad hæc necesse est ut post conversionem animus non recurrat*. Et Homilia XXXIV. in Evangelia docet idem S. Pontifex in quo sita sit vera pœnitentia: *Pœnitentiam quippe agere, est, & perpetrata mala plangere, & plangenda non perpetrare. Nam qui sic alia deplorat, ut tamen alia committat, adhuc pœnitentiam agere aut dissimulat, aut ignorat*. Ad hanc S. Gregorii moralem Doctrinam, quæ sexto Ecclesiæ sæculo obtinebat, si peccatorum conversiones, quæ nostris temporibus fiunt, exigantur, quam paucæ, proh dolor! invenientur veræ, sinceræ ac diuturnæ. Mitto, brevitatis ergo, alia quamplurima utilissima morum præcepta, quæ S. Gregorius passim tradit in suis libris Moralibus, videlicet in libris XXXV. Moralium in Job, in duobus libris in Ezechielem, & in duobus libris in Evangelia,

gelia, in quibus totus est Sanctissimus Pontifex, ut Christianos adhortetur ad amorem Dei super omnia, ejusque mandatorum observationem, ad dilectionem proximi, ad timorem judiciorum Dei, ad dignam celebrationem Festorum, & Sacramentorum susceptionem, ad tolerantiam malorum in adversis, ad odium omnium vitiorum, ad exercitium, & incrementum Christianarum virtutum. Hos itaque Sancti Gregorii Magni libros Morales mirifica Spiritus Sancti unctione perfusos, auctor tibi sum, charissime Discipule, ut assidue pervolvas, puram, & integerrimam Moralem Christianam ex illis haurias, ad cujus normam tuos mores jugiter componas. *Hoc enim faciens, & te ipsum salvum facies, & eos qui te audiunt*, verba sunt Apostoli Pauli 1. ad Timotheum cap. IV.

FINIS TOMI SECUNDI.